4. C. 72 -

BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
4
C
72
NAPOLI

N.º B.co B.co
4.C.72

TRACTATVS

DE SENSV ET AVCTORITATE

DECRETORVM

CONSTANTIENSIS CONCILII

SESSIONE QVARTA ET QVINTA

CIRCA POTESTATEM ECCLESIASTICAM

EDITORVM

CVM ACTIS ET GESTIS AD ILLA SPECTANTIBVS

ET EX M.SS. ITALICIS, GERMANICIS, AC GALLICIS

NVNC PRIMVM IN LVCEM ERVTIS

OPERA ET STVDIO

D. EMANVELIS A SCHELSTRATE

S. T. D.

BIBLIOTHECAE VATICANAE PRAEFECTI

In quo agitur de Decretis Conſtantienſibus Seſſ. 4. & 5. circa Poteſtatem Eccleſiaſticam editis, & firmatur contra D. Maimbourg, quòd primum Seſſionis quartæ Decretum corruptum ad manus noſtras peruenerit, nihilque, ſi iuxta Acta manuſcripta corrigatur, ad quæſtionem de Superioritate Concilij faciat: Decreta vero duo priora Seſſionis quintæ ſine deliberatione tantæ rei debita, contradicentibus Cardinalibus, & Regis Galliæ Oratoribus edita ſint ab vna dumtaxat ex tribus Obedientijs, quæ Generale Concilium non conſtituit: quòd demùm poſt trium Obedientiarum vnionem neque à Concilio in auctoritatem admiſſa, neque à Martino Quinto vmquam comprobata fuerint. Accedunt hiſtoria, & Acta Conſtantienſis Concilij pro maiori parte hactenùs non edita.

ROMÆ TYPIS S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE. 1686

SVPERIORVM PERMISSV.

PRAEFATIO
AD
LECTOREM

PRodÿt nuper Tractatus Hiſtoricus de Romanâ Eccleſiâ, eiuſque prærogatiuis, & Epiſcopis, *in quo Auctor ſtabilire nititur quatuor Propoſitiones de poteſtate Eccleſiaſticâ ante triennium Pariſÿs editas, & ex profeſſo impugnat Diſſertationem, quam de ſecundâ Propoſitione circa Conſtantienſis Concilÿ auctoritatem ante biennium Antuerpiæ edideram. Non vno ſed pluribus locis affirmat, Tractatum ſuum ſolis factis inniti, quibus contradici non poteſt, & in ipſo quaſi limine gloriatur, nihil contra illa valere aut Ingenÿ acumen, aut momenta rationum, aut nouitatis artificium. At cum facta varÿs modis proponi poſſint, & plura in Tractatu illo pro indubitatis obtrudantur, de quorum veritate meritò ambigitur: ne quiſquam exiſtimet, nihil*

Auctor Tractatus hiſtorici in Epiſtola Nuncupatoria. Des faits, contre les quels il n'y a point de ſubtilitè, ni de raiſonnement, ni d'artifice de la nouueautè, qui puiſſent tenir.

con-

contrà facta Conſtantienſis Concilij ab Auctore in Tractatu allata reponi poſſe, non abs re feciſſe videbor, ſi primùm quædam alia ex Tractatu illius adducam, & num indubitata, & vt ſupponit, irrefragabilia ſint, hac Præfatione perquiram.

Articulus 5. Decreti Vnionis Grecorum editi in Concilio Florentino.

Proponitur Cap. 5. Tractatus ſupradicti ex Decreto Concilij Florentini Articulus de Primatu Pontificis: Item definimus, Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuerſum Orbem tenere Primatum; & ipſum Romanum Pontificem ſucceſſorem eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere; & ipſi in Beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam à Domino Noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam Geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur. *Cum autem in hoc Articulo plura faueant Romani Pontificis auctoritati, quæ Auctori Tractatus hiſtorici diſplicent, vltima Decreti verba limitationem auctoritatis Pontificiæ continere voluit: habetur enim in*

Græ-

„*Græco, inquit,* Καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτι-„κοῖς τῶν οἰκουμενικῶν Συνόδων, καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι „διαλαμβάνεται. *Et in Latino:* Iuxta eum mo-„dum, qui in Actis Conciliorum, & in Sa-„cris Canonibus continetur. *Sicut legitur „decade 3. lib. 10. apud Blondum Secre-„tarium Eugenij Quarti, qui præſidebat „Concilio; apud Eckium Tractatu de „Primatu Papæ; apud Epiſcopum Roffen-„ſem articulo 25. contra Lutherum; & a-„pud Albertum Pighium lib. 4. de Hie-„rarchiâ „. Proſequitur Auctor hoc argumentum cap. 20. vt probet Concilium Florentinum illis verbis limitaſſe plenæ Pontificiæ poteſtatis vſum ad eum modum, qui in Concilijs, & Sacris Canonibus continetur. Quem ſenſum primus, quod ſciam, mortalium prædictis verbis Græcis tribuit Ioannes Launoius, quem Auctor non ſolùm hoc in loco, ſed vbique in Tractatu ſuo Hiſtorico ſecutus eſt. Quod enim aſſerit de alijs Auctoribus Launoio antiquioribus, adeò à vero alienum eſt, vt ipſi met, quos Auctor allegat, contrarium tradant. Vt namque ab Alberto Pighio incipiam, refert ille in fine libri 4. de Hierarchiâ Eccleſiaſticâ vltima Decreti verba modo ſequenti:* Quem-

Tract. Hiſt. cap. 3. pagina 48. c'eſt ainſi preciſemẽt, qu'il y a dans le Grec Καθ' ὃ, &c. & dans le Latin: Iuxta eum modum qui &c. comme on le lit dans Blondus Secretaire du Pape Eugene, qui preſidoit à ce Concile, dans Ekius au Traitè de la Primautè du Pape, dans l'Eueſque de Rokeſter en l'article 25. contre Luther, & dans Albert Pighius au liure quatrième de la Hierarchie.

Albertus Pighius. admodùm & in Actis Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur. *Eodem planè modo habet Ioannes Fiſcherus Roffenſis* *Ioannes Fiſcherus.* *Epiſcopus articulo* 15. *contrà Lutherum: nec diſſentit Eckius Tractatu de Primatu* *Eckius.* *Petri, vtpotè qui libro* 2. *cap.* 23. *editionis Auguſtæ Vindelicorum anni* 1530. *in Codice, quem Clementi Septimo Summo Pon-* *Blondus.* *tifici obtulit, refert ex Blondo Decretum Florentinũ hoc modo:* Quemadmodum & in Actis Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur. *Quod apud Blondum Decade* 3. *lib.* 10. *ijſdem verbis legitur non ſolùm in libris editis, ſed & manuſcriptis, quorum duo exemplaria extant in Bibliothecâ Vaticanâ ſub num.* 1939. *&* 1940. *Et hi ſunt Teſtes, quos Auctor adduxit, qui non referunt:* Ad eum modum qui, *ſed* Quemadmodum &, *ſicut ex Græco tranſtulit Abraam Cretenſis, qui loco* et *habet* etiam, *prout quoquè habent cuncta originalia Vnionis* Decreta, *quorũ alia in Italiâ, alia in ipsâ Galliâ aſſeruantur. Extat in Ciuitate Florentinâ, vbi ipſum Concilium* *Originale Decretum Vnionis, quod Florentiæ aſſeruatur.* *celebratum eſt, originale Decretum Vnionis, cui tàm Eugenius* IV. *cum Cardinalibus & Epiſcopis Latinis, quàm Imperator*

Con-

Conſtantinopolitanus cum Epiſcopis Græcis ſubſcripſerunt, quod ego ipſe vidi in Palatio Magni Etruriæ Ducis, & cuius exemplar Eminentiſſimus Romanæ Eccleſiæ Princeps Cardinalis Nerlius quondam diligentiſſimè deſcribi curauit, & coràm pluribus Teſtibus fide digniſſimis ad Originale collatum proprio chirographo muniuit, ac planè authenticum ad Vrbem miſit. Habetur autem tàm in Originali, quod Florentiæ aſſeruatur, quàm in exemplari authentico, quod in ſcrinijs Apoſtolicæ Sedis cuſtoditur: Quemadmodum etiam in Actis Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur. *Extat & in Archiuio Cathedralis Eccleſiæ Bononienſis aliud originale eiuſdem Decreti, cui Eugenius IV. cum nouem Cardinalibus, & Imperator Græcorum Ioannes Palæologus, cum tribus Notarijs Concilij Florentini ſubſcripſerunt. Exemplar iſtius in Bibliothecâ Vaticanâ aſſeruatur; in quo, vt in ſuperiori, legitur:* Quemadmodum etiam. *Quòd ſi hæc Originalia Decreta Auctori Tractatus Hiſtorici non ſufficiant, conſulere poteſt aliud Ducis Burgundiæ, quod à paucis annis ex Belgio Lutetiam Pariſiorum migrauit, & in Biblio-*

Aliud originale Decretũ Vnionis Bononiæ aſſeruatum.

Aliud, quod Pariſijs in Bibliothe-

ea Colbertina nuper repoſitum fuit .

thecâ Colbertinâ repoſitum fuit . Poſtquàm autem illud proprijs oculis conſpexerit , pigebit , ni fallor , & contrà ſe ipſum quatuor Teſtes allegaſſe , & relictâ Sacroſancti Florentini Concilij verſione Ioannis Launoij Interpretationi inhæſiſſe , qui hæc verba Καθ' ὃν τρόπον καὶ *ſine ullâ auctoritate vertenda duxit* : Ad eum modum qui ; *non videns , quòd articulus* ὃς *, ſiuè* qui , *nullibi in Græco reperiatur ; neque aduertens , quòd articulo illo deficiente , verba ſenſum , ad quem ea detorquet , minimè reddant , & vt redderent , alio modo in Græco concepta fuiſſent . Manet igitur ,* Καθ' ὃν τρόπον καὶ *ſignificare , non* Ad eum modum qui , *quaſi ſuprema Romani Pontificis auctoritas limitaretur Actis Conciliorum , & Sacris Canonibus , ſed* Quemadmodum etiam, *vt vertit Abraam Cretenſis Græcè , & Latinè doctus , cuius verſioni Patres Latini , Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales , ipſeque Eugenius Quartus cum Notarijs Sacroſancti Florentini Concilij ſubſcripſerunt , nullatenùs ignorantes , in hunc ſenſum de Romani Pontificis auctoritate conueniſſe cum Græcis , qui idem Decretum Græcum à latere Textus Latini poſitum proprijs ſigillis muniuerunt .*

Cap .

Cap. 14. *Tractatus Hiſtorici refertur de Ioan.* XXII.*; quòd in ſenectute voluerit decidere, animas Beatorum ante extremum Iudicij diem non videre clarè, & intuitiuè Deum. Dicit, eum nihil intentatum reliquiſſe, vt hunc errorem promoueret, & verbo ac exemplo omnes ad illum amplectendum incitaſſe „ reperiri demùm maximæ „ Auctoritatis Theologum, qui ob raras, „ & eminentes animi dotes ad Summum „ Pontificatus apicem peruenit, & clariſſi- „ mè teſtatus eſt, quòd illam doctrinam ab „ omnibus teneri mandauerit „. Theologum hunc citat in margine Hadrianum VI. adferens hæc eius verba ex lib. 4. Sent. art.* 3. hanc doctrinam publicè docuit, declarauit, & ab omnibus teneri mandauit. *Ex quibus Auctor putat, ſatis ſuperque conſtare, Ioannem* XXII. *errorem illum toti Eccleſiæ propoſuiſſe. Verùm, vt Ioannes hunc errorem Eccleſiæ propoſuiſſet, id Bullà ſiuè Decreto aliquo ſignificaſſet, eſſetque vel vnus, qui illius decreti Pontificij mentionem feciſſet. Tantum verò abeſt, quemquam repertum fuiſſe, qui Decretum ſiuè Bullam Ioan.* XXII. *eà de re ſe vidiſſe teſtetur, vt ipſi Ioannis aduerſarij nuſquam illius*

Auctor Tractatus Hiſt. pagina 156. Ie trouue vn Docteur de tres grāde autoritè, que ſon eminente vertù iointe à ſa rare doctrine . . . . èleuerent depuis à la ſupreme dignitè de l'Egliſe, qui dit fort clairement, qu'il obligea tout le monde à tenir deſormais cette Doctrine. *Hadrianus* 6.

lius meminerint, & Hadrianus facto à ſe memoriæ prodito has clauſulas addiderit, prout refertur, prout dicitur, *quæ Auctor Tractatus Hiſtorici referre omiſit. Scribit itaq; Hadrianus loco ſuperiùs citato:* Fertur de Ioanne XXII. quòd publicè docuit &c. *Quo loquendi modo ſignificat, ſe non ex Decreto, aut monumento authentico de facto Ioannis XXII. teſtari, ſed quæ ex incertis rumoribus ad aures ſuas peruenerant, referre. Huius autem teſtimonio tàm dubio, tàm incerto nititur error Ioannis XXII. quem Auctor inter facta collocat, de quorum veritate dubitari non poſſe pluſquam vno loco affirmat. Quòd tamen Ioannes XXII. nunquàm erroneam de differendâ viſione beatificâ ſententiam ab omnibus teneri mandauerit, multò minus deciderit, aut definierit, ex Scriptoribus conſtat, qui Hadrianum VI. per centum octoginta & amplius annos præceſſerunt, & quid reuera factum ſit, tamquam Teſtes coætanei & oculati poſterorum memoriæ conſecrarunt.*

Ioannes Villanus in Hiſtoriâ vniuerſali, quam ad annum 1348. *quo Florentiæ obijt, perduxit, teſtatur lib.* 12. *Cap.* 229. *quòd etiamſi Ioannes propenderit in ſententiam*

Ioannes Villanus lib. 12. *cap.* 229.

de

de differendâ poſt reſurrectionem viſionẽ beatificâ, tamen ſub pœnâ excommunicationis præceperit Cardinalibus, Prælatis, & Magiſtris in Curiâ ſuâ exiſtentibus, Vt ſuper eâ quæſtione opiniones ſuas tam pro, quam contrà referrent, proteſtando ſemper, quòd pro neutrâ parte quidquam concluſerat; ſed id, quod dicebat, & proponèbat, eſſet per modum diſputationis, & exercitij, ad hoc vt verum inueniret. *Ptolomæus Lucenſis in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ, quam anno* 1342. *abſoluit, ad annũ* 1333. *agens de Quæſtione ſupra memoratâ fatetur, Ioannem in Conſiſtorio coràm Cardinalibus declaraſſe*, Quòd in prædictâ Quæſtione nihil diffiniendo, ſed recitando dixerat. *Monachus Benedictinus, qui Chronicon Guillielmi de Nangis vſque ad annum* 1340. *continuauit, agens de ſermone, quem Ioannes eâ de re habuit:* Magìs, *inquit*, creditur hoc opinatiuè, quàm cum aſſertione dixiſſe. *Vlricus, qui anno* 1334. *quatuor libros* de beatâ viſione Deitatis *Ioanni Vigeſimo ſecundo nuncupauit, circà finem lib. 4. agens de eiuſdem Ioannis ſermone:* Nec definitio, *inquit*, nec determinatio, ſeu prȩdicatio, ſed magìs quȩdam

Scho-

Comandò loro, e à tutti i Maeſtri, e Prelati di Corte, ſotto pena di ſcommunicationẽ, che ciaſcuno ſtudiaſſe ſopra la detta Queſtione della viſione de' Santi, & faceſſene à lui relatione, ſecondo che ciaſcuno ſentiſſe ò del pro ò del contro, tutt'hora proteſtando, che non haueua determinato ad alcuna delle parti, mà ciò che ne diceua, & proponeua, era per via di diſputatione, & d'eſercitio di trouare il vero.

Ptolomæus Lucenſis in Hiſtoria M. S.

Continuator Chronici Gulielmi deẽ Nangis. Tomo XI. ſpicil.

Vlricus in libro M. S. qui aſſeruatur in Biblioth. Vatic.

Scholaſtica diſputatio, aut diſputantium collatio aptiùs eſſe perpenditur. *Extant libri illi M.SS. ad quorum calcem adiuncta eſt declaratio Ioannis XXII. data Auinione anno Pontificatus eius decimo nono, tertio Nonas Decembris, in quâ ſe ſententiam* pro faciali viſione ante reſurrectionem corporum *admittere ſignificat, additque:* Si verò alia vel aliter circa materiam huiuſmodi per nos dicta, prædicata, ſeu ſcripta fuerunt, quoquo modo illa diximus, prædicauimus, ſeu ſcripſimus, recitando & conferendo dicta Sacræ Scripturæ & Sanctorum. *Iacobus tituli S. Priſcæ Presbyter Cardinalis cum libellum de ſtatu animarum eo ipſo tempore Auinione compoſuiſſet, quo Quæſtio hæc de Viſione beatificâ ſub Ioan. XXII. agitabatur, poſt obitum Ioannis eumdem libellum coràm frequenti Doctorum & Cardinalium cœtu prælecturus, ita in procœmio teſtatur:* Quamuìs autem ſupradictus prædeceſſor meus pro illâ parte ſupradictarum quæſtionum, quam non teneo, nec tenui, ſolùm induxerit rationes & auctoritates in ſermonibus, & in ſcriptis, & non in parte, quam teneo; tamen frequenter tam in ſer-

Ioannes 22. in declaratione, quã paulò antè mortem edidit.

Iacobus S. Priſcæ Presbyter Cardinalis in Codice M.S. Bibliothecæ Vaticanæ.

ſermonibus, quàm in Conſiſtorio dixit publicè coràm magnâ multitudine populi, quòd illa, quæ dicebat circa iſta, non dicebat niſi conferendo: & quia pro parte illâ, ad quæ inducebat rationes & auctoritates, parum, aut nihil, per alios inductum fuerat, ideò vt veritas clariùs appareret ex tali collatione, pro illâ parte quæ indefenſa eſſe vſque tunc videbatur, dictas probationes inducebat. Quod declarauit circà finem vitæ ſuæ, & etiam ſuper hoc mandauit fieri litteras ſuâ Bullâ bullatas, declarando, quòd ipſe fideliter crediderat & credebat, quòd Sanctorum animæ à peccatis & pœnis peccatorum purgatæ ante generalem Reſurrectionem, & Iudicium, Dei eſſentiam facialiter videbant, ſecundùm quod ipſarum ſtatus patiebatur. QVOD DICO, NE QVIS EXISTIMET, EVM ASSERVISSE CONTRARIVM ILLIVS, quod nunc poſtquàm fui licèt indignus aſſumptus ad Apoſtolatum, per me extitit de Concilio Cardinalium determinatum. *Ita Iacobus ex Cardinali S. Priſca Benedictus XII. Ioannis ſucceſſor in libello, qui Manuſcriptus aſſeruatur in Bibliothecâ Vaticanâ Codice* 4006. *Teſtatur autem*

idem Pontifex verbis ſuperiùs allatis, ſe edidiſſe Conſtitutionem de Concilio Cardinalium, quam puto eſſe illam, quæ incipit Benedictus Deus in donis ſuis, *& data eſt Auinione ſecundo anno ſui Pontificatus 4. Kal. Feb. in quâ de hâc ipsâ quæſtione refert :* Cùmque idem Prædeceſſor, ad quem prædictorum determinatio pertinebat, ad deciſionem concertationum huiuſmodi ſe pararet in ſuo Conſiſtorio publico, tam fratribus ſuis S. R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, quàm Prælatis & Magiſtris in Theologiâ, qui multi aderant tunc præſentes, iniungendo diſtrictiùs & mandando, vt ſuper materiâ de viſione prædictâ, quando requirerentur ab eo, deliberatè vnuſquiſque diceret, quod ſentiret: tamen morte præuentus, ſicut Domino placuit, perficere id nequiuit. *Hæc Benedictus teſtis oculatus de Ioanne XXII. in Bullâ, quam originalem pro ſingulari in Eccleſiaſticæ Antiquitatis ſtudia amore Eminentiſſimus Cardinalis Caſanate, communis Eruditorum in Vrbe Mæcenas, mecum communicauit. Cùm enim hæc ipſa ſcriberem, factum eſt, vt reperta fuerit apud*

Benedictus XII. in Bulla, quæ Originalis Romæ aſſeruatur.

apud virum nobiliſſimum Bulla illa Benedicti XII. cum ſigillo plumbeo pendente in cordulis ſericis, ex quâ nonnullas varias lectiones excerpſi, & ſupradictum teſtimonium de verbo ad verbum deſcripſi. Ex hoc autem Benedicti teſtimonio colligitur, tantum abeſſe, quòd Ioannes XXIII. quidquam circa Quæſtionem de viſione beatificâ definiuerit, vt Cardinales potiùs & Prælatos ad ſententiam ſuam liberè promendam in Congregatione paulò antè mortem adhortatus ſit. Præter hoc autem teſtimonium aliud ſuppeditat ipſa Gallicana Eccleſia, cuius plures Antiſtites & Doctores à Carolo Rege in Caſtrum Vicennarum eo ipſo tempore conuocati declararunt. Multorum fide dignorum relatione audiuimus, quòd quidquid in hâc materiâ Sanctitas ſua (*Ioannes XXII.*) dixit, non aſſerendo ſeu opinando protulerit, ſed ſolummodò recitando. *Ita in Decreto, cui Doctores Pariſienſes cum Petro Paludano Patriarchâ Hieroſolymitano, & Petro Archiepiſcopo Rothomagenſi ſubſcripſerunt, & quod integrum Reſponſioni ſuæ ad Myſterium iniquitatis inſeruit Nicolaus Coeffeteau electus Maſſilienſis Epiſcopus, &*

Prælati Gallicani in Decreto de Viſione beatificâ.

nuper Buleus Tomo 4. *Hiſtoriæ Vniuerſitatis Pariſienſis Sæculo* 6. *ad annum* 1332. *iterùm retulit; ac originale in manibus Patrum Dominicanorum ſe Lutetiæ vidiſſe teſtatus eſt Philippus Gammachæus Doctor Sorbonicus in* 1. 2. *qu.* 4. *cap.* 2. *adiungens:* „Hæc pluſquam ſufficere, vt Adri- „ano & alijs occurratur, præſertim cùm „nemo ex ijs dicat, ſe vidiſſe Decretum „Ioannis, ſed tantùm ex relatione alio- „rum audiuiſſe.

Gammachæus.

Capite 25. *opponit Auctor Tractatus Hiſtorici Concilium Baſilëenſe, quod ait Secundâ ſeſſione ſuperioritatem Concilij ſupra Pontificem decidiſſe, & cùm poſteà anno* 1432. *Eugenius Quartus Concilium diſſoluiſſet, illius facti eum adeò pœnituiſſe, vt anno ſequenti nouam Conſtitutionem ediderit, quâ declarauit, ſe caſſare, reuocare, nullum & irritum declarare, quidquid à ſe vel nomine ſuo in præiudicium & derogationem Baſilëenſis Concilij factum erat.* „Et hoc, *inquit*, adeò authen- „ticum, adeò ſolemne fuit, vt ipſe Pius II. „in Bullâ ſuæ Retractationis bonâ fide „admittat, quòd Eugenius Papa conſen- „ſerit Decretis Concilij, approbans ſuum pro-

Auctor Tract. Hiſt. pag. 227.
Et cela fut ſi authentique, & ſi ſolennel, que Pie II. meſme dans la Bulle de ſa Retractation, avoüe de bonne foy, que le Pape

„progreſſum & continuationem ac reuo-„cans Bullam, quâ illud diſſoluerat. „ *Hæc Auctor ille ex Bullâ Retractationis; quæ tamen Pius II. nullibì tradidit. Fatetur magnus ille Pontifex de ſuo anteceſſore:* Acceſſit & ipſius Eugenij conſenſus; *ſed Decretorum non meminit, quin potiùs expoſiturus illa, circa quæ conſenſus acceſſit, immediatè poſt ſupracitata verba ſubiungit:* Qui diſſolutionem Concilij à ſe factam reuocauit, & progreſſum eius approbauit. *Solum itaquè progreſſum Concilij Baſileënſis probauit, non verò decreta de ſuperioritate Conciliorum, quibus eum magno animi vigore reſtitiſſe, ex pluribus monumentis, dũ opus erit, probare licebit.*

Eugene conſentit aux Decrets de ce Concile, approuua ſon progres, & ſa continuation, & reuoqua la Bulle, par la quelle il l'auoit diſſous.

Pius II.

Redeamus interim ad Pium II., de quo iterùm refert Auctor Tractatus Hiſtorici cap. 25. quòd ſententiam cum Pontificatu mutarit, ita tamen, vt priorem opinionem, quam in Synodo Baſileënſi tamquam eius Secretarius de ſuperioritate Concilij defenderat, confeſſus ſit, eſſe antiquam doctrinam: Tuebamur (*inquit Pius in Bullâ Retractationis agens de ſermone cum Cardinale Iuliano, qui ad Eugenium rediuerat, & ſuperioritatem Pontificis ſuſtine-*

Tract. Hiſtor. pag. 302.

Nous defendions, dit ce Pape, l'ancienne doctrine, & luy prenoit la defenſe, & le parti della nouuelle opinion. Nous exaltions l'au-

nebat) antiquam doctrinam, ille nouam opinionem defendebat: extollebamus Generalis Concilij auctoritatem, ille Apoſtolicæ Sedis poteſtatem magnoperè commendabat. „ En loqui valdè clarè, *ſubdit* „ *Auctor*. Papa ille, qui voluit cum con„ditione ſenſum mutare .... præcisè & „ bonâ fide in Bullâ ſuâ declarat, quòd „ doctrina de ſuperioritate Concilij, cuius „ defenſionem anteà ſuſceperat, ſit ipſius „ antiquitatis, altera verò noua „. En loqui valdè clarè, *inquit Auctor, ex Bullâ Pij II. rursùs adducens, quod in eâ numquam reperire poterit. Dicit enim, Pium II. aſſerere, quòd primò tenuerit* doctrinam antiquitatis, *id quod Pius nullibì ſcripſit. Licèt enim fateatur in Bullâ:* Tuebamur antiquam ſententiam, ille nouam defendebat: *hoc non eſt dicere*, Tuebamur antiquã doctrinam, ille nouam opinionem defendebat, *vt Auctor Gallicè vertit: hoc non eſt aſſerere*; Tuebamur doctrinam antiquitatis, ille nouam ſuſtinebat, *vt Auctor poſteà exponit. Non enim agebat ibi Pius II. de doctrinâ antiquitatis, ſed de ſolâ ſententiâ Cardinalis Iuliani, quam varijs temporibus tenuerat, & antiquam ac*

torité du Concil vniuerſel, & luy ſaiſoit extremement valoir la puiſſance du Siege Apoſtolique; Voilà parler fort clairement. Ce Pape, qui voulùt bien changer d'auis en changeant de condition . . . . . declare dans ſa Bulle nettement & de bonne foy, que la doctrine, dont il auoit auparauant entrepris la defenſe touchant la ſuperioritè du Concile, eſt celle de l'antiquitè, & que l'autre eſt nouuelle.

Nous defendions l'ancienne doctrine, & luy prenoit la defenſe, & le parti della nouelle opinion.

no-

nouam vocabat; antiquam, quam tempore Concilij Baſileenſis propugnarat; nouam verò, quam poſteà amplexus erat, & in congreſſu, de quo loquitur Pius II. ſuſtinebat. Priorem itaque vocat antiquam, non quia antiquorum Patrum doctrinam eſſe credebat, ſed quia ante viginti & plures annos eam Cardinalis Iulianus defenderat: poſteriorem verò dicit nouam, non quia contra antiquitatem faciebat, ſed quia idem Iulianus eam contra priorem ſententiam tenebat.

Quòd autem hic ſit ſenſus verborum Pij II, adeò certum eſt, vt Auctor errorem ſuum agnouerit, & in ſecundâ Tractatus Hiſtorici editione, quæ Pariſijs anno 1685. *prodijt, loco horum verborum,* En loqui valdè clarè, *ſequentia adiunxerit:* „Scio „benè, quòd mihi obijci poſſit, per hæc „verba; *antiquam ſententiam*, à Pio II. in„telligi opinionem, quam anteà ſuſtinue„rat, & antiquam appellabat reſpectu al„terius, quam poſteà ſuſceperat. Sit ita. „Sed hoc non impedit, quò minùs cre„diderit, eam ipſam opinionem eſſe abſo„lutè antiquam &c. *Peruenit ad manus meas hæc Auctoris expoſitio, poſtquàm ſu-*

Auctor Tractatus Hiſtorici in 2. editione: Ie ſcay bien, qu'on me pourra dire, que par ces paroles *antiquam ſententiam*, Pie entend l'opinion qu'il ſouſtenoit auparauant, & qu'il appelle l'ancienne à l'egard de celle, qu'il auoit depuis embraſsée. Ie le ueux. Mais cela n'empeſche point du tout, qu'il n'ait crû, que cette meſme opinion

pe-

eſtoit abſolument l'ancienne &c.

periùs allata annotaueram: & cùm ſupponat, Pium II. in Bullâ ſuæ Retractationis per antiquam ſententiam *intellexiſſe illam, quam ipſemet anteà tenuerat, videre non poſſum, quâ ratione, quo fundamento Auctor adiunxerit, id non impedire, quò minùs Pius II. crediderit, eam ipſam opinionem eſſe abſolutè antiquam, eamque planè, quam Antiquitas ſuſtinuerat. Hoc enim vt verum ſit, debuiſſet Pius II. contra propriam conſcientiam retractaſſe ſententiam antiquitatis, & fideles in nouitatis errorem ſcienter induxiſſe. Quod quomodò in Auctoris noſtri animum incidere potuerit, fateor me ignorare.*

Pius II. in Bulla retractatoria ad Vniuerſitatem Colonienſem.

Pius II. clarè mentem ſuam exponit ſcribens in Bullâ ſuâ Retractatoria: Romanus Pontifex etſi filius eſt propter regenerationem, propter dignitatem tamen Pater habetur: & ſicut filiationis cauſâ venerari debet Eccleſiam tamquam Matrem, ita & prælationis cauſâ præfertur ei vt Paſtor gregi, Princeps populo, Rector familiæ.

Auctor Tract. hiſt. edit. ſecunda. Il eſt euident, que par ces paroles on prêfere le Pape à l'Egliſe.

„ *His enim verbis (ipſo Auctore fatente)* „ *euidenter Pontifex præfertur Eccleſiæ* „. *Manifeſtè quoquè declarat ſententiam ſuperioritatis Pontificiæ, quando ſcribit:* In

Ec-

Eccleſiâ militanti, quæ inſtar triumphantis habet, vnus eſt omnium moderator & arbiter Ieſu Chriſti Vicarius, qui ſupremam à Deo poteſtatem ſine medio conſequitur, & per ordinem in omnem diffundit Eccleſiam, cuius peccata diuino iudicio punienda relinquuntur. *Hanc ſupremã poteſtatem ex ipſo Euangelio oſtendit diuinitùs Petro collatam, & hæreditario iure in ſucceſſores ipſius Romanos Pontifices deriuatam eſſe.* Atque ità, *inquit*, in hunc vſquè diem ſeruatum eſt, vt qui Romæ ſederit Antiſtes ritè inſtitutus, per legitimum electionis tramitem tamquàm Aaron vocatus à Domino, hunc omnes Chriſtianæ plebes, omnes populi, omnes Reges, omnes Clerici, omnes Epiſcopi tamquam Ieſu Chriſti Vicarium, & Beati Petri Succeſſorem, Vniuerſalis Eccleſiæ Caput, ac Rectorem, & Ducem venerati ſint. *Enumerat inter fideles illos primitiuæ Eccleſiæ Martyres, qui pro Chriſti nomine aſperrimos cruciatus perpeſſi ſunt, egregios Confeſſores Epiſcopos, qui vitâ, moribus, & doctrinâ illuſtres ad cæleſtem gloriam peruenerunt. Illorum autem ſententiam tamquam venerandæ Antiquitatis doctri-*

nam errori Baſilëenſium opponit, rogans omnes, vt ſiquid vmquam contrà hanc ſententiam ſcripſerit, id reſpuerent, atque contemnerent. Sequimini, *inquit*, quæ nunc dicimus, & ſeni magìs, quàm iuueni credite, nec priuatum hominem pluris facite, quàm Romanum Pontificem: Æneam reijcite, Pium recipite. *Quid clarius, quid ſincerius à Pio II. dici potuit, aut poſterorum memoriæ conſecrari? Profitetur magnus ille Pontifex, ſe ex venerandæ Antiquitatis traditione ſupremam Apoſtolicæ Sedis Auctoritatem defendendam ſuſcepiſſe, & de eâ rursùs his verbis finem dicendi facit:* Hæc noſtra ſententia eſt, hoc credimus, & profitemur: hæc iam ſenes, & in Apoſtolatus apice conſtituti pro veritate aſſerimus.

Atque hæc ſufficiant pauca ex multis, vt ſi quis ex lectione Tractatus Hiſtorici præoccupatus ſit, & præiudicijs laboret, ijs liberetur, dum videt, Tractatum illum factis inniti, quibus contradicere licet. Nemo quidem dubitat, quin, quod ſemel factum eſt, infectum fieri nequeat: ſed nemo quoquè ignorat, quin facta aliter proponi poſſint, quàm re ipsâ contigerunt. Hoc

non

non in tribus dumtaxàt ſuperiùs relatis, ſed in omnibus fermè factis ab Auctore exhibitis accidiſſe probarem, ſi integrum eius Tractatum Hiſtoricum, & non partem potiùs aliquam examinandam ſuſcepiſſem. Verùm cùm ſolùm ea, quæ ad Concilium Conſtantienſe ſpectant, & ab Auctore à capite 22. vſque ad caput 26. contra me ſcripta ſunt, elucidare decreuerim, finem Præfationi imponam, & quàm grauiter ab Auctore circa partem illam erratum ſit, in ipſius Operis decurſu latiùs oſtendam.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

I. de Angelis Archiepiſc. Vrbin. Viceſger.

Imprimatur

F. Dominicus Maria Puteobonellus
Sacri Apoſtolici Palatij Magiſter.

IVſſu Reuerendiſſimi Magiſtri Sacri Palatij Apoſtolici Dominici Mariæ Puteobonelli attentè perlegi librum, cui titulus eſt: Tractatus de Senſu & Auctoritate Decretorum Conſtantienſis Concilij Seſſione Quarta & Quinta circa Poteſtatem Eccleſiaſticam editorum, cum Actis & Geſtis ad illa ſpectantibus, & ex MM. SS. Italicis, Germanicis, ac Gallicis nunc primùm in lucem erutis, opera ac ſtudio D. Emanuelis A Schelſtrate S. T. D. Bibliothecæ Vaticanæ Præfecti &c. *à quo non modò quidquid à Fide aut à bonis moribus abſonum eſt, arceri perſpexi, verùm etiam plurima ad ſolidæ doctrinæ & ſinceræ veritatis fulcimentum tanquam ex pleno eruditionis theſauro ſuppeditari agnoui. Itaque & typis digniſſimum; & neceſſarium ad communem vtilitatem Opus eſſe cenſeo. Ex Collegio de Propaganda Fide hac die 12. Iulij 1685.*

Ioannes Paſtritius S. T. D. & Polemicæ Theologiæ in eodem Collegio Lector.

COMPENDIVM CHRONOLOGICVM

Rerum ad Decreta Conſtantienſia, eorumq; Senſum & Auctoritatem ſpectantium.

VT Conſtantienſis Concilij Hiſtoriam à ſuâ origine Anni Chriſti
repeterent Actorum ipſius compilatores, notare conſueuerunt, quòd ex Piſano cœperit, Piſanum verò Concilium ortum habuerit ex horrendo Schiſmate, quod ſequenti occaſione inconſutilem Chriſti tunicam, id eſt Eccleſiam, dilacerauit.

Clemens Quintus ex Archiepiſcopo Bur- 1305.
degalenſi in Romanum Pontificem eligitur, qui pro ſuo in Nationem Gallicanam amore Sedem Apoſtolicam Auenionem tranſtulit, vbi pluſquam 70. annis ſub varijs Pontificibus permanſit.

Gregorius XI. hortante etiam S. Catha- 1378.
rinâ Senenſi ad Vrbem redijt, eòque 27. & ſeq.
Martij Romæ fatis functo, Cardinales ad inſtantiam plebis Papam Italum petentis elegerunt 8. Aprilis Archiepiſcopum Ba-

Anni Chriſti 1378. renſem, qui ſe Vrbanum VI. nominauit. Cardinales verò Galli, cum tribus Italis, aſſerentes eum per metum electum, Fundis conueniunt, & 25. Septembris Robertum ex Comitibus Gebennenſibus elegerunt in Pontificem, qui Clementis Septimi nomen aſſumpſit, & Cathedram rursùs Auenionem transferre conatus eſt. Ex pluribus M. SS. Codd. Bibliothecæ Vaticanæ, & Actis Piſani Concilij editis Tomo 6. Spicilegiorum Lucæ d'Acherij, & Tomo XI. Conciliorum Philippi Labbei.

25. Sept.

Ex horum duorum electione ortum habuit magnum & horrendum Schiſma, cui nullum ſimile fuit, neque temporis diuturnitate, neque cauſæ & rei dubietate, neque Regnorum & Prouinciarum diuiſione. Clementi enim Septimo adhæſerunt omnes Galliæ ab Alpibus incluſiuè vſque ad Belgium & Oceanum Britannicum, Scotia, Hiſpania cum Inſulis eidem ſubditis, Cyprus, Rhodus, & Ianua. Vrbano autem paruerunt reliqua Regna & Prouinciæ, Italia nimirùm cum ſuis Inſulis, Germania, Belgium, Bohemia, Hungaria, Polonia, & Anglia. Ex Appendice ad Conſtantienſe Concilium Tomo XI.

Phi-

Philippi Labbei, & pluſquam ſex Manu- Anni Christi
ſcriptis Bibliothecæ Vaticanæ Codicibus. 1378.

Mortuo Romæ Vrbano Sexto, à Car- 1389.
dinalibus iſtius Obedientiæ quarto Nonas
Nouembris electus eſt in eius locum Bo-
nifacius Nonus, cui anno 1404. ſucceſſit 1404.
Innocentius Septimus, qui vnà cum Car-
dinalibus in Conclaui exiſtentibus ſeſe iu-
ramento adſtrinxerat ad cedendum Papa-
tui, quotiès alterius Obedientiæ Pontifex
idem faceret. Quod iuramentum præſti-
tit quoquè Innocentij ſucceſſor Grego-
rius XII. Anno 1406. Menſe Decembris in 1406.
Pontificem electus, ſicut & præſtiterat A-
uenione Petrus de Lunâ Benedictus XIII.
in Clementis Septimi ſucceſſorem anno
1394. ſubſtitutus. Ex Actis Piſani Con-
cilij, Leonardo Aretino, & Theodorico
Niem Scriptoribus contemporaneis.

Gregorio XII. & Benedicto XIII. promiſ- 1408.
ſionem cedendi Pontificatui non adim-
plentibus, Cardinales vtriuſque Obedien-
tiæ ab ijs receſſerunt, & duos illos de Pa-
patu contendentes ad Concilium pro ex-
tirpatione Schiſmatis, & vnione Eccleſiæ
anno ſequenti habendum euocarunt. Ex
Actis Piſani Concilij Tomo 6. Spicilegij
Lu-

Anni Chriſti 1408. Lucæ d'Acherij, & Tomo XI. Conciliorum Labbei editis, vbi ipſæ Cardinalium epiſtolæ hâc de re Liburni hoc anno editæ exhibentur.

Benedictus XIII. poſt ſubtractam ſibi per Galliæ Regem Obedientiam fugit in Arragoniam ad Perpignianum, & ſeſe Concilij iudicio ſubiectum non eſſe reſpondit: Gregorius vero XII. Senas retroceſſit, ad ſe Concilij conuocationem ſpectare conſtanter aſſeruit, ipſoſque Cardinales ad aliud Concilium in Prouinciâ Aquileienſi euocauit. D. Antoninus Parte III. Chronicorum, Tit. 22. §. 3. & huius Tractatus Diſſertatione II. Capite 2.

1409. Celebratur ab vtriuſque Obedientiæ Cardinalibus Piſanum Concilium, in quo tantum abeſt, deciſam fuiſſe Quæſtionem de ſuperioritate Concilij, vt ne quidem deciſa fuerit Queſtio de Auctoritate Concilij ſupra Papam tempore Schiſmatis: Licèt enim Vniuerſitatum Pariſienſis & Bononienſis ſententia eſſet, quòd *Stante dubio Papatus inextricabili propter dubium facti & iuris* prouiſio ſpectet ad Concilium, & Eccleſiam Vniuerſalem; Patres tamen Piſani non auſi fuerunt hoc titulos

duo

duos de Papatu contendentes deponere, Anni Chriſti 1409.
ſed voluerunt primùm probari, Gregorium & Benedictum ad inuicem colludere, & non quidem docendo, ſed operando contra Articulum Symboli de vnâ Eccleſiâ Catholicâ ſchiſma fouere, eoſque proinde tamquam ſchiſmatis nutritores, & veros hæreticos cenſeri debere. Ex Actis Piſani Concilij à Notarijs conſcriptis hactenùs non editis, vtì ex Actis Tomo VI. Spicilegiorum Lucæ D'Acherij, ac Tomo XI. Conciliorum à Philippo Labbeo editis, ex quibus vltimis id ipſum traditur ab Auctore Magni Schiſmatis Occidentis ad hunc annũ. Vide Diſſertationem noſtram II. cap. I. art. I.

Die 5. Iunij ſeſſione 15. Patres Piſani Menſe Iunij. Die 5.
viſis & diligenter inſpectis omnibus & ſingulis productis, probatis, & agitatis in præſenti causâ, habitâque priùs inter ſe ipſos, & demùm cum copiosâ multitudine Magiſtrorum in Sacrâ Theologiâ, atque Vtriuſque Iuris Doctorum pluriès diligenti collatione, tandem deliberatione maturâ in prædictos tamquam de Papatu colludentes, ſchiſmaticos, & veros hæreticos ſententiam depoſitionis pronuntiant, & die

Anni Chriſti 1409. Menſe Iunij die 26. 26 Iunij Cardinales in eorum locum eligunt Petrum de Candiâ Ordinis Minorum, qui ſe Alexandrum V. nominauit. Ex Actis Piſani Concilij editis & ineditis.

Depoſitis in Concilio Piſano duobus contendentibus, & in eorum locum ſuffecto Alexandro V. Schiſma non extinctũ, ſed adauctum fuit, nihilq; aliud Patres Piſani aſſecuti ſunt, quàm vt duobus de Papatu contendentibus tertium adiecerint. Non obſtante enim dictâ depoſitione, Benedicto adhæſerunt Regna Scotiæ, Nauarræ, Caſtellæ, & Arragonum cum Sardiniâ, Maioricâ, & Canarijs Inſulis, alijſq; Terris tam Regi Arragonum, quàm Comitibus Fuxi, & Armeniaci ſubiectis: Gregorio verò XII. dudùm poſt Piſanum Concilium paruerunt Regnum Siciliæ, & Regnum Neapolitanum, & vſque ad Seſſionem 14. Conſtantienſis Concilij in ipſius Obedientiâ fuerunt Carolus de Malateſtis cum Romandiolâ, Duces Bauarię cum pluribus Epiſcopis Germaniæ, vltra plures timoratos, qui Gregorium vſque ad ceſſionem Papatus pro vero Pontifice habuerunt, vt teſtis eſt D. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus Parte III. Chronicorum,

rum, Tit. 22. vbi affirmat, Gregorium XII. non colluſiſſe, nec ſchiſmaticum, aut hęreticum fuiſſe. Vide Diſſertationem II. cap. 1. art. 1. infrà. Anni Chriſti 1409.

Mortuo Alexandro V. ab eius Obedientiæ Cardinalibus in Pontificem eligitur Balthaſſar Coſſa Legatus Bononienſis, qui Ioannis XXIII. nomen aſſumpſit, & cum Imperatore Romanorum Sigiſmundo Laudam anno 1413. conuenit, vbi pro extirpatione Schiſmatis, & vnione Eccleſiæ Conciliũ Conſtantienſe ad annum ſequentem conuocauit. Ex Bullâ conuocationis ſeſſione 1. Conſtant. Concilij. 1410. & ſeqq.

Ioannes die 28. Octobris publicè Conſtantiam intrauit, & 16. Menſis Nouembris Primam Seſſionem habuit, in quâ nihil omninò actum eſt de materiâ Vnionis, ſicut nec poſt illam Seſſionem vſque ad finem Ianuarij anni ſequentis, *quia apud aliquos erat morbus Noli me tangere*, vt teſtantur Geſta Conſtantienſis Concilij in quatuor Manuſcriptis Codicibus, quibus conſonant ea, quæ edita ſunt à Philippo Labbeo in Appendice. 1414. Seſſio I. 16. Nou.

Die 19. Nouembris ante valuas Conuentus Auguſtinianorum, qui pro habita- 19. Nou.

Anni Chriſti 1414. tione Legatorum Gregorij XII. parabatur, affiguntur Inſignia, vulgò Arma, eiuſdem Pontificis, quæ ſequenti nocte de mandato forſan Ioannis XXIII. amota fuerunt; ob quod grauis quæſtio exorta eſt inter Patres Concilij, quorum aliqui Arma prędicta à Legatis apponi non potuiſſe, alij rectè appoſita fuiſſe exiſtimarunt: omnes autem in eo conuenerunt, quòd Gregorius ipſe, ſi perſonaliter Conſtantiam aduenïſſet, Arma Pontificia non obſtante Ioannis XXIII. præſentiâ potuiſſet affigere. Ex Regeſto Conſtantienſis Concilij in tribus Manuſcriptis Codicibus. Vide Diſſertat. III. cap. 2.

1415. Menſe Ianuar. Legati Gregorij petunt ſaluum conductum à Rege Romanorum, & Ioannes Dominici cum capello rubeo tamquam Cardinalis publicè Conſtantiam ingredi cupit. Variæ hanc ob rem inter Patres exortæ ſunt diſceptationes, & quamuìs Ioannes XXIII. indubitatus Pontifex haberi volens Gregorium inſtar Pſeudopontificis ob hæreſim Piſis damnati, eiuſque Legatos minimè audiendos eſſe putauerit, Concilium tamen Ioannis mentem in hoc minimè ſecutum fuit, & quæſtionem de Iu-

re

re Pontificatus intactam relinquens, Ioanni Dominico in habitu Cardinalitio Conſtantiam die 22. Ianuarij ingredi permiſit. Ex Regeſto ſuprà, & Actis Conſtantienſis Concilij in Bibliothecâ S. Victoris Lutetiæ Pariſiorum aſſeruatis. Vide Diſſertat. III. cap. 2. Anni Chriſti 1415.

Cùm Ludouicus Bauariæ Dux pro Obedientiâ Gregorij XII. obtuliſſet Patribus Concilij, quòd ſeſe vniret, & Gregorius ipſe perſonaliter ad Concilium accederet, ſi Ioannes XXIII. à præſidentiâ ipſius remoueretur, nonnulli Patres exinde anſam arripuerunt agendi de materiâ Vnionis. Circa initium itaq; menſis Februarij cùm Cardinalis Sancti Marci ſchedulam publicaſſet, quâ de varijs vijs, quibus ad vnionem perueniri poteſt, mentem ſuam exponebat, & de viâ coactionis nonnulla ſcripſiſſet, quæ Ioannis XXIII. auctoritatem lædere videbantur, pro auctoritate eiuſdem Pontificis tres ſchedulę editę ſunt, in quibus pro hæretico habendus eſſe dicebatur, qui indubitatum Pontificem de nullo hæreſis crimine infamatum ad Pontificatui cedendum cogi poſſe, tuetur. Quibus ſchedulis per nonnullos priuatìm Conſtan- Menſe Febr.

Anni Christi 1418. ſtantiæ editis, aliam ſchedulam vulgauit Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracenſis, in quâ per modum Concluſionum de aliorum opinionibus mentem ſuam expoſuit. Ac primâ quidem Concluſione ſupponit agi de Pontificatu, quem licèt Obedientia Ioannis XXIII. eidem canonicè competere exiſtimabat, aliæ tamen duæ Obedientiæ probabiliter contrarium tenebant; quòdque in eâ opinionum diuerſitate non eſſent minores difficultates Iuris & Facti, quàm erant ante Piſanum Concilium. Statuit autem Concluſione ſextâ, quòd attentâ perplexitate caſus præſentis, contendentes pro pace Ecceſię accelerandâ, poſſint ad ceſſionem compelli, & nolentes cedere, deponi; eamque Cardinalis Cameracenſis opinionem Concilium poſteà ſecutum fuiſſe, ex infrà dicendis conſtabit. Ex Geſtis Conſtantienſis Concilij in quatuor Manuſcriptis Codicibus, & Appendice eiuſdem Synodi apud Labbeum Tomo XI. Conciliorum.

Menſe Martij. Concilium prætermiſſo tunc ſupradictorum examine, ſolam viam ceſſionis tentandam eſſe credidit, & pro eâ apud Ioannem XXIII. inſtare cœpit, qui die 2.

men-

menſis Martij in Seſſione publicâ obtulit, ſe Papatui ceſſurum pro Vnione Eccleſiæ, caſu quo alij duo de Papatu contendentes per ſe, vel per Procuratores cederent. Ex Geſtis Manuſcriptis, Regeſto, & Actis editis. Anni Chriſti 1415. Seſſ. II.

Die 11. Martij cœpit Rex Romanorum cum Nationibus Galliæ, Germaniæ, & Angliæ inſtare apud Ioannem XXIII. quòd vellet conſtituere Procuratores ad cedendum Papatui, vbi & quando Concilio videretur expedire. Quod cùm Ioannes animaduerteret excogitatũ, ad ipſum ante duos alios de Papatu contendentes Pontificatu priuandum, nihil intentatum reliquit, vt hoc telum à ſe auerteret, obtulitque die 15. eiuſdem menſis, ſe Papatui ceſſurum pro Vnione Eccleſiæ; & caſu quo per ipſum ſtaret, quò minùs Vnio fieret, tunc ab omnibus vellet haberi pro non Papâ, & perinde ac ſi Papatui expreſsè renuntiaſſet. Verùm perſiſtentibus Germaniæ, & Angliæ Nationibus in petendo Procuratorio, & die 19. Martij accedente ad earum Concluſionem maiori parte Nationis Gallicanæ, Papa hoc ſentiens poſt mediam noctem inter diem Mercurij & Io- Die 11. Martij. 15. Mar. 19. Mar.

Anni Chriſti 1415. Die 21. Martij. Iouis 21. Martij fugam arripuit Duce Auſtriæ Frederico illum conduci faciente, & Scaffuſam quatuor milliaribus Germanicis à Ciuitate Conſtantienſi diſtantem peruenit. Ex Geſtis Conſtantienſis Concilij hucuſque non editis, quibus conſonant cætera Acta & monumenta iſtius temporis.

Magna animorum turbatio oritur Conſtantię ex diſceſſu Papę, & ex eius Mandato, quod ſtatim poſt ſuam fugam miſit Conſtantiam affigi valuis Eccleſiæ, quo omnes Romanæ Curiæ Officiales, ſuoſque familiares Scaffuſam euocabat. Vnde Colle-
Die 22. Martij. gium Cardinalium die 22. Martij nominauit tres Cardinales Legatos ad Papam, ne Concilium diſſolueret, ſed Procuratores ad renuntiandum Papatui conſtitueret.
23. Mart. Legatis autem die ſequenti ad iter ſeſe parantibus, monentur omnes Cardinales pro parte Regis Romanorum, & Nationum, vt vellent intereſſe Miſſæ Sancti Spiritus pro Vnione Eccleſiæ, & extirpatione Schiſmatis. Poſt quam Miſſam habuit ſermonem Ioannes Gerſonius Vniuerſitatis Pariſienſis Cancellarius in derogationem Iuriſdictionis Apoſtolicæ, vt fidem

dem facit Regeſtum Actorum Conſtantienſium in tribus Manuſcriptis Codicibus, & fuſiùs oſtenditur Diſſert. II. cap. 1. art. 2. huius Tractatus. Anni Chriſti 1415.

Occaſione huius ſermonis à Ioanne Gerſonio die 23. Martij coram Patribus habiti orta eſt quęſtio tam Scaffuſæ, quàm Conſtantiæ de Poteſtate Eccleſiaſticâ. Cùm enim tres Cardinales Legati eodem die 23. Conſtantiâ diſceſſiſſent, & vnà cum illis Archiepiſcopus Rhemenſis, Ludouicus Bauariæ Dux, & Nicolaus de Caluillâ Regis Galliæ Oratores ad Ioannem perueniſſent, ac de ſero cum eodem locuti fuiſſent, Papa amaro animo conqueſtus eſt cum Oratoribus prædictis, quòd Ioannes Gerſonius vnus ex ipſorum Collegis quædam contra Sedis Apoſtolicæ Auctoritatem effutire auſus fuiſſet, alioſque Patres ad falſa, & erronea contra Romanum Pontificem concludenda incitaſſet. Hæc autem querela apud Oratores Chriſtianiſſimi Regis interpoſita effecit, quòd eâ de re cum Cardinalibus egerint, & ſeſe cum ijs coniunxerint, ac Decretis contra Sedis Apoſtolicæ Auctoritatem edendis obſtiterint. Ioannes verò eodem die 23. Martij Die 23. Martij.

Anni Chriſti 1415. Die 23. Martij. datis ad Wladiſlaum Poloniæ Regem, aliosq; Principes litteris conqueſtus eſt inter alia, quòd Conſtantiæ ſuffragia Patrum neque libera eſſent, neq; ſingulorum vota in Seſſionibus audirentur, ſed quatuor ſuffragia quatuor Nationum per earum Præſides lata totam auctoritatem Concilij repræſentarent. Ex Regeſto & Geſtis Manuſcriptis Conſtantienſis Concilij Romæ aſſeruatis, vtì ex Actis Pariſijs in Bibliothecâ S. Victoris cuſtoditis: item ex Turrecrematâ lib. 2. de Eccleſiâ, cuius teſtimonium vide Diſſert. II. cap. 2.

Die 25. & 26. Martij. Archiepiſcopus Rhemenſis Conſtantiam redux fruſtrà offert Regi Romanorum, & Nationibus Procuratorium nomine Ioannis XXIII. Exacerbatis enim ob ipſius fugam Patrum animis, cuncta, quæ pro illo offerebantur, figmentorum inſtar habita ſunt. Et feriâ tertiâ poſt Palmas, Seſſio III. quæ fuit 26. Martij, celebrata eſt ante meridiem Tertia Seſſio, cui non interfuêre niſi duo Cardinales, Cameracenſis nimirùm, & Florentinus, reliquis omnibus aut Scaffuſæ conſtitutis, aut indecorum reputantibus eidem aſſiſtere, vt fidem faciunt Acta Victorina Pariſijs aſſeruata. Statutum

tum fuit in illâ Seſſione, Concilium Conſtantienſe per receſſum Ioannis XXIII. diſſolutum non fuiſſe, ſed nec diſſolui debere ante extirpationem Schiſmatis, nec ad aliũ locũ ſine conſenſu Concilij transferri poſſe; nemini demùm ſine iuſtâ causâ ante finem Concilij diſcedere licere. Quæ omnia Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracenſis, & Franciſcus Zabarella Cardinalis Florentinus non aliâ ratione publicari permiſerunt, niſi ſub conditione, quòd Ioannes XXIII. ea ratificaret. Omiſſam hâc de re à Baſilëenſibus in compilatione Actorum Conſtantienſium protestationem habes in Regeſto eiuſdem Conſtantienſis Concilij, & in Manuſcripto Codice Capranicenſi, ex quo eam edidit Philippus Labbeus in Appendice eiuſdem Synodi Tomo XI. Conciliorum. Anni Christi 1415.

Poſt Tertiam Seſſionem eodem die 26. Martij Conſtantiam reuerſi ſunt tres Cardinales Legati cum duobus alijs, qui de ſero coram Rege Romanorum, & quibuſdam Patribus agere cœperunt de Auctoritate Ioannis XXIII., qui ſibi tamquam vero & indubitato Pontifici auctoritatem diſſoluendi Concilium competere exiſtima- Die 26. Martij.

Anni Christi 1415. Die 26. Martij. mabat; eâque occaſione locuti ſunt contra ipſum Concilium, ſcilicet quòd diſſolutum eſſet propter abſentiam & diſceſſum Papæ. Cùm verò nonnulli Patres ſeſe acritèr opponerent, ſuſcitato contra Cardinales clamore, Cardinales inſalutato hoſpite abierunt. Theodoricus de Niem in vitâ Ioannis XXIII. Francofurti anno 1620. editâ.

Die 27. & 28. Martij. Die Mercurij poſt Palmas, Cardinales & Ambaſſiatores Regis Francorum volentes lenire, quæ præcedenti die pronuntiauerant, retulerunt Nationibus, & Regi in Congregatione publicâ, quòd Ioannem induxerant ad dandum Procuratorium, & continuandum Concilium, & non fugiendum ad loca remotiora, dummodò ipſi præſtaretur ſecuritas. Quæ parùm accepta fuêre Nationibus, & Regi; omnia enim tamquam ludicra, & fictè pro parte Ioannis oblata credebantur. Vnde multæ altercationes tam ipsâ die 27., quàm 28. ſequenti fuerunt inter Dominos Cardinales, & Nationes, fuitque ibidem exclamatum: *His non obſtantibus fiat Seſſio, fiat Seſſio*. Geſta Conſtantienſis Concilij in 4. Manuſcriptis Codicibus, & Regeſtum eiuſ-

eiuſdem Synodi in tribus Manuſcriptis. Anni Chriſti 1415.

Die Veneris Sancto Ioannes à Scaffusâ de nouo aufugit: vnde turbatis contra ipſum cunctorum animis plures ex Nationibus Germanicâ, Gallicâ, & Anglicanâ deliberarunt in craſtinum celebrare Quartam Seſſionem, & in eâ ſtatuere primò, quòd Concilium Conſtantienſe poteſtatem habeat immediatè à Deo, cui etiam Papa obedire teneatur in his, quę ſpectant ad Fidem, extirpationem Schiſmatis, & reformationem Eccleſiæ in Capite, & in membris. Secundò, quod cogi poſſit, ſi obedire contumaciter contempſerit. Tertiò, alia complura. Quæ omnia contradicentibus pluribus Patribus apud Nationes concluſa ſunt. Cùm autem non ſolùm Nationi Italicæ diſplicerent, ſed & Sacro Cardinalium Collegio ad deliberandum oblata non fuiſſent, noluerunt dicti Cardinales, & Ambaſſiatores Regis Galliæ ad Seſſionem venire, niſi inter alia Capitula Secundum omitteretur, & in Primo Decreto non fieret mentio reformationis Eccleſiæ in Capite, & in membris. Ex Manuſcriptis Geſtis & Regeſto Conſtantienſis Concilij, Eugenio IV. in ſuâ Apologiâ Die 29. Martij.

con-

Anni Chriſti 1415. contra Baſilëenſes, Turrecremata libro 2. de Eccleſiâ, cap. 99. & Roderico Calaguritano in Dialogo de Auctoritate Romani Pontificis; quorum teſtimonia vide Diſſertat. II. cap. 2. huius Tractatus.

Die 30. Martij. Seſſio IV. Sabbato in Vigiliâ Paſchæ, cùm Patres iam parati eſſent cum Mitris & Pluuialibus ad celebrandam Seſſionem Quartam, mediante Rege Romanorum *adhibitum eſt quoddam moderamen in expediendis in illâ Seſſione*, quòd nimirùm inter cætera Decreta omitteretur Secundum de Poteſtate coactiuâ Concilij, & in Primo Decreto nulla mentio fieret de reformatione Eccleſiæ, ſicut re ipſa obſeruatum fuiſſe teſtantur contra D. Maimbourg omnes Codices Manuſcripti Romę reperti, quorum Catalogum hoc Tractatu reperies præter alios omnes in Bibliothecâ Cęſareâ Viennæ, & alios in Bibliothecâ Salernitanâ propè Conſtantiam, ac in reliquâ Germaniâ, & ipsâmet Galliâ Lutetiæ Pariſiorum aſſeruatos, quibus conſonant Auctores contemporanei, quos videre licet Diſſert. I. cap. 2. & 3. infrà.

Cùm Cardinalis Florentinus, ad quem tamquam vltimum Cardinalem ſpectabat

pro-

pronuntiare Decreta in Seſſionibus publicis, veniſſet ad verba de Reformatione Eccleſiæ in Capite & in membris, quæ Nationes in ſcedulâ delere omiſerant, *Subſtitit; eaque falſa eſſe, & præter communem deliberationem addita* aſſeruit: vnde non ſolùm tunc omiſſa fuit clauſula de Reformatione, ſed eâdem Seſſione Quartâ Cardinales monuerunt Nationes, *quòd ſuſpenderent ad tempus materias illas, quæ habent magnas difficultates, & maturam exigunt deliberationem.* Abbas Panormitanus in Sententiâ finali, & Regeſtum Conſtantienſis Concilij in tribus Manuſcriptis Codicibus. Anni Chriſti 1415. Die 30. Martij

Poſt Quartam Seſſionem Patres Conſtantienſes non inſtituunt de articulis & Decretis controuerſis examen publicum coram Nationibus, neque ſtatuunt, coram Concilio ipſo habendum, ſed quaſi de re parui momenti ageretur, nominarunt aliquos, qui cum Cardinali Florentino deſuper agerent: vbi autem inter eos aliqualiter diſputatum eſt, Deputati quatuor Nationum die 2. Aprilis inter alia multa ſtatuerunt, *quòd proximâ Seſſione omnes articuli & clauſulæ concordatæ per Natio-* Die 2. Aprilis

nes

Anni Chriſti 1415. *nes in vltimâ Seſſione prætermiſſæ expediantur*. Regeſtum Concilij in tribus Manuſcriptis Codicibus,

Die 6. Aprilis Cum Cardinales nullatenùs Nationibus conſentirent quoad articulos & clauſulas Seſſione Quartâ prætermiſſas, eaſque ſe inuitis Seſſione Quintâ publicandas eſſe percepiſſent, ſtatuerunt primùm, non venire ad Seſſionem, ſicut & quatuor Cardinales ad eam venire noluerunt: vbi autem alij animaduerterunt, omnes ſine publico ſcandalo, & periculo diſſolutionis Concilij abeſſe non poſſe, ſtatuerunt ad Seſſionem venire, præmiſsâ tamen proteſtatione ſecretâ in Camerâ paramentorum Palatij Conſtantienſis, *quòd propter ſcandalum euitandum ad Seſſionem ibant; non animo conſentiendi his, quæ audiuerant in eâ ſtatui debere*. Eamdem proteſtationem fecerunt quoquè Legati Regis Galliæ, qui ſeſe quàm ſtrictiſſimè cum Cardinalibus coniunxerant: adeò vt non ſolùm contra mentem Ioannis XXIII. ſed & contra ſententiam totius Sac. Cardinalium Collegij, & ipſorum Galliæ Legatorum publicata ſint Decreta de Poteſtate Eccleſiaſticâ, quæ D. Maimbourg de ſuperiori-

tate Concilij intellecta non ſolùm indu- Anni Chriſti 1415. Menſe Apr.
tatę auctoritatis, ſed inſtar dogmatum
dei habenda eſſe credebat. Ex Regeſto
nſtantienſis Concilij in tribus Manu-
iptis Codicibus.
Præmiſſà proteſtatione, ad Seſſionem Seſſ. 5.
intam venerunt Cardinales, & inter eos
rdinalis Florentinus Canoniſtarum ſui
nporis facilè Princeps, ad quem tunc
ctabat Decretorũ publicatio, qui roga-
, vt Decreta legeret, munus illud exe-
i recuſauit: electus itaque Poznanien-
legit *Decreta per modum Conſtitutio-
n Synodalium, quia Cardinalis Flo-
tinus ea legere noluit*. Poſtquam au-
Decreta per modum Conſtitutionum
taſſet, idem electus Poznanienſis legit
in materia Fidei contra hæreſes Wic-
i, Hus, & Hieronymi de Praga. Ita
ta Conſtantienſis Concilij in quatuor
nuſcriptis Codicibus, Acta Protono-
orum in tribus Manuſcriptis, & alia
ditis. Vide Diſſert. I. cap. 2. & Diſ-
III. cap. 3. Lectis Decretis *tamquàm*
s (ante Seſſionem Quartam) *apud*
iones deliberatis & concluſis, dicere
lem potuerunt quatuor Præſides, quòd
 il-

Anni Christi 1415. illorum publicatio placeret maiori parti Nationum, non tamen Collegio Cardinalium. Cùm enim Cardinales poſt fugam Ioannis XXIII. fruſtrà petijſſent pro Sacro Collegio ſuffragium à Nationum ſuffragijs diſtinctum, ſepararunt ſeſe à Nationibus, earumque Congregationibus intereſſe noluerunt: vnde factum eſt, quòd Nationes ſine Cardinalibus deliberarint & concluſerint; ſicque à tertiâ Seſſione vſque ad ſeptimam incluſiuè *penè in omnibus Decretis Concilij factum eſt Cardinalibus, quòd tam arcto & breui tempore oſtenſa ſint Decreta iam concluſa in Nationibus, vt non fuerit in eorum poteſtate ſufficienter deliberare, & in magnum contemptum habiti fuerint*. Acta Manuſcripta Conſtantienſis Concilij in Bibliothecâ Regis Chriſtianiſſimi Pariſijs aſſeruata. Item Geſta eiuſdem Concilij in quatuor Manuſcriptis Codicibus Romæ reperta.

Menſe Maij Quamuìs igitur reperiatur, quòd ſingulis Seſſionibus præſederit vnus ex Cardinalibus, qui votum tuliſſe perhibetur, nullibì tamen ſignificatur, eum decem primis Seſſionibus pro Sacro Cardinalium Collegio votum tuliſſe. Id in Actis Conſtan-

ſtantienſis Concilij à quatuor Protonota- Anni Chriſti 1415.
rijs compilatis notatur, primò factum fuiſſe Seſſione XI. in Geſtis verò eiuſdem Concilij, non niſi Seſſione XIV. ibi enim habetur. *Et reſponderunt quatuor Prælati pro quatuor Nationibus Placet, & Cardinalis Oſtienſis pro Collegio Cardinalium Placet, & hoc nunc primò reſponſum eſt ex parte Cardinalium*. Vide Diſſert. II. cap. 3.

Seſſione XI. lecta eſt ſententia contrà Die 14. Maij Seſſio XI.
Ioannem XXIII. in quâ mentio fiebat criminis, & fautoriæ Schiſmatis, vt ſicut Concilium Piſanum eo titulo depoſuerat Gregorium & Benedictum, ita Concilium Conſtantienſe eodem titulo Ioannem XXIII. de Pontificatu cum ſuperioribus contendentem deponeret. Verùm, cum lectâ ſententiâ Cardinalis S. Marci cunctos Patres admonuiſſet, quòd Ioannes XXIII. ſæpiùs obtuliſſet conditiones Vnionis, & Procuratores ad nomine ſuo Papatui cedendum nominare voluiſſet, ſicque de fautoriâ Schiſmatis & crimine hæreſeos non conſtaret, Patres ſententiam ferre auſi non ſunt, ſed conſenſum ipſius Ioannis accedere voluerunt: vnde poſt Seſ-

Anni Chriſti 1415. ſionem XI. *Rex, Cardinales, & Deputati, pluresque alij tractauerunt materiam, quòd Papa conſentiret ſententiæ ſuæ depoſitionis, & ex abundanti renunciaret. Et fuit ordinatum, quòd aliqui Cardinales, videlicet de Vrſinis, Cameracenſis, de Thallanco, Saluciarum, & Florentinus irent ad Papam, qui erat detentus in oppido Sellæ ad duo milliaria, non tamen ex parte Concilij, ſed Collegij, ad perſuadendum ſibi contenta in dictâ cedulâ, qui iuerunt & Papa conſenſit*. Ita Geſta Conſtantienſis Concilij in quatuor Manuſcriptis Codicibus, & Acta eiuſdem à quatuor Protonotarijs conſcripta.

Die 29. Maij Seſſio XII. Seſſione XII. lata eſt in Ioannem ſententia, quam Concilium miſit ad Papam Sellæ detentum, qui vt ſeſe Concilio ſubiecerat, ita ſententiæ illius acquieuit, *& ex abundanti renunciauit*. Geſta Manuſcripta ſuperiùs citata, & alia Acta Conſtantienſis Concilij tam edita, quàm non edita.

Menſe Iunij die 15. & ſeq. Depoſito Ioanne XXIII. ſtatim Gregorius XII. de cedendo Pontificatui egit, & pro vnione ineundâ Conſtantiam miſit Carolum de Malateſtis, Dominum Ari-

mi-

minenſem, & pro Sede Apoſtolicâ Flaminiæ, ſiuè Romandiolæ Rectorem, qui Conſtantiam ingreſſus eſt die 15. Iunij, ac poſtridie Sigiſmundum Romanorum Regem ſalutationis causâ inuiſit, ſignificans, miſſum ſe à Gregorio ad dandam pacem Eccleſiæ, directumque eâ de causâ ad ipſum Regem, non ad Concilium, quòd illud Gregorius non approbaret. Ex Actis Conſtantienſibus in Bibliothecâ Sancti Victoris Lutetiæ Pariſiorum aſſeruatis. Anni Christi 1415. Die 15. Iunij & ſequen.

Seſſione XIV. facta eſt Vnio Obedientiæ Gregorij XII. in manibus Regis Romanorum; non verò Concilij: dederat namque Gregorius in mandatis tam Carolo de Malateſtis, quàm alijs Nuntijs ſuis Conſtantiæ conſtitutis, ne Concilij tamquam à Ioanne conuocati Auctoritatem agnoſcerent. Antequam igitur prædicti Nuntij ſeſe vnirent Patribus Concilij, conuenit inter vtramque Obedientiam, quòd non fieret mentio de Pontificatu Ioannis XXIII., & ex parte Gregorij fieret noua conuocatio Concilij, quæ duo Seſſione XIV. obſeruata fuerunt, vt patet ex omnibus Actis Conſtantienſis Concilij tam editis, quàm ineditis: in ijs enim refertur, Die 4. Iulij. Seſſio XIV.

Io-

Anni Chriſti 1415. Ioannem Dominici nomine Gregorij XII. Concilium Conſtantienſe conuocaſſe, & auctorizaſſe; ipſum verò Concilium per organum Archiepiſcopi Mediolanenſis dictam conuocationem & auctorizationem admiſiſſe, hiſque obſeruatis ceſſionem Papatus nomine Gregorij factam, eiuſque Obedientiam Obedientiæ Ioannis XXIII. vnitam fuiſſe.

Die 13. Decem. Poſtquam Sigiſmundus Romanorum Rex cum Deputatis Concilij Conſtantienſis ex vnâ parte, & Rex Arragoniæ cum Regum Caſtellæ, & Nauarræ Oratoribus, ac Comite de Fuxo de Obedientiâ Benedicti XIII. ex alterâ parte, ſępiùs Perpignani egiſſent de Vnione, tandem concordata inierunt die 13. Decembris in Capitulo Narbonenſis Eccleſiæ, quæ à Ciuitate Narbonenſium nomen obtinuerunt. Primus Articulus fuit, quòd fieret noua conuocatio Concilij ab vtriuſque partis Prælatis, ſic vt Patres Conſtantiæ congregati ſine vllâ mentione Generalis Concilij conuocarent Prælatos Obedientiæ Benedicti XIII., & Prælati illi vice verſa conuocarent Patres Conſtantiæ exiſtentes ad Concilium, in quo ſe vnirent, quâ vnione medi-

di-

liante *Conſtantienſe Concilium Vniuerſa-* Anni Chriſti 1415. Die 13. Decem.
e totius Chriſtianitatis fieret, quod iuxta
)bedientiam Benedicti nonniſi particula-
is Congregatio fuerat. Ita Regeſtũ Con-
tantienſis Concilij in tribus Manuſcriptis
Codicibus, aliaque Geſta & Acta edita &
nedita.

Quartâ Februarij in Congregatione 1416. Menſe Febr.
publicâ Patrum Conſtantienſiũ lecta ſunt
concordata Narbonenſia, *& ſingulariter
per ſingulos Cardinales, Patriarchas, Ar-
hiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Ambaſſia-
ores Regum, & Principum, atque vni-
erſaliter per vniuerſos approbata, confir-
nata, & obſeruari iurata*, ordinatumque,
quòd Collegium Cardinalium, & quæli-
bet Natio deputaret aliquos ad faciendum
omnia, quę ad executionem dictorum Ca-
pitulorum pertinebant, à quibus Deputa-
is ordinatæ ſunt litteræ conuocationis Hi-
panorum iuxtà formam ſequentem: *Mi-
eratione Diuinâ Epiſcopi, Presbyteri, &
Diaconi Cardinales, Patriarchæ, Archie-
piſcopi, Epiſcopi, Prælati, & cæteri in Con-
tantiâ Prouinciæ Maguntinenſis in Chri-
ti nomine congregati, Illuſtri Principi Fer-
dinando Dei Gratiâ Arragonum & Sici-*

liæ

Anni Chriſti 1416. *liæ Regi, &c.* Vbi nulla mentio fit Generalis Concilij, ſicut nec in toto Epiſtolæ contextu, vt quiſque videre poteſt in Actis Concilij Conſtantienſis ſeſſ. XXII.

Menſe Martij. Primâ die Martij intrauit Conſtantiam Generalis Magiſter Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede tamquam Orator Ferdinandi Regis Arragonum: vltimâ autem die Aprilis ſequentis nuntiatũ eſt Patribus, Regem illum in ſuâ reſolutum initia vitam cum morte commutaſſe, ex quo cùm in dubiũ vocaretur Vnio cum Obedientiâ Benedicti, 16. Maij allatæ ſunt litteræ Alphonſi primogeniti Regis Arragonum, qui Patri ſucceſſerat, & ſe eiuſdem propoſitum in materiâ Vnionis totis viribus perfecturũ promittebat. Lentè interim proceſſit negotium: & cùm 4. Iulij iuxtà concordata Narbonenſia Legati Regum Caſtellæ & Nauarræ, cum Oratoribus Comitis de Fuxi, & Prælatis Obedientiæ Benedicti XIII. Conſtantiæ adeſſe deberent ad Vnionem ineundam, nemo pro parte Regum, Principum, Communitatum, & totius illius Obedientiæ comparuit præter Generalem Ordinis B. Mariæ de Mercede Nuntium Regis Arragonum defuncti.

Ex

Ex Geſtis Conſtantienſis Concilij in quatuor Manuſcriptis Codicibus. Anni Chriſti 1416.

Poſt decem dies allatæ ſunt litteræ Regis, & Reginæ Caſtellæ *ad Congregationem quatuor Nationum in Conſtantiâ* (ſic enim inſcripſerant) non verò ad Concilium Generale Conſtantiæ congregatum, vtpotè quod Obedientia Benedicti XIII. ante ſuam Vnionem agnoſcere nolebat. *Lectæ autem fuerunt* 15. Iulij apud Deputatos, & *continebant, quòd Rex & Regina receperant litteras dictæ Congregationis exhortatorias mittendi Conſtantiam pro Vnione Eccleſiæ, cui rei adhuc vacare non potuerant obſtante morte Regis Arragonum Tutoris Regis Caſtellæ, qui Regnum Caſtellæ, & Regem gubernabat, ſed quàm primùm mitterent ad Conſtantiam ſuos Nuntios ſolemnes plenè inſtructos.* Ex iiſdem Geſtis Conſtantienſis Concilij in quatuor Manuſcriptis Codicibus. Die 14. Iulij.

Die 5. Septembris quinque Legati Alphonſi noui Arragonum Regis intrauerunt Conſtantiam, cũ quibus ſæpè actum eſt de ineundâ Vnione iuxtà Concordata Narbonenſia. Cùm autem illi in mandatis haberent, quòd ſeſe Concilio vnirent Menſe Septembris & Octob.

Anni Christi 1416. *aduenientibus Prælatis Hiſpaniæ*, quorum nemo hucuſque aduenerat, reſponderunt: *quòd videbatur ipſis expediens, expectare Legatos Regis Caſtellæ, quòd ille eſſet maior, & præcipuus Hiſpaniarum Rex*. Cùmque huic reſponſo non acquieſcerent Patres Concilij, poſt menſem integrum, quo hâc de re actum erat, *Legati Regis Arragonum dixerunt, quòd vellent ſe vnire Concilio, non tamen reputare eſſe Generale Concilium, neque agi de rebus Concilij Generalis, donec venirent Legati Regis Caſtellæ*. Geſta Conſtantienſis Concilij in quatuor Manuſcriptis Codicibus.

Die 15. Octob. Seſſione XXII. Vnio facta eſt cum Legatis Regis Arragonum ſub conditione, quòd haberent in Natione Hiſpanicâ voces tantæ auctoritatis, quantæ eſſent voces omnium Prælatorum, & perſonarum Cleri Regnorum dicti Regis, quę citrà & vltrà mare poſſidebat, in quibus erant Inſulæ Canariæ, Siciliæ, Sardiniæ, Corſicæ, & Maioricarum. Licèt autem Legati Regis Portugalliæ, qui poſt Seſſionem XXI. die 5. Iunij primùm Conſtantiam aduenerant, contra conceſſam Arragonenſibus vocem proteſtati eſſent, & Legati Iacobi Comi-

tis

tis Marchiæ appellantis ſe Regem Siciliæ, qui etiam tunc primùm appulerant, contra loca Arragonenſibus tributa egiſſent; proceſſit tamen Concilium ad Vnionem iuxtà Concordata Narbonenſia, quorum Primo Capitulo de nouâ conuocatione Concilij publicè perlecto, dixerunt Legati Regis Arragonum: *Cui quidem Capitulo ſatisfacientes, conuocamus vos omnes Prælatos, & cæteros Dominos de hâc Congregatione iuxtà tenorem dicti Capituli.* Vbi videre eſt, Nullam mentionem fieri Generalis Concilij, ſicut nec facta eſt ab Archiepiſcopo Mediolanenſi, qui nomine Concilij legit ſcedulam ſequentem: *Nos permiſſione Diuinâ Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Prælati, & cæteri hìc congregati, dictam conuocationem acceptamus.* Ex Geſtis Manuſcriptis ſuprà allatis, & alijs Actis Conſtantienſis Concilij editis, & ineditis. Anni Christi 1416.

Edidit circa hoc tempus Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracenſis Tractatum ſuum de Eccleſiæ, & Cardinalium auctoritate. Licèt enim Illuſtriſſimus Annalium continuator Spondanus putet, Tractatum Menſe Octob.

Anni Chriſti 1416. Menſe Octob. illum editum fuiſſe anno 1415. poſt fugam Ioannis XXIII., & initio Tractatus inter Opera Gerſonis notatum habeatur, quòd *Liber ſcriptus ſit in Concilio Conſtantienſi anno* 1417. in antiquo tamen Codice Manuſcripto Bibliothecæ Vaticanæ habetur ad finem eiuſdem Tractatus: *Explicit Tractatus de Eccleſiaſticâ Poteſtate editus à D. Petro de Alliaco Cardinali Cameracenſi, datus Conſtantiæ de menſe Octobris anno Domini* 1416. Fatetur autem Cardinalis Cameracenſis inter alia, quòd *apud nonnullos magnam perplexitatem induxerit, an Nationes Conſtantiæ congregatæ habeant auctoritatem priuandi Romanam Eccleſiam, & Sacrum Collegium ipſam repræſentans iure ſuo, habendi ſcilicet vocem in Sacro Concilio, & Summum Pontificem eligendi*. Significat autem Parte 1. cap. 4. ſe ideò dubium illud cum alijs omnibus propoſuiſſe, *vt in Concilio ſuper his deliberetur, & prouideatur, quòd in futurum Acta non poſſint ab æmulis reprobari*. Quę benè notanda ſunt, cùm ex his pateat, ab ipſo Conſtantienſis Concilij temporibus, nonnulla eius Decreta in dubium reuocari cœpiſſe.

Poſt

Poſt Seſſionem XXII. cœperunt Legati Arragonum facere Nationem Hiſpanicam, & non ſolùm dare Deputatos pro inſtituendo proceſſu contra Benedictum XIII. ſed & ſubſignare per modum Nationis Acta & Mandata Concilij, ob quæ graues controuerſiæ ortę ſunt inter Nationes, vt fuſiùs enarrant Geſta Conſtantienſis Concilij. Anni Chriſti 1416. Menſe Nou.

Seſſione XXV. duo Legati Comitis Fuxi, Xanzius Olorenſis, & Bernardus Adurenſis Epiſcopi vnierunt ſe Concilio nomine dicti Comitis, & trium Statuum Biarnæ. Exhibitis igitur Procuratorijs Epiſcoporum, Abbatum, Capitulorum, Cleri, atque Baronum, & Nobilium, ac plebis Statuum prædicti Ducis, facta eſt noua Concilij conuocatio iuxtà concordata Narbonenſia, vt facta erat Seſſione XXII. quando Regnum Arragonię ſeſe Concilio vniuerat. Ex Actis Concilij editis & non editis. Die 14. Decem.

Menſe Decembris intrauerunt quoquè Conſtantiam quatuor Legati Regis Nauarræ, inter quos duo Epiſcopi, & duo Doctores, qui Seſſione XXVI. nomine dicti Regis, & trium Statuum Cleri, Nobi- Die 16. Decem.

Anni Chriſti 1416. bilium, & populi eiuſdem Regni ſeſe vnierunt Concilio, illud de nouo conuocando iuxtà Concordata Narbonenſia, & conuocationem nomine Patrum Conſtantienſium admittente Archiepiſcopo Mediolanenſi, vt patet ex Actis Conſtantienſis Concilij.

1417. Menſe Ianuar. Die 4. Ianuarij relatum eſt Concilio, quòd mediante Alphonſo Rege Arragonum Rex Caſtellæ ſubtraxiſſet Obedientiam Petro de Lunâ, & litteras conuocatorias per totum Regnum publicaſſet, ac Legationem ſolemnem ad Concilium miſiſſet. Nuntiatum quoquè circa hoc tempus Patribus Concilij, quòd eorum litterę conuocatoriæ in Regno Scotiæ publicatæ eſſent, lectæque ſunt litteræ Ducis Albanię tunc Regis nomine Scotiam gubernantis, quibus reuerenter ſignificabat affectum ad vnionem Eccleſiæ, ſeque commendabat Concilio, *quod vocabat Congregationem in Conſtàntiâ, pollicebaturque, ſe miſſurum Legatos cum plenâ poteſtate ad omnia, quæ ad Vnionem Eccleſiæ pertinebunt.* Forma verò litterarum erat: *Reuerendiſſimi, Reuerendique Patres, Doctores egregij, Spectabiles Domini, cæterique deuoti*

Vi-

Viri pro vnione Sanctæ Matris Eccleſiæ Anni Chriſti
in Ciuitate Conſtantienſi congregati. Ex 1417.
quibus conſtat, tam Regnum Scotię, quàm Regna Hiſpaniæ ante Vnionem Obedientiæ Benedicti XIII. Concilium Conſtantienſe pro Vniuerſali non habuiſſe. Geſta Conſtantienſis Concilij ex quatuor Manuſcriptis Codicibus.

Die 17. Ianuarij Rex Romanorum Si- Die 17. Ianuar.
giſmundus (qui poſt tractatum in Narbonâ Galliam petiuerat pro pace componenda inter Franciæ & Angliæ Reges) Conſtantiam reuerſus eſt vnà cum Nicolao Gneznenſi Archiepiſcopo, quem Conciliũ ei itineris ſocium dederat. Attulit autem Gneznenſis Archiepiſcopus libellum Ioannis à Falckenberg, quem acceperat à Doctoribus, & Studioſis Pariſienſibus, dum eos Lutetię ad conuiuium exceperat: effecit autem idem Archiepiſcopus, vt Io. à Falckenberg in tetrum carcerem detruderetur, eiuſque *libellus famoſus in Wladiſlaum Regem*, *&* *omne Polonum nomen conſcriptus*, à quatuor Nationibus, & Collegio Cardinalium damnaretur, & ſtatueretur, quod cenſurari deberet in Seſſione publicâ. Geſta Concilij Conſtantienſis, &

Cro-

Anni Christi 1417. Die 29. Martij.

Cromerus lib. 18. de Geſtis Polonorum.

Penultimâ Menſis Martij intrauerunt Conſtantiam Legati Regis Caſtellæ, duo ſcilicet Epiſcopi, duo milites, quatuor Doctores, & vnus Secretarius, qui 3. Aprilis expoſuerunt deſideriū ſuum ad Vnionem Eccleſiæ addentes, ſe primùm informari debere de aliquibus concernentibus ſtatum Concilij: rogati autem die 5. Aprilis à Rege Romanorum de ijs, circà quæ informari volebant, dederunt in ſcriptis quædam Capitula, quæ vt plurimum ſpectabant ad libertatem Patribus conceſſam in rebus ad Concilium ſpectantibus, & ad modum, qui obſeruandus eſſet circà electionem futuri Pontificis. Duæ verò fuerunt rationes, ob quas de his informari volebant: prima, quòd ſcirent quædam per impreſſionem Conſtantiæ facta, inter quæ erat decretum de non eligendo Pontifice ſine conſenſu Concilij Seſſione XIV. editum, in quod Cardinales numquam liberè conſenſerant: ſecunda, quòd nollent Cardinales ab electione excludi, & loco Cardinalium Hiſpanorum, qui Benedicto XIII. adhærebant, Hiſpani quoſdā de eius Obedientiâ vellent adiungere. Ex Geſtis

Con-

Conſtantienſis Concilij in quatuor Manu- *Anni Chriſti 1417.*
ſcriptis Codicibus.

Occaſione horum Capitulorum cœperunt Cardinales vrgere materiam de modo eligendi futurum Pontificem, de quo cùm Rex Romanorum agi nollet, niſi poſt eiectionem Petri de Lunâ, & reformationem Eccleſiæ in Capite & in membris, facta eſt magna animorum contentio, quę dudùm durauit, perſiſtente Rege Romanorum in ſuo propoſito, & nolentibus Legatis Regis Caſtellæ ſe vnire Concilio niſi certificati de modo electionis. Compendij hiſtorici terminos excederem, ſi cuncta hâc occaſione inter Nationes acta deſcriberem: vnico igitur verbo notaſſe ſufficiet, Nationes Germanicam & Anglicanam adhæſiſſe Regi; Italicam & Gallicanam Collegio Cardinalium; quibus vltimis poſt varias turbas ſignificarunt Legati Caſtellæ die 15. Iunij, quòd vellent ſe vnire Concilio, prout fecerunt poſt triduum Seſſione XXXV., in quâ iuxtà Concordata Narbonenſia facta eſt noua conuocatio Concilij, quod Caſtellani hucuſque agnoſcere noluerant pro Generali. Geſta Conſtantienſis Concilij in quatuor

Menſe Aprilis & ſeqq.

Menſe Iunij

Seſſio XXXV.

Anni Chriſti 1417. Manuſcriptis Codicibus, & Acta tam edita, quàm non edita.

Poſt Hiſpanorum Vnionem voluit Rex Romanorum obſeruari ordinem in rebus gerendis; & primò quidem, vt eijceretur Petrus de Luna, ſecundò fieret reformatio in Capite & Curiâ Romanâ, tertio cęteris reformationibus reſeruatis procederetur ad electionem Papæ. Quæ cum ſępius Nationibus propoſuiſſet, & apud omnes nimium vrgeret, proteſtata eſt Natio Gallicana die 17. Iunij de læsâ libertate, quam Rex cum omni ſecuritate cunctis promiſerat: cùmque Rex Romanorum ſeſe excuſare niteretur, die 28. eiuſdem menſis fuerunt datæ Regi ex parte Nationum Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, ac Collegij Cardinalium requiſitiones in ſcriptis, quibus petebatur Decretum Concilij de modo eligendi futurum Pontificem, dicebaturque, ad Regem non ſpectare, in rebus Eccleſiaſticis ſequenda præſcribere. Quæ, aliaque effecerunt, quod Rex die

Menſe Iulij. 11. Iulij publicarit litteras ſecuritatis, & in quatuor locis Conſtantiæ affigi iuſſerit. Geſta Conſtantienſis Concilij in quatuor Manuſcriptis Codicibus ſuprà.

His

His litteris publicatis vnanimi conſenſu ſtatutum eſt, procedendum eſſe ad ſententiam diffinitiuam contra Petrum de Luna ex tribus de Papatu contendentibus vltimum, quæ 26. Iulij, Seſſione XXXVI. lata eſt in dubium illum Pontificem tamquam *periurum, vniuerſalis Eccleſiæ ſcandaliZatorem, fautorem & nutritorem inueterati Schiſmatis, & inueteratæ ſciſſuræ & diuiſionis Eccleſiæ Sanctæ Dei, Pacis, & Vnionis eiuſdem Eccleſiæ impeditorem, & turbatorem, Schiſmaticum & Hæreticum, ac à fide deuium, & Articuli fidei, vnam S. Eccleſiam Catholicam, violatorem pertinacem, cum ſcandalo Eccleſiæ Dei incorrigibilem, notorium & manifeſtum, ac omni titulo, gradu, honore, & dignitate indignum, à Deo eiectum & præciſum, & omni Iure eidem in Papatu, & Romano Pontifici ac Romanæ Eccleſiæ quomodolibet competente, ipſo Iure priuatum, & ab Eccleſiâ Catholicâ tamquam membrum aridum præciſum.* Ita ſententia Concilij in Actis tam editis quàm ineditis.

Anni Chriſti 1417.

Seſſio XXXVI.

Poſt eiectionem Petri de Lunâ, qui Benedictus XIII. in ſuâ obedientiâ vocabatur, nominati ſunt à Nationibus Deputa-

Menſe Auguſti

Anni Christi 1417. ti pro reformatione in Capite & Curiâ Romanâ, quod animaduertentes Cardinales, ſtatim materiam electionis propoſuerunt, & contra Decretum de non eligendo Pontifice abſque conſenſu Concilij, quod Seſſione XIV. ipſis inuitis editum erat, proteſtati ſunt apud omnes Nationes: rogarunt etiam, ac exhortati ſunt Patres, ne prætextu Reformationis negotium electionis differrent. Ex Manuſcriptis Codicibus Geſta Conſtantienſis Concilij continentibus.

Cum autem poſt eiectionem Petri de Luna Rex Romanorum cœpiſſet iterùm ſeſe immiſcere negotijs Concilij, & cum Nationibus Germanicâ ac Anglicanâ concluſiſſet, non agere de negotio electionis, niſi poſt abſolutum negotium Reformationis, tres aliæ Nationes ſeſe vnierunt Collegio Cardinalium, factumq; eſt, quod Auctor coætaneus his verbis teſtatum reliquit: *Orta eſt Seditio inter Regem & Nationem Germaniæ parte ex vnâ, & cæteras Nationes parte ex alterâ; Rege cum ſuis volente, quòd, priuſquàm ad electionem ſummi Pontificis procederetur, fieret reformatio Eccleſiæ tam in Capite, quàm*

in

in membris: cæteris contendentibus ex ad-uerſo, quòd priùs procederetur ad electionem Papæ, per quem reformatio Eccleſiæ eſſet deducenda ad effectum. Tandem reformatione conceptâ, ipſa tamen nondum publicatâ, proceſſum eſt ad electionem ſummi Pontificis. Ita Gobelinus Perſonâ in Coſmodromio Ætate 6. cap. 96. Quæ latiùs deſcribuntur in quatuor Manuſcriptis Codicibus Geſta Conſtantienſis Concilij continentibus, vt ex dicendis patebit. Anni Chriſti 1417.

Cum itaque Natio Germanica ſępiùs à tribus Nationibus & Collegio Cardinalium ad dandos Deputatos pro materiâ electionis fruſtrà admonita fuiſſet, ipſaque Regi Romanorum firmiter adhæreret, Cardinalis Piſanus die 9. Septembris dedit legendam coram Natione Germanicâ proteſtationem ex parte trium Nationum Hiſpanicæ, Gallicanæ, & Italicæ, ac Sacri Cardinalium Collegij, cuius lectio ob ſtrepitum & diſceſſum Regis tunc perfici non potuit, die tamen XI. ſeptembris à Cardinali Piſano in Eccleſiâ Conſtantienſi, non obſtante tumultu à Germanis excitato, integrè lecta fuit. Geſta Conſtantienſis Concilij ſuprà citata. Menſe Sept.

Plu-

Anni Chriſti 1417. Plura à tribus Nationibus & Collegio Cardinalium dicta ſunt in illâ proteſtatione notatu digniſſima, & ad Auctoritatem ac ſenſum Decretorum Seſſionis V. quàm maximè facientia. Dictum namque Eccleſiam tunc fuiſſe inſtar *corporis Acephali*, id eſt, ſine capite, & quorumdam Regnorum ac Prouinciarum populos *nondum ſolidè & clarè* Concilio Conſtantienſi adhæſiſſe, ſed *exſpectaſſe fiendæ electionis ſummi Pontificis euentum, vt ſi canonicè eligeretur, illi obedirent, aliàs non*. Adiunctum, quòd *Fides quorumdam, qui eidem Concilio adhæſerant, propter rumores diſcordiarum & quaſi impreſſionum, quas in eodem Concilio fieri audiebant*, iam vacillare cœperat, & in Vrbe Româ, ac Italiâ de aſſumendo aliquo Pontifice plurimum dubitari. Demùm, Decretum Seſſionis XIV. de non eligendo Pontifice ſine conſenſu Concilij, non ligare Nationem Hiſpanicam, quia Seſſioni illi non adfuerat: ex quo à fortiori concludi poterat, Decretis Seſſionum Quartæ & Quintæ de Poteſtate Eccleſiaſticâ non teneri Romanos Pontifices, vtpotè qui ab illis non ſolum abſuerant, ſed & conſtanter illi contradixerant.

rant.

rant. Ne tamen expreſsè & in terminis tres Nationes Decreta illa reprobare viderentur, ea alio ſenſu, quam Rex Romanorum & Natio Germanica volebat, intelligenda eſſe dixerunt. Aſſeruerunt namque, Decretis illis ſtatui, quod priùs agatur de Vnione Eccleſiæ, quàm reformatione in Capite: *In omnibus enim locis, vbi vel Concilium vel dicta Capitula de agendis in iſto Concilio loquuntur, ſemper præponunt Vnionem, quæ Vnio nec eſt, nec dici poteſt perfecta, niſi Eccleſia vnum Caput Miniſteriale habeat, cui Corpus Eccleſiæ vniatur: duplex enim ſecundum Sacros Doctores eſt vnio Eccleſiæ: vna membrorum inuicem, quæ iam creditur eſſe facta, altera membrorum ad Caput, vt conſtituatur Corpus integrum & perfectum; & iſta non eſt facta, igitur primo loco fienda*. Vide proteſtationem inter Acta Concilij ex quatuor Manuſcriptis Codicibus inferiùs editam. Anni Christi 1417.

Lectâ hâc proteſtatione tanta animorum conturbatio orta eſt in Natione Germanicâ, vt Rex Romanorum habito cum ſuis conſilio egerit de capiendis nonnullis Cardinalibus, qui eâ de re per ciues

Con-

Anni Chriſti 1417. Conſtantienſes admoniti ſtatuerunt die 12. Septembris: *quòd propter tales minas & timores incuſſos, neque propter machinationes, quas ſciebant Cardinales fieri contra eos, non dimitterent proſecutionem Vnionis Eccleſiæ vſque ad mortem, & portabant capellum rubeum in ſignum martyrij ſi opus eſſet pro Eccleſiâ Dei, nec de aliquo terrebantur*. Ita Geſta Conſtantienſis Concilij in quatuor Manuſcriptis Codicibus.

Poſt plures turbas & tumultus, cum Natio Anglicana adhæſiſſet Collegio Cardinalium & tribus alijs Nationibus ad dandum Deputatos pro materiâ electionis, tandem Natio Germanica, quæ conſtantiam Cardinalium vincere nequiuerat, agere cœpit de cautione, quòd factâ Pontificis electione fieret reformatio Eccleſię, *& petiuit aſſecurationem per Decretum irritans, quòd poſt electionem Papæ fieret reformatio ante coronationem eius & adminiſtrationem aliquam. Cumq; factæ eſſent variæ formæ Decreti ad hoc, tandem dictum fuit, quod Papa electus ligari non poterat*. Quo reſponſo ſignificatum fuiſſe, quòd verus & indubitatus Pontifex à Conci-

ci-

cilio ligari non poterat ſub pœnâ depoſitionis, latiùs oſtendimus Diſſertatione III. cap. 2. Anni Chriſti 1417.

Verum quidem eſt, quòd Seſſione XXXIX. quædam in materiâ reformationis edita reperiantur, ſed magnâ cautelâ, & ſine vllâ mentione pœnæ, quæ auctoritatem Concilij directiuam, non verò coactiuam indicant. Illuſtre eſt hâc de re exemplum in capitulo *Frequens* De celebrandis Concilijs Generalibus, & prouiſione erga futura Schiſmata. Cùm enim Patres Conſtantienſes ſtatuant, Concilia Generalia in quinquennium, ſeptennium, & decennium celebranda eſſe, plurimum auctoritatis circa tempus & locum in Romano Pontifice agnoſcunt, nulliuſq; pœnæ mentionẽ faciunt. Vbi verò de ſopiendo Schiſmate, quod oriri poſſet, agunt, pœnam priuationis imponunt illis, qui ſimul de Papatu contendunt, vt ipſi Patres Conſtantienſes Concilium non niſi tempore Schiſmatis poteſtatem coactiuam in Pontifices habere ſignificarint. Vide Acta Conſtantienſis Concilij Seſſione XXXIX. Seſſio XXXIX.

Cùm ex his conſtaret, quòd Concilium ſupra verum, & indubitatum Pontificem

 po-

Anni Chriſti 1417. poteſtatem coactiuam non aſſumeret, mediante Epiſcopo Vinctonienſi Patruo Regis Anglię, qui tunc primùm Conſtantiam aduenerat, conſenſit Rex Romanorum, quòd ante reformationem procederetur ad electionem Pontificis, ſtatutumque Decreto Concilij Seſſione XL. quòd Pontifex de proximo aſſumendus vnà cum Concilio, vel eius Deputatis reformaret Eccleſiam in Capite, & in membris. Cui Decreto, licèt irritans non eſſet, nullamque pœnam Pontifici Eccleſiam reformare detrectanti imponeret, ipſa tamen Natio Germanica acquieuit, contenta addere inter Capita reformationis hoc vnum: *Propter quæ, & quomodo Papa poſſit corrigi & deponi*: quod ideò adiunctum puto, vt Pontifex cum Concilio quæſtionem de Poteſtate coactiuâ Concilij, quam Ioannes Gerſonius Seſſione V. deciſam fuiſſe crediderat, decideret. Ex Geſtis Manuſcriptis Conſtantienſis Concilij, & Actis editis eiuſdem.

Seſſio XL.

Notauimus ſuprà, Cardinalem Cameracenſem in Tractatu de Poteſtate Cardinalium, Nationes monuiſſe, quòd apud plures dubitaretur, num Cardinales potuerint

rint priuari voce in Sacro Concilio tam quoad acta, quàm quoad electionis futuræ modum: Quæ ne quiſquam putet, ab eo tunc ſine vllo fundamento propoſita fuiſſe, notandum eſt ex Geſtis Concilij, quòd quibuſdam anno 1417. menſe Octobris loquentibus de excludendo ab electione Pontificis Collegio Cardinalium vt Collegio, Cardinalis Sancti Marci ſeſe oppoſuerit eorum opinioni, dicens, ad Collegium Cardinalium de Iure pertinere electionem: *Et multi tenent*, inquit, *quòd Concilium ſine Papa non poteſt illa Iura mutare, multæque Nationes non reputarent ſic electum pro Papa*. Quæ Cardinalis verba tanti momenti viſa fuerunt, vt die 25. Octobris *nihil factum ſit niſi diſputare, maximè vtrùm Concilium potuit derogare iuribus editis ſuper electione Papæ, vel illa tollere*. Ita Geſta Conſtantienſis Concilij in quatuor Manuſcriptis Codicibus. Ex quibus patet, quàm grauiter hallucinentur, qui omnia Decreta Conſtantienſis Concilij ante trium Obedientiarum vnionem edita irrefragabilia putauerunt.

Anni Chriſti 1417.

Menſe Octob.

Poſtquam diù actum fuerat inter Nationes, & Collegium Cardinalium de mo-

Menſe Nou.

Anni Chriſti 1417. do eligendi futurum Pontificem, conuenit inter omnes die 28. Octobris, quòd vnà cum Cardinalibus ſex Deputati ex ſingulis Nationibus haberent ius ſuffragij: qui proinde 8. Nouembris Conclaue ingreſſi poſt triduum in feſto Sancti Martini cum incredibili totius Orbis Chriſtiani lætitiâ in Summum Pontificem elegerunt Odonem Cardinalem de Columnâ, qui ob Feſtum ſuæ aſſumptionis Martinus V. appellari voluit. Ex Geſtis, Regeſto, & Actis Conſtantienſis Concilij.

1418. Menſe Ianuar. & ſeq. Cùm Martinus V. paulò poſt ſuam ad Pontificatum aſſumptionem Præſides Nationum ad ſe euocaſſet, vt ex parte illarum eligerentur Deputati, qui cum ſex Cardinalibus à ſe nominatis agerent de reformatione, per plures Menſes fruſtrà inter illos actum eſt de hâc materiâ, vnâ Natione volente hoc modo, aliâ alio. Vnde prudentiſſimus ille Pontifex auditis Nationum opinionibus Capitula obtulit, quibus illis, quæ Seſſione XL. de reformatione à Nationibus deſiderata erant, ſatisfecit. Ad Capitulum verò, *Quibus de cauſis Papa poſſit corrigi & deponi*, reſpondit: *Non videtur, prout nec viſum fuit in pluri-*

ribus Nationibus circa hoc aliquod nouum ſtatui, vel decerni. Ita ex 2. Manuſcriptis Codicibus, vno Bibliothecę Vaticanę, altero Palatinæ. Ex quibus non ſolùm patet, mutila eſſe Capitula reformationis à Philippo Labbeo in Appendice Conſtantienſis Concilij ex Codice Capranicenſi edita, ſed & conſtat clariſſimè, Martinum V. firmare noluiſſe Decretum Seſſionis V. eo ſenſu, quo à Ioanne Gerſone exponitur, quin potiùs nouitatis accuſaſſe, ac improbaſſe. Quod ipſum oſtendi poteſt ex Concordatis particularibus à Martino V. cum ſingulis Nationibus initis, in quibus cùm de cæteris reformationum Capitibus ſaluâ Sedis Apoſtolicæ Auctoritate ſtatueret, de hoc Capite ne verbum quidem fieri voluit, quantumuìs Natio Germanica in ſuis aduiſamentis poſt electionem Martini V, id inſtanter petijſſet. Ex varijs Manuſcriptis optimæ notæ Codicibus. Anni Chriſti 1418.

Martinus V. rogatus à Patribus, vt iuberet per omnes Orbis Catholici Regiones inquiri in hæreticos Huſſitas, & Wiccleffiſtas, antequam litteras executorias ad hæreticæ prauitatis Inquiſitores in Angliâ, Poloniâ, Bohemiâ, & alijs locis conſtitutos Die 22. Feb. & ſequ.

pu-

Anni Christi 1418. publicaret, voluit primùm Auctoritate Apoſtolicâ confirmare omnia Decreta in Concilio Romano ſub Ioanne XXIII., & in Concilio Conſtantienſi ante ſuam electionem contra hæreticos edita: quâ de re extat eiuſdem Pontificis Bulla authentica in Archiuo Apoſtolico hucuſque inedita, & Orbi Catholico his noſtris temporibus planè ignota. Incipit hæc Bulla, *In eminentis Apoſtolicæ dignitatis ſpeculâ ſuperni diſpoſitione Conſilij conſtituti*, & finit: *Nulli ergo liceat &c. Noſtræ approbationis, ratificationis, confirmationis, communitionis, ſuppletionis, voluntatis, & conſtitutionis infringere, &c.* Data autem eſt *Conſtantiæ octauo Kal. Martij anno* Pontificatus eius *primo*. Ita Regeſtum variorum Martini V. eo ipſo tempore, quo Bulla hæc edita eſt, conſcriptum.

Circa finem Febr. & principium Mar. Nicolaus Gneznenſis Archiepiſcopus cum alijs Oratoribus Polonis, qui à Wladiſlao Rege ſuo, & Withaldo Lituaniæ Duce litteras acceperant ad proſequendam cenſuram errorum & hæreſum in partibus ſuis pullulantium, cùm vidiſſent in litteris Synodicis ad Inquiſitores Poloniæ contra hæreſes die 22. Februarij datis

nul-

nullam mentionem factam fuiſſe errorum famoſi libelli Ioannis à Falckenbergh, multis indicarunt,ſe appellationem ad futurum Conciliũ interiecturos. Quod cùm ad aures Martini V. perueniſſet, Pontifex ille ſexto Idus, ſeù 2. Martij in Conſiſtorio publico Conſtitutionem *Ad perpetuam rei memoriam* edidit, in quâ appellationem à Sede Apoſtolicâ ad futurum Concilium his verbis prohibuit: *Nulli fas eſt à ſupremo Iudice videlicet Apoſtolicâ Sede, ſeù Romano Pontifice Ieſu Chriſti Vicario in terris appellare*. Quo Decreto Auctoritatẽ Pontificiam ſupra Concilium eſſe indicauit, & Decreta Seſſionis V. in ſenſu Baſilëenſium de ſuperioritate Concilij intellecta reiecit, & infirmauit. De Martini Conſtitutione teſtatur Gerſonius in Dialogo Apologetico pro Conſtantienſi Concilio hucuſque, vt putem, inedito, & in Tractatu *An, & quomodo appellare liceat*, Tomo I. ſuorum Operum. Anni Chriſti 1418.

Seſſione XLV. & vltimâ Concilij, Oratores Regis Poloniæ videntes, quòd Martinus V. mitiùs cum libello Ioannis à Falckenbergh ageret, *rẽm nouam auſi*, inquit Cromerus Warmienſis Epiſcopus lib. 18. Menſe Apr. Seſſio XLV.

de

Anni Chriſti 1418. de rebus geſtis Polonorum, *ad futurum Concilium appellarunt*. Quâ de ré cùm multa dicerent, & tumultus in Concilio fieret, Martinus impoſito omnibus ſilentio reſpondit ad prædicta, & dixit, quòd omnia & ſingula in materiâ fidei conciliariter ſtatuta & decreta confirmaret, neque aliter, neque alio modo. Quibus verbis Articulum de propoſitione Ioannis Petit à Ioanne Falckenbergh in libello prædicto renouatum ſe cum Concilio Conſtantienſi damnare, ſtatutum tamen Nationum, & Cardinalium de damnandis in Seſſione publicâ prętenſis alijs libelli erroribus ſeſe reijcere ſignificauit. Cùmque Oratores Poloniæ appellationem ſuam ad futurum Conciliũ proſequi vellent, Martinus ſupremâ ſuæ Sedis auctoritate vſus, & contra Conſtitutionem ſuam de non appellando ad futurũ Concilium procedi nolens, appellationem proſequi volentibus ſilentium ſub pœnâ excommunicationis impoſuit: idque in medio Concilij adſtantibus cunctis trium Obedientiarum, omnium Nationum, & ipſius Sacri Cardinalium Collegij Patribus fecit, & Actis publicis ad perpetuam rei memoriam inſe-

ſeri iuſſit: prout etiamnum inſerta ſunt Actis Conſtantienſis Concilij tam editis, quàm non editis, tam à Baſilëenſibus compilatis, quàm ab ipſius Conſtantienſis Synodi Notarijs conſcriptis. Anni Chriſti 1418.

Poſt Synodum Conſtantienſem non ſolùm oſtendit Martinus Quintus ſupremam Sedis Apoſtolicæ auctoritatem in ineundis cum ſingulis Nationibus Concordatis, ſed & in probandis nonnullis Conſtantienſis Concilij Decretis, quæ illi Sedis Apoſtolicæ Auctoritate confirmanda offerebantur. Ex Manuſcriptis Codicibus Bibliothecæ Vaticanæ.

XVIII. VERITATES

Ad facta Conſtantienſis Concilij ſpectantes, & nunc primùm ex Manuſcriptis Codicibus in lucem erutæ, aut eorumdem Codicum auctoritate firmatæ.

MEns Concilij Conſtantienſis non fuit, quòd Ioannes XXIII. pro vnico vero & indubitato Pontifice ab omnibus Christi fidelibus haberi deberet, ſed duas alias Obedientias in ſuo ſenſu abundare permiſit. Iudicarunt Patres Conſtantienſes, quòd Gregorius XII. ſi Conſtantiam perſonaliter veniſſet, non obſtante Ioannis XXIII. præſentiâ, Arma Pontificia ante valuas Palatij affigere potuiſſet; & Legatum eius Ioannem Dominici cum capello rubeo tamquam Cardinalem publicè Conſtantiam ingredi paſſi ſunt. Vide Diſſert. III. cap. 2. præſentis Tractatus.

2. *Ioannes XXIII. audiens, Gerſonium vnum ex Regis Galliæ Oratoribus poſt ſuum diſceſſum ſermonem habuiſſe in diminutionem Auctoritatis Pontificiæ, amaro animo conqueſtus eſt cum tribus Galliæ Legatis*

tis eum Schaffuſæ conſtitutum viſitantibus, quòd poſt ſuum diſceſſum falſa quædam & erronea contra Sedis Apoſtolicæ Auctoritatem Conſtantiæ facta eſſent. Vnde Oratores Chriſtianiſſimi Regis ſeſe vnierunt cum Cardinalibus ad Sedis Apoſtolicæ iura contra aduerſarios tuenda. Diſſertatione II. cap. 2.

3. *Cardinales non ſolum ſuſtinuerunt, Ioannis XXIII. Auctoritate Concilium diſſolui potuiſſe, ſed & Nationibus Auctoritatem Conſtantienſis Concilij ſuprà Pontificem extollere cupientibus obſtiterunt, ac vnà cum Regis Galliæ Oratoribus ad Seſſionem Quartam venire noluerunt, niſi deletâ in primo eius Decreto clauſulâ de reformandâ Eccleſiâ in Capite & in membris, & omiſſo ſecundo Decreto de poteſtate coactiuâ Concilij ſuprà Pontificem. Diſſertat. I. cap. 4.*

4. *Sacrum Cardinalium Collegium Seſſione Quartâ publicè admonuit Nationes, quòd ſupradicta Decreta ſine ſufficienti examine, & deliberatione debitâ concluſa fuerint, illæque materiæ in aliud tempus differri deberent, quæ patiuntur magnas difficultates, & maturam exigunt delibe-*

rationem. Diſſertat. II. cap. 2. art. 2.

5. *Cardinales videndo, quòd Nationes ſine debito examine & communi deliberatione Articulos & Clauſulas Seſſione Quartâ omiſſas publicare volebant Seſſione Quintâ, ſecretò proteſtati ſunt in camerâ paramentorum Palatij Conſtantienſis, quòd propter ſcandalum euitandum ad Seſſionem illam ibant, non animo conſentiendi his, quæ audiuerant in eâ ſtatui debere. Diſſ. II. cap 2.*

6. *Regis Chriſtianiſſimi Oratores, qui iam dudùm ſeſe Cardinalibus coniunxerant, eodem modo proteſtati ſunt ante Seſſionem Quintam. Eâd. Diſſ. & cap.*

7. *Cardinalis Florentinus, ad quem tamquam ad vltimum Cardinalem ſpectabat Decretorum publicatio, rogatus Seſſione Quintâ, vt legeret Decreta, id facere recuſauit, & electus Poznanienſis ea per modum Conſtitutionum Synodalium legit, quia Cardinalis Florentinus ea legere noluit. Ibidem.*

8. *Cardinalis Præſes Seſſione Quintâ non tulit ſuffragium pro ſe & Collegio Cardinalium; ſed nec Præſides Nationum pro ipſis votum tulerunt: ſed ſicut à Seſſione*

Ter-

Tertiâ ſeſe à Nationibus ſepararant, ita cum Nationibus de rebus in Concilio ſtatuendis deliberare noluerunt; fuitque primum Seſſione XI. à Cardinale Præſide pro ſe & Collegio Cardinalium Placet dictum. Ibidem.

9. *Concilium Conſtantienſe tentauit Ioannem XXIII. deponere tamquam Schiſmaticum & Hæreticum, ſed ob Cardinalis S. Marci admonitionem, quòd neque de fautoriâ ſchiſmatis, neq; de crimine hæreſis conſtaret, actum eſt à Cardinalibus, Rege Romanorum, & Deputatis Nationum, vt ipſius Ioannis conſenſus obtineretur, qui à quinque Cardinalibus hanc ob rem ad oppidum Sellæ miſſis rogatus ſuæ depoſitioni conſentire, idipſum acceptauit, & ex abundanti renuntiauit. Diſſert. III. cap. 2.*

10. *Gregorius XII. noluit Pontificatui cedere, niſi duo obſeruarentur à Concilio, quorum primum ſpectat ad Ioannem XXIII. cuius ne nominis quidem mentionem fieri volebat: ſecundum ad ipſam Concilij conuocationem, quam Ioannis auctoritate factam pro illegitimâ habebat, & ideò nouam auctoritate ſuâ inſtituendam eſſe aſſerebat. Ibidem, & Diſſ. II. cap. 3.*

11. *Obedientia Benedicti XIII. Concordata inijt cum Deputatis Concilij ſub varijs conditionibus, quarũ prima, quod ab vtrâq; parte fieret noua conuocatio, & Patres Conſtantienſes in litteris conuocatorijs abſtinerent à titulo Generalis Concilij: dixeruntq; Legati Regis Arragonum, ſe Concilium Conſtantienſe pro Generali nolle agnoſcere, neq. in eo de rebus ad Concilium Generale ſpectantibus agere velle ante aduentum Legatorum Regis Caſtellæ. Eiuſdem cum Rege Arragonum ſententiæ fuerunt cæteri Reges Obedientiæ Benedicti, qui mentem ſuam in litteris ad Congregationem Conſtantienſem eâ de re ſcriptis clariſſimè expoſuerunt. Diſſert. II. cap. 3.*

12. *Natio Hiſpanica poſt ſuam Vnionem repudiauit Decretum Conſtantienſe Seſſionis XIV. de non eligendo Pontifice abſque conſenſu Concilij, dixitque, ſe ad illud obſeruandum non teneri; quia dum ſtatuebatur, non adfuerat, illamque Hiſpanorum ſententiam probauerunt Nationes Italica & Gallica in communi proteſtatione omnium nomine factâ: Ibidem.*

13. *Sacrum Cardinalium Collegiũ cum tribus ſupradictis Nationibus obſtitit Na-*

tioni Germanicæ volenti, vt præcederet reformatio Eccleſiæ in Capite & Curiâ Romanâ ante electionem Pontificis. Cumque monſtratum fuiſſet, quod iuxta Decreta Concilij electio Pontificis præcedere deberet, ipſique Cardinales cuncta Germanorum machinamenta ſuperaſſent, Nationi Germanicæ petenti cautionem per Decretum irritans in formâ, quod futurus Pontifex ante coronationem & adminiſtrationem aliquam reformaret Eccleſiam, reſponſum fuit, quòd Papa electus ligari non poteſt; factumque eſt Decretum de reformandâ Eccleſiâ ſine vllâ pœnæ vel coactionis mentione. Diſſert. III. cap. 2.

12. *Cum inter capitula reformationis futuri Pontificis iudicio reſeruata vnum eſſet, Propter quæ & quomodo Papa poſſit corrigi & deponi? & poſt electionem Martini Quinti Natio Germanica contenderet, non ob ſolum crimen hæreſeos, ſed ob alia quoquè crimina corrigi & deponi poſſe, magnus ille Pontifex non ſolùm quidquam eâ de re decerni voluit, ſed Nationis Germanicæ opinionem nouitatis arguit, & ſilentio obuoluendam cenſuit, eiuſdemque ſententiæ plures Nationes fuerunt, vt in termi-*

mi-

minis habetur in Reſponſo Martini V., quod ex duobus Manuſcriptis Codicibus editum eſt. Vide Diſſertationem III. cap. 2.

15. *Martinus V. Auctoritate Apoſtolicâ approbauit, confirmauit, communiuit, ratificauit Decreta Conſtantienſis Concilij contra Bohemos, Wiccleffum, & Hus in materiâ fidei edita, & eâdem auctoritate ſuppleuit defectus, ſiqui forſan ob non ſeruatas ſolemnitates iuris interuenerint. Edidit autem ſpecialem Bullam hâc de re ante Seſſionem XLIII. anno* 1418. *octauo Kalendas Martij, vt fidem facit Regeſtum authenticum eiuſdem Pontificis, quod in ſcrinijs Apoſtolicæ Sedis ad perpetuam rei memoriam aſſeruatur. Vide Diſſertationem III. cap.* 4.

16. *Idem Pontifex cùm audiſſet, Legatos Poloniæ appellare velle ad futurum Concilium, quia libellus famoſus Ioannis à Falckenbergh in Regium & omne Polonum nomen conſcriptus à Martino vnà cum alijs libellis Wiccleffi & Hus damnatus non fuerat, edidit in Conſiſtorio publico* 6. *Idus Martij conſtitutionem ad perpetuam rei memoriam, quâ declarat, quòd nulli fas ſit, à ſupremo Iudice videli-*

cet

cet Apoſtolicâ Sede, ſeu Romano Pontifice Ieſu Chriſti Vicario in terris appellare; aut illius iudicium in cauſis fidei declinare. Diſſ. *III. cap.* 4.

17. *Legatis Poloniæ appellationem Seſſione XLV. proſequi volentibus, Martinus V. ſilentium ſub pœnâ excommunicationis impoſuit, & ſolus omnium Nationum ac Cardinalium Decreto de damnando in Seſſione publicâ ante finem Concilij libello Ioannis à Falckenbergh contradixit, & ne fieret, effecit. Diſſert. III. cap.* 4.

18. *Martinus V. tam Seſſione XLV. occaſione tentatæ per Legatos Poloniæ appellationis ad futurum Concilium, quàm poſt Seſſionem illam & finem Concilij ad inſtantiam Regum & Principum quadam Decreta Conſtantienſia approbauit, alia verò reiecit, & à ſeſe minimè in auctoritatem recipi, ſignificauit. Ex Actis Seſſione XLV. & Manuſcriptis Bibliothecæ Vaticanæ Codicibus. Vide Diſſertatione II. caput.* 3. & *Diſſertatione III. caput* 3.

XI. ERRORES

Quoàd Conſtantienſe Conciliũ à D. Maimbourg in Hiſtoriâ eiuſdem commiſſi.

PETRVS Plaouſt anno 1409. die 29. Maij in Oratione, quam habuit coram Patribus Piſani Concilij non ſolùm non probauit, Concilium eſſe ſupra Pontificem, ſed etiam adiunxit, quòd hæc eſſet ſententia Vniuerſitatis Pariſienſis, & aliarum Vniuerſitatum Galliæ. Cap. 21. pag. 217. Tract. ſui Hiſtorici primæ editionis in 4.

2 Epiſcopus Nouarienſis idem teſtatus eſt de centum & tribus Doctoribus ac Licentiatis in Theologiâ deſuper conſultis, & affirmauit, quòd præter Galliæ Vniuerſitates, ita quoquè ſentirent Vniuerſitates Bononienſis & Florentina. Ibidem paginâ 217. & ſequenti.

3 Quæſtio de ſuperioritate Concilij non ſolùm Piſis agitata, ſed etiam deciſa fuit in fauorem Concilij. Tract. Hiſtor. cap. 22. pag. 254.

4 Nulla vnquàm queſtio meliùs examinata fuit, quàm hæc, antequàm Decre-

ta

tà Conſtantiæ de illâ edita ſunt Seſſionib. IV. & V. Tract. Hiſtor. cap. 23. pag. 254.

5 Codices Manuſcripti defectuoſi ſunt, qui non habent in Decretò primo Seſſionis Quartæ hanc clauſulam: *Et ad reformationem Eccleſiæ Dei in Capite, & in membris*. Tract. Hiſtorici cap. 23. paginâ 249.

6 Ioan. Gerſonius Cancellarius Vniuerſitatis Pariſienſis recitauit Decretum primum Seſſionis Quartæ cum ſupradictâ clauſulâ in Sermone ſuo, quem Conſtantiæ habuit *pro Viaggio Regis Romanorum*, in Sermone habito ibidem ſecundâ Dominicâ poſt Epiphaniam, & in Tractatibus de Poteſtate Eccleſiaſticâ, ac Appellatione à Summo Pontifice. Tract. Hiſtor. capite 23. pag. 240.

7 Moderamen, quod Imperator Sigiſmundus inuenit, vt diſcrepantes Cardinalium, & Patrum ſententias quoàd Decreta Seſſione IV. publicanda ſibi inuicem conciliaret, fuit, vt ex duobus Decretis de Poteſtate Eccleſiaſticâ apud Nationes concluſis Primum ederetur de Poteſtate Conſtantienſis Concilij in determinandis rebus, non ſolùm ad Fidem, & ad Schiſ-

ma, ſed etiam ad reformationem Eccleſię ſpectantibus. Tract. Hiſtor. cap. 23. paginâ 251.

8 Poſt Patrum, Cardinalium, & Oratorum Chriſtianiſſimi Regis oppoſitionem, conuenerunt omnes in eamdem ſententiam quoàd Decreta de Poteſtate Eccleſiaſticâ Seſſione V. publicata, vt dici potuerit, communi omniũ conſenſu, *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis.* Tract. Hiſtor. cap. 23. pag. 256.

9 Martinus V. duabus vicibus approbauit Decreta Seſſionis IV. & V., & proteſtatus eſt, ſe ea inuiolabiliter velle obſeruare. Tract. Hiſtor. cap. 24. pag. 265.

10 Eiuſdem Pontificis Conſtitutio de non appellando à Supremo in cauſis Fidei Iudice Romano Pontifice, intelligenda eſt de non appellando ad Epiſcopos particulariter ſumptos, non verò in Concilio Generali adunatos. Tract. Hiſtorici cap. 24. pag. 275.

11 Confirmatio Martini V., & aliorum Pontificum, quâ Concilia approbarunt, nihil aliud fuit, quàm conſenſus, quem ipſi ęquè ac alij pręberc debebant. Tract. Hiſtor. cap. 24. pag. 279.

SY-

SYNOPSIS DISSERTATIONVM ET CAPITVM.

DISSERTATIO I.

DE primâ Compilatione Actorum Conſtantienſis Concilij, & erroribus, qui exinde in Decretum Primum Seſſionis IV. irrepſerunt, eiuſdemque Decreti genuino ſenſu. *pag.* 11.

CAPVT I. *Baſilëenſes poſt Seſſionem XLIII. Acta Conſtantienſia à ſeptem è ſuis compilata ſpeciali Bullâ probarunt, eamque compilationem ſigillo Concilij munitam ab omnibus in auctoritatem recipi debere conſtituerunt. Ex illâ Baſilëenſium compilatione prodijt anno* 1500. *in Imperiali Oppido Hagenow prima Actorum Conſtantienſium editio, quam in omnibus ſequentibus editionibus ſecuti ſunt reliqui Actorum, vel Conciliorum collectores. Ex prædictâ Baſilëenſium compilatione editum fuit Decretum* I. *Seſſ.* IV. *ſine mentione de fide, & cum mentione reformationis Eccleſiæ Dei in Capite, & in membris, quorum* pri-

primum Decreto adeſſe, ſecundum abeſſe debet, vt contra D. Maimbourg probatur ex Manuſcriptis indubitatæ fidei Codicibus Acta Conſtantienſis Concilij continentibus. Manuſcripta Sancti Victoris, ſi in Decreto illo reformationis Eccleſiæ mentionem faciant, vitioſa eſſe, & quatuor loca Ioannis Gerſonis nobis oppoſita de Decreto Seſſionis IV. intelligenda non eſſe, monſtrantur. pag. 12.

CAPVT II. *Oſtenditur ex Manuſcriptis Geſtis, & Regeſto Conſtantienſis Concilij, quòd Articulus de reformatione Eccleſiæ in Capite & in membris à Decreto Primo Seſſionis IV. abeſſe debeat, id quod firmatur teſtimonio Gobelini Perſonæ, qui tempore Conſtantienſis Concilij ſcripſit, & auctoritate Auctoris Galli, qui ex relatione Oratorum Regis Chriſtianiſſimi, qui Concilio Conſtantienſi adfuerant, Decretum illud retulit.* pag. 40.

CAPVT III. *Quòd Decretum Primum Seſſionis IV. ſolummodò agat de auctoritate Conſtantienſis Concilij tempore Schiſmatis celebrati, & inter Deputatos Nationum, ac Cardinales conuenerit, quod ne quidem Concilio Conſtantienſi per dictum*

ctum Decretum auctoritas tribueretur reformandi Eccleſiam in Capite & membris, vt patet ex Manuſcriptis Codicibus ſuprà citatis. Differentia inter Decreta Seſſionis IV. communi Patrum vnius Obedientiæ conſenſu à Cardinali Florentino pronuntiata, & Decreta Seſſionis V. contradicentibus Romanæ Eccleſiæ Pontificibus, Cardinalibus, & Regis Galliæ Oratoribus edita. pag. 49.

DISSERTATIO II.

De Auctoritate Decretorum Conſtantienſium circà Poteſtatem Eccleſiaſticam Seſſione V. editorum. pag. 59.

CAPVT I. *An Decreta Seſſionis V. de Superioritate Concilij intellecta cum maturâ deliberatione, & debito tantæ rei examine ſtatuta fuerint? Opinio D. Maimbourg, quòd in Synodo Piſanâ deciſa fuerit pro Concilio, & nulla vmquàm quæſtio meliùs examinata ſit, quàm hæc ante & poſt Ioannis Gerſonis ſermonem fuit, quòdque circa illam omnes conuenerint.* pag. 61.

ARTICVLVS I. *Status Quæſtionis de Auctoritate Concilij ſupra vnicum & in-*

indubitatum Pontificem; & quòd Piſanum Concilium illam quæſtionem non tractauerit, multò minus deciderit. Adferuntur Acta Piſana ex triplici collectione; quarum vna ab ipſis Concilij Notarijs compilata fuit, ex quibus conſtat, Concilium Piſanum nequidem hoc titulo iudicare voluiſſe de duobus pro Pontificatu contendentibus, quòd de ijs ob dubium facti & iuris neſciebatur, vter verus Pontifex eſſet cenſendus, ſed probari voluiſſe, quòd eſſent Schiſmatici & Hæretici, Articulum de vnâ Eccleſiâ Catholicâ non quidem verbo impugnantes, ſed facto deſtruentes, & tamquam tales iuxta mentem Vniuerſitatum & Doctorum à Petro Plaouſt, & Epiſcopo Nouarienſi allatorum deponi potuiſſe, ac re ipſa Piſis pro depoſitis habitos fuiſſe. Teſtimonium D. Maimbourg ſibi ipſi contradicentis pro hâc veritate, & ſententia Diui Antonini pro causâ Gregorij XII. contrà Concilium Piſanum, vbi cùm in duorum contendentium locum Alexander V. electus erat, Schiſma non ſopitum, ſed adauctum fuit. pag. 64.

AR-

ARTICVLVS II. *Neque Concilium ipſum Conſtantienſe ante fugam Ioannis XXIII., quæ poſt ſecundam Seſſionem anno* 1415. *vigeſimo primo Martij contigit, de illâ quæſtione egit. Primùm coràm Concilio publicè eâ de re locutus eſt Ioannes Gerſonius in Sermone die* 23. *Martij coram Patribus habito. Teſtimonium D. Maimbourg hâc de re, qui ſibi ipſi contradicit. Poſt Ioannis Gerſonij Sermonem iterum mentio facta dicitur, cùm Cardinales Schaffusâ reduces Concilium ex receſſu Ioannis diſſolutum fuiſſe contendebant. Exacerbatis hanc ob rem nonnullorum Patrum animis, inconſultè & ſine debitâ deliberatione apud Nationes concluſa ſunt Decreta de Auctoritate Concilij. Cardinalium querelæ ante Seſſionem IV., & monita in ipsâ Seſſione, quòd Quæſtiones illæ magnas paterentur difficultates, & maiorem exigerent deliberationem. Nationes, quæ à Decretorum publicatione ſuperſederant Seſſione Quartâ, non inſtituunt commune examen, neque debitam ineunt deliberationem ante Seſſionem Quintam, quam ſi iniuiſſent; plu-*

ra Antiquitatis monimenta pro ſupremâ Romani Pontificis Auctoritate facere comperiſſent. pag. 77.

CAPVT II. *Error D. Maimbourg, quòd poſt varias contentiones circa Decreta de Poteſtate Eccleſiaſticâ ante & poſt Seſſionem Quartam exortas, omnes Patres conuenerint in vnam eamdemq; ſententiam, & Seſſione Quintâ de communi omnium conſenſu edita fuerint. Id dici non poſſe de Ioanne XXIII., oſtenditur ex varijs monimentis, ac Manuſcriptis Actis in Bibliothecâ Sancti Victoris Lutetiæ Pariſiorum aſſeruatis. Sed neque Romanæ Eccleſiæ Cardinales conſenſum præbuiſſe, ex Manuſcripto Codice Regis Chriſtianiſſimi probatur, cùm ex eo conſtet, Cardinales poſt receſſum Ioannis XXIII. fruſtrà à Nationibus petijſſe ſuffragium in Seſſionibus publicis à quatuor Nationum ſuffragijs diſtinctum. Cùm enim remitterentur ad ſuas Nationes, vt cum illis deliberarent, & ſuffragium ferrent, noluerunt Cardinales ad Nationes ire, ſed per ſe deliberare. Vnde non communicata ſunt ipſis, quæ Seſſionibus Quartâ & Quintâ ſtatuenda erant. Neque per ſe, neque per Cardinalem Præſidem-*

dem, neque per Nationum Præſides tulerunt ſuffragium Seſſione V. Secretò ante Seſſionem V. proteſtati ſunt, quòd ad Seſſionem illam ibant vitandi ſcandali cauſâ, non animo conſentiendi his, quæ in eâ ſtatui debere à nonnullis audiuerant. Cardinalis Florentinus rogatus Seſſ. V. vt Decreta publicaret, licèt munus illud ad ipſum tamquàm vltimum Cardinalem ſpectaret, id tamen exequi publicè recuſauit, vt probatur ex pluribus Manuſcriptis Codicibus, quibus nihil habet Auctor Tract. Hiſtorici, quod opponat. pag. 91.

CAPVT III. *Concilium Conſtantienſe Seſſionibus Quartâ & Quintâ nondum erat vniuerſale. Tantum vna Ioannis XXIII. Obedientia aderat. Cardinalis Turrecremata, & Eugenij IV. hac de re teſtimonia, quæ confirmantur ex Manuſcriptis Actis & Geſtis Conſtantienſis Concilij, in quibus refertur, ab Hiſpanis ſæpiùs dictum & ſcriptum fuiſſe, idque ſcientibus, audientibus, & tacentibus Patribus Conſtantienſibus, quòd ipſorum Concilium non eſſet vniuerſale ante vnionem Obedientiæ Benedicti. Gregorius XII. noluit ſe vnire Concilio, niſi de nouo Auctoritate ſuâ conuo-*

uocaretur. Idem obſeruari voluit Obedientia Benedicti, quæ Patres in litteris conuocatorijs à titulo Generalis Concilij abſtinere fecit. Vtriuſque Obedientiæ termini quam latè ſeſe extenderint. Ex ipsâ Obedientiâ Ioannis XXIII. Cardinales ſeſe Decretis oppoſuerant, pluréſque Patres tenebant, quòd excluſo Cardinalium Collegio Generale Concilium facere non poterant. Cardinales ſuſtinent, ſeſe non teneri Decreto Seſſionis XIV. de non eligendo Pontifice abſque conſenſu Concilij, quia illi non conſenſerant. Natio quoque Hiſpanica ſe minimè teneri credidit, quia cùm ſtatueretur, non adfuerat. Proteſtatio Nationis Hiſpanicæ eâ de re probata à Cardinalibus, & Nationibus Italicâ, ac Gallicanâ. Satisfit obiectionibus Auctoris Tractatus Hiſtorici, & oſtenditur, quòd vacillante Auctoritate Conſtantienſis Concilij, Conciliorum Generalium Auctoritas in diſcrimen nullatenùs vocetur. Quid dicendum ſit de Articulis Hæreticorum à Conſtantienſi Concilio ante trium Obedientiarum vnionem damnatis, & de depoſitione Ioannis XXIII. pag. 112.

Diſ-

DISSERTATIO III.

De ſenſu & confirmatione Decretorum Conſtantienſium Seſſione Quintâ editorum: pag. 139.

CAPVT I. *Quàm variæ opiniones fuerint tempore Conſtantienſis Concilij de Auctoritate Concilij ſuprà Pontificem: Sententia Benedicti XIII., quòd Concilium nullo caſu iudicare poſſit de Romanis Pontificibus, ſed iudicium de ijs ſoli Deo reſeruatum ſit. Opinio, quam ſecuta eſt Synodus Piſana, & in terminis propugnauit Ioannes XXIII. cum ſuis ſequacibus, quòd ne quidem tempore Schiſmatis de dubijs Pontificibus iudicandum ſit, niſi crimini hæreſeos obnoxij probentur. Tertia ſententia Petri de Alliaco, quòd tempore Schiſmatis Pontifices cogi poſſint à Concilio ad ceſſionem Pontificatus. Quarta ſententiâ Franciſci Zabarellæ Cardinalis Florentini, quòd Concilium ſine Papâ non poſſit reformare Eccleſiam in Capite & in membris. Quinta ſententia plurium Patrum Conſtantienſium, quòd Concilium Vniuerſale tempore Schiſmatis poſſit reformare Eccleſiam in Capite & membris.*

Sex-

Sexta ſententia Ioannis Gerſonij, quòd Concilium Vniuerſale non ſolùm tempore Schiſmatis, ſed etiam extra illud, poſſit reformare Eccleſiam in Capite, & Pontificem obedire nolentem legitimæ pœnitentiæ ſubijcere. *pag.* 140.

CAPVT II. *Iuxta ſextam ex prædictis ſententijs interpretanda eſſe duo priora Decreta Seſſionis Quartæ, ſtatuit poſt Gerſonium Richerius: eorum fundamenta expenduntur, & oſtenditur primò, quòd Concilium Conſtantienſe Ioannem XXIII. pro vnico, vero, & indubitato Pontifice ab omnibus haberi noluerit. Petri de Alliaco de duobus alijs contendentibus tamquàm dubijs Pontificibus ſententia. Patrum Conſtantienſium mens de armis Pontificijs à Gregorio XII. Conſtantiæ in Diœceſi & præſentià Ioannis XXIII. affigendis. Ioannis Dominici eiuſdem Gregorij Legati ingreſſus publicus cum capello rubeo. Gregorij conuocatio Concilij tamquam illegitimè per Ioannem facta. Ioannis depoſitio tentata ſub titulo hæreſeos, cuius criminis cùm ipſum conuinci non potuiſſe monuiſſet Cardinalis S. Marci, requiſitus fuit eiuſdem conſenſus, & renun-*

tia-

tiauit Pontificatui. Concilium poſt trium Obedientiarum vnionem nunquam auſum fuit interpretari Decreta Seſſionis V. de vnico vero & indubitato Pontifice, nec vmquam poteſtate coactiuâ vſum fuit. Nationis Germanicæ inſtantia pro Decreto irritante, caſu quo futurus Pontifex non reformaret Eccleſiam. Cardinalium & aliorum Patrum reſponſio, quòd Papa electus ligari non poteſt. Concilij Decretum hâc de re ſine vllâ coactionis mentione. Articulus reformationis futuri Pontificis iudicio reſeruatus: propter quæ igitur & quomodo Papa poſſit corrigi & deponi. Ex eo Cardinales ſub Eugenio IV deduxerunt, quòd Patres de Conſtantiâ non habuerint erroneum ſenſum de poteſtate Conciliorum, quem habuerunt Baſileenſes. Firmatur id ex Capitulo Frequens, vbi Patres agentes de vnico vero & indubitato Pontifice nullam mentionem coactionis faciunt, agentes verò de contendentibus tempore Schiſmatis, pœnam depoſitionis in obedire detrectantem conſtituunt. pag. 149.

CAPVT III. *Martinus Quintus in legitimum Pontificem electus numquam confirmauit Decreta Seſſionis Quintæ in ſen-*

ſenſu Baſileenſium: Articulum reformationis, Propter quæ & quomodo Papa poſſit corrigi & deponi, nouitatem ſapere aſſeruit; & nihil de eo ſtatuendum eſſe, cum pluribus Nationibus cenſuit. Seſſione XLV. confirmando omnia & ſingula in materiâ fidei conciliariter edita, non probauit Decreta Seſſionis V. de Auctoritate Eccleſiaſticâ, vtpotè quæ per modum conſtitutionum ſiue legum dumtaxàt, non definitionum fidei edita fuerant. Vnde dum Martinus V. eâdem Seſſione XLV. adiunxit, ſeſe nullatenùs probare, quæ aliter & alio modo, quàm Conciliariter in materiâ fidei acta erant, ſignificauit, ſe improbare Decreta Seſſionis V. vt obſeruat Spondanus, cuius ſententia confirmatur. pag. 171.

CAPVT IV. *Martinus V. non ſolùm ſuperioritatem Conciliorum numquam admittere voluit, ſed potiùs ſuperioritatem Pontificiam & factis & verbis propugnauit: factis quidem, quando Bullam confirmatoriam Decretorum Conſtantienſium in materiâ fidei ante Seſſionem XLIII. edidit: Ex quâ refutatur Maimbourgi opinio contra auctoritatem Pontificiam in confirmandis Conciliorum Decretis excogita-*

tata. Verbis verò aſſeruit, quando in Conſiſtorio publico die 2. Martij anno 1418. *Conſtantiæ Conſtitutionem ad æternam rei memoriam edidit de non appellando à ſententiâ Romani Pontificis, vtpotè quem ſupremum in materijs fidei iudicem aſſerit.* D. *Maimbourgi interpretatio de non appellando ad Eccleſias particulares exploditur, & Martinum V. Seſſione vltimâ Polonis ad Eccleſiam vniuerſalem in Concilio repræſentatam appellare volentibus tamquam rem nouam & Sedi Apoſtolicæ iniurioſam auſis, ſilentium impoſuit, eoque modo coram vniuerſo Conſtantienſi Concilio Auctoritatem Pontificiam Concilio ſuperiorem eſſe, ipſo Gerſonio teſtante, monſtrauit pag.* 187.

C

ELENCHVS

ACTORVM CONSTANTIENSIVM

Quæ Aſteriſco notata ſunt, ex Manuſcriptis Codicibus in lucem prodeunt.

CANON I. Seſſionis Quartæ ex Actis Protonotariorum Conſtantienſis Concilij. In tribus Manuſcriptis Codicibus. pag. 213.

★ *Ea, quæ ſpectant ad receptionem Legatorum Gregorij XII. ex Regeſto Conſtantienſis Concilij in duobus Manuſcriptis Codicibus.* pag. 214.

★ *Acta ante Seſſionem Quartam tam à Cardinalibus, quàm Nationibus circa Decreta illâ Seſſione publicanda. Ex eodem Regeſto in duobus Manuſcriptis Codicibus.* pag. 219.

★ *Decreta Seſſionis Quartæ, & aduiſamenta Cardinalium circa illa, quæ in Concilio pertractanda & omittenda videbantur, eàdem Seſſ. IV. exhibita. Ex Regeſto, & Manuſcriptis prædictis.* pag. 226.

★ *Acta ante Seſſionem Quintam tam à Cardinalibus, quàm Oratoribus Regis*

Chri-

Chriſtianiſſimi proteſtantibus contra Decreta Seſſione V. promulganda, cum ipſius Seſſionis Quintæ præfatione. Ex Regeſto, & Geſtis Manuſcriptis Conſtantienſis Concilij. pag. 231.

★ *Querelæ Cardinalium, quòd ſine ipſorum deliberatione poſt Seſſionem ſecundam cuncta in Concilio peragerentur. Ex Geſtis Conſtantienſis Concilij in quatuor Manuſcriptis Codicibus.* pag. 233.

★ *Acta ante & poſt ſententiam contra Ioannem XXIII. latam. Ex ijſdem Geſtis & quatuor Manuſcriptis Codicibus. paginâ.* 235.

★ *Acta Seſſione XII circa vnionem Obedientiæ Gregorij XII. Ex ijſdem Geſtis, & Manuſcriptis Codicibus.* pag. 238.

★ *Epiſtola Franciſci Narbonenſis Epiſcopi de vnione cum Obedientiâ Benedicti XIII. Narbonæ initâ. Ex Regeſto Conſtantienſis Concilij in duobus Manuſcriptis Codicibus.* pag. 140.

Excerptum ex Inſtrumento Concordatorum Narbonenſium Seſſione XX. Iuramento Patrum confirmato. pag. 242.

★ *Teſtimonia Regum Caſtellæ, Arragonum, & Scotiæ, de non habendo Conci-*

lium Conſtantienſe pro Vniuerſali ante vnionem Obedientiæ Benedicti. Ex Geſtis Conſtantienſis Concilij in quatuor Manuſcriptis Codicibus. pag. 250.

★ *Proteſtatio Sacri Cardinalium Collegij contrà Decretum de non eligendo Pontifice abſque ſententiâ Concilij Seſſione XIV. editum. Ex ijſdem Geſtis.* pag. 252.

★ *Alia proteſtatio Nationum Hiſpanæ, Gallicanæ, & Italicæ, nec non Sacri Collegij Cardinalium contrà Nationem Germanicam edita, vt ante reformationem Eccleſiæ in Capite & membris fieret electio vnius veri & indubitati Pontificis. Ex ijſdem Geſtis, & quatuor Manuſcriptis Codicibus.* pag. 255.

★ *Plura ex ijs, quæ hanc proteſtationem ſubſecuta ſunt, & quomodò poſt varios tumultus inter Nationem Germanicam & cæteros Concilij Patres conuenerit de reformandâ Eccleſiâ poſt electionem Pontificis. Ex ijſdem Geſtis & Manuſciptis Codicibus.* pag. 266.

Articuli reformationis Iudicio Summi Pontificis reſeruati. Ex Actis Conſtantienſis Concilij Seſſione XL. pag. 270.

★ *Tituli & initia Reſponſi à Martino*

V.

V. Conſtantiæ in Pontificem electo ad articulos reformationis dati. Ex Manuſcripto Codice Bibliothecæ Vaticanæ, & alio Manuſcripto Bibliothecæ Palatinæ. pagina. 272.

★ *Bulla confirmatoria Martini Quinti, quâ Authoritate Apoſtolicâ confirmat, roborat, ratificat & ſupplet defectus Decretorum Concilij Conſtantienſis circà hæreſes Wiccleffi, Hus, & Hieronymi de Praga. Ex Regeſto âuthentico variorum Martini Quinti in ſcrinijs Sedis Apoſtolicæ ſeruato.* pag. 274.

★ *Bullæ Ioannis XXIII. in Synodo Romanâ anno* 1413. *contra errores Wiccleffi editæ. Ex eodem Regeſto in Bullâ confirmatoriâ Martini iam memoratâ. paginâ.* 283.

Acta Seſſionis XLV. de libello Ioannis à Falckenberg, & appellatione Legatorum Poloniæ, ac Martini Quinti Reſponſo ad illam. pag. 297.

Excerptum ex conſtitutione Martini Quinti de non appellando à Sede Apoſtolicâ ad futurum Concilium. Ex Tractatu Ioannis Gerſonis deſuper edito. pag. 301.



SVPER HANC PETRAM ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM. S. EVANGELIVM MAT. 16. CAP.

BONITATI
ET
VERITATI AETERNAE

EXIGVITATIS meæ conſcius ad thronum gloriæ tuæ, ò *Diuina Bonitas*, accedere vererer, niſi *delicias tuas eſſe cum Filijs hominum* de Sede Maieſtatis tuæ ſignificaſſes, (Prouerbiorum Cap. 8.) & in terris conuerſata *omnes ad te venire* iuſſiſſes. (Matthęi. Cap. 11.) Quamuìs igitur *Tui* me terreat

magnitudo, inuitat tamen benignitas, excitat charitas, allicit ſuauitas. Faceſſat inuidia, cum vnigenito æterni Patris Filio loquar, & de fundamento, ſupra quod *Sibi domum in terris ædificauit*, oraculum ipſius conſulam. De ſummâ Poteſtate, quæ fundamenti inſtar totam Eccleſiaſtici Regiminis molem ſuſtinet, difficultas mouetur: ad quem igitur confugere, ad quem meliùs ire potero, quàm ad eum, qui *Verba vitæ æternæ habet*, qui *omnem auctoritatem in Cælo, & in Terra* accepit; qui ipſum Eccleſiæ regimen inſtituit? Audiam itaque te, *Veritas æterna*, à mortalibus falli & mortales fallere neſcia. Tu es, quæ Petro dixiſti: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus*. Tu es, quæ Petro promiſiſti: *Et ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*. Tu denique es, quæ Petro prædixiſti: *Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam*. Dicendo ad Petrum: *quia tu es Petrus*, ſignificaſti, quòd *cum tu eſſes inuiolabilis Petra, Petrus tamen quoquè petra erat, quia tua virtute ſolidabatur, vt quæ tibi poteſtate erant propria, eſſent ipſi participatione communia*. Dicendo: *Et ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, Petro promiſiſti, quòd *in eo tam-*

Prouerb. 9.

Ioannis. 6.

Matthæi. 28.

Matthæi. 16.

Leo Magnus.

Cyrillus Alexādrinus Libro 2. ſuper Cap. 17. Ioannis.

tamquàm in petra lapideque firmiſſimo tuam ædificatura eſſes Eccleſiam. Dicendo demùm: *Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam*, Petro prædixiſti, quòd *fundata ſupra ipſius firmitatem Eccleſia portis Inferi præualeret*. Adimpleta ſunt, quæ promiſiſti; vnde Petrus in Concilio Generali Tertio dictus eſt *Eccleſiæ Catholicæ*, & in Concilio Generali Quarto, *rectæ fidei fundamentum*. Contigerunt quoquè cunctis retrò ſæculis, quæ prædixiſti; vnde à mille ſexcentis & pluſquam quadragintà annis, quibus Sedes Apoſtolica à Petro Romæ erecta eſt, nec Hæreticorum errores, nec Schiſmaticorum fraudes eam euertere potuerunt. De ſupremâ huius Sedis Poteſtate cùm hoc Tractatu mihi agendum ſit, alios Magiſtros deſerens cum Hieronymo gloriabor, quòd *nullum primum niſi* (Te) *Chriſtum ſequens, Cathedræ Petri communione conſociar, quia ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio*. Cum Eccleſiâ, quæ huic Petræ innititur, colligam, ne ſpargere videar: vtque firmitatem huius fundamenti rectè omnibus proponam, adiuua, *Diuina Bonitas*, infirmitatem meam: *da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam*

Ex Leonis M. homilia de Trãſfiguratione.

D. Hieronymus Epiſtola ad Damaſum.

Sapientiæ Cap. 9.

tiam

tiam. *Mitte eam de cælis ſanctis tuis, vt mecum ſit, & mecum laboret.* Hæc genuflexus, hæc humi prouolutus ſupplex te rogo, cui imperium, laus, honor, & gloria in ſæculorum ſæcula.



SEMPER APOSTOLICÆ CATHEDRÆ VIGVIT PRINCIPATVS. AVG. EPIS. 162.

TRACTATVS
DE SENSV ET AVCTORITATE
DECRETORVM CONSTANTIENSIVM
SESSIONE QVARTA ET QVINTA EDITORVM.

CVM mihi denuò agendum ſit De ſenſu & auctoritate duorum Decretorum Conſtantienſium, quæ de poteſtate Eccleſiaſticâ tractant, & ſeſſione quartâ & quintâ continentur, operæ pretium me facturum exiſtimaui, ſi illa ipſa in huius Tractatus initio ijs verbis proponerem, quibus iuxtà vulgatam editionem ad manus noſtras peruenerunt.

Primum itaque decretum ſeſſionis quartæ & quintæ his verbis editum habemus: *Et primò declarat, quòd ipſa Synodus in Spiritu Sancto congregata legitimè Generale Concilium faciens Eccleſiam militantem repræſentans poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cuiuſcumque ſtatus, vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti ſchiſmatis, & reformationem generalem Eccleſiæ Dei in Capite & in membris.* Secundum verò ſeſſionis quintæ: *Item declarat, quòd quicumque cuiuſcumque conditionis, ſtatus, dignitatis, etiamſi Papalis, qui mandatis aut præceptis huius Sacræ Synodi, & cuiuſcumque alterius Concilij Generalis legitimè congregati ſuper præmiſſis ſeù ad ea ſpectantibus factis vel faciendis obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubijciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia iuris ſubſidia, ſi opus fuerit, recurrendo.*

Decretum 1. ſeſſionis quartæ & quintæ iuxtà vulgatam editionem.

Decretum 2. ſeſſionis quintæ.

Atque hæc ſunt decreta, de quibus Illuſtriſſimus Galliæ Clerus ante triennium ex varijs Prouincijs Lutetiæ adunatus ſtatuit,

tuit, quòd tanquam ab Oecumenicâ Synodo edita, & à Sede Apoſtolicâ comprobata, ipſoque Romanorum Pontificum, ac totius Eccleſiæ vſu confirmata, valere debeant, atque immota conſiſtere. Cùm verò de his non vna omnium Doctorum fuiſſet ſententia, ſed etiam plures poſt Conſtantienſe Concilium ea de ſolo ſchiſmatis tempore intellexiſſent, vel de eorumdem auctoritate dubitaſſent, adiunxit pręfatus Clerus: *Non probari à Gallicanâ Eccleſiâ, qui eorum decretorum, quaſi dubiæ ſint auctoritatis, ac minùs approbata robur infringant, aut ad ſolum ſchiſmatis tempus Concilij dicta detorqueant.*

Galliæ Clerus artic. 2. ſuæ declarationis an. 1682 Pariſijs editæ.

Vix edita fuit hæc declaratio Pariſijs, quùm ad omnium notitiam peruenit, & ad me quoque Romæ tunc commorantem perlata fuit: cùmque vidiſſem ſupracitatum de poteſtate Eccleſiaſticâ Articulum factis inniti, quæ ex Actis Concilij lucem accipere poſſent, operam omnem adhibendam putaui, vt manuſcripta ipſa perquirerem, & ſi quid ineditum reperiretur, cum eruditis omnibus communicarem. Iam dudum enim ſuſpicatus eram, vltrà Acta Concilij Conſtantienſis,

quæ typis vulgata erant, quædam alia latêre, in quibus plura continentur, vnde de ſenſu & auctoritate Decretorum ſeſſione quartâ & quintâ editorum clariùs conſtaret. Neque mea me fefellit opinio: examinatis namque in Bibliothecâ Vaticanâ per ſex menſes Manuſcriptis Codicibus, incidi demùm in Acta & Geſta Conſtantienſis Concilij hactenùs inedita, in quibus plura continentur, vnde probari poterat, quòd (etiam ſuppoſitâ non tamen conceſſâ eorum ſententiâ, qui Decreta ſeſſionis 5. contra ſupremam Auctoritatem Pontificiam edita fuiſſe putant) Decreta illa non ſolùm ab vnâ dumtaxàt obedientiâ eâque non integrâ, ſed & ijs verbis edita fuerint, quæ Patres Conſtantienſes poſt trium obedientiarum vnionem in alio ſenſu accipienda duxerunt: & quòd Martinus Quintus in eo ſenſu, qui ad Superioritatem Conciliorum Generalium facit, illa potiùs reprobaſſe quàm confirmaſſe viſus fuit.

Occaſione itaque Actorum tunc primò è tenebris erutorum edidi an. 1683. Diſſertationem in tria Capita diuiſam, in quâ oſtendebatur ex Manuſcriptis indubitatæ

fi-

fidei Codicibus, tantum abeſſe, quòd Decreta Conſtantienſia ab Oecumenicâ Synodo edita, & à Sede Apoſtolicâ comprobata fuerint, vt potiùs conſtet, quòd Decretum primum ſeſſionis quartę ex compilatione Baſilëenſium corruptum ad manus noſtras peruenerit, duo verò priora ſeſſionis quintæ contrà proteſtantibus Cardinalibus & Regis Galliæ Oratoribus edita ſint, omnia inſuper à Concilio nondum vniuerſali pronuntiata fuerint, quæ proinde ab ipſius Conſtantienſis Synodi Patridus poſt trium obedientiarum vnionem non recepta, & ab ipſo Martino Quinto infirmata ſunt.

Contra hanc meam Diſſertationem nuper D. Maimbourg calamum ſtrinxit. Edito namque Pariſijs anno 1685. Tractatu hiſtorico de Romanâ Eccleſiâ, egit in eo de quatuor Propoſitionibus in Comitijs Pariſienſibus anno 1682. editis, & à capite 22. vſque ad caput 26. ex profeſſo Diſſertationem meam oppugnandam ſuſcepit, aſſerens in primis, me in eâ deſtruere voluiſſe, quidquid Galliæ Clerus de Decretis Conſtantienſibus ſtatuit, deinde adiungens: „ Quamuis autem Ge-

„ſta & Acta authentica, quæ Concilijs
„Conſtantienſi & Baſileenſi continentur,
„omnium manibus terantur, ac pluſquam
„à ducentis ſexaginta annis pro veriſſimis
„habita ſint, nec quiſquam toto illo tem-
„pore ſe vmquam ijs opponere ſomnia-
„uerit, voluit tamen nobis diſputare hanc
„legitimam & pacificam poſſeſſionem
„trium ferè ſæculorum auctoritate firma-
„tam. Et hoc eſt, quòd prætendit, nobis
„opponens quædam antiqua Manuſcripta
„à ſe eruta, Regeſtum, & Acta Conſtantien-
„ſis Concilij continentia, quæ nemo an-
„tea viderat, prout ibi habentur, & quæ
„Deus ſingulari prouidentiâ, vt ait, eo-
„dem fermè tempore reperiri permiſit,
„quo Eccleſia Gallicana ſuam declaratio-
„nem edidit: ac ſi voluiſſet illam eodem
„momento deſtruere, quo naſcebatur. En
„inſtitutum procul dubio magnificè pro-
„poſitum! Sed ſupra quod fundatum eſt?
„Supra fundamentum quàm maximè rui-
„noſum, & quod facillimum mihi eſſet
„deſtruere cum toto ædificio tam malè
„eidem innixo, dicendo vnico verbo id,
„quod veriſſimum eſt, quòd prætenſa hęc
„bona Manuſcripta, quæ contra nos ad-

du-

D. Maimbourg Tractatu hiſtorico cap. 22. pag. 231. primæ edit. in 4. Or comme les faits & les Actes authentiques, que nous avons dans les Conciles de Cõſtance & de Baſle ſont entre les mains de toute le monde, & recõnus pour tres-veritables depuis plus de deux cens ſoixante ans, ſans que perſonne ait iamais ſongè à s'y oppoſer: il s'eſt aviſè de nous diſputer cette legitime & paiſible poſſeſſion authothoriſee par une ſi longue preſcriptiõ de pres de trois ſiecles. C'eſt ce qu'il pretend faire, en nous oppoſant certains vieux manuſcrits qu'il a deterrez, qui contiennent le Regiſtre & les Actes du Cõcile de Conſtance, qu'on n'avoit jamais veùs, comme ils ſont là, & que Dieu, par une ſinguliere providence, à ce qu'il dit, a permis, qu'on trouvaſt preſque en meſme temps que l'Egliſe Gallicane fai-

„ducit, poſt poſſeſſionem ducentorum „& ſeptuaginta annorum non debeant „ampliùs admitti; neque præſtent illis, „ex quibus extracta ſunt Acta & Decreta „Conſtantienſis Concilij, quæ iam edita habemus. Cùmque hoc modo locutus „fuiſſem, ipſius eſſet probare, quòd Ma„nuſcripta ſua meliora ſint noſtris, id, „quod nunquam facere poterit, vt ſtatim „videbimus. Sed vt gratiam illi exhi„beam, nolo rigoroſè de ijs agere, ſed „clarè ac pacificè ipſi monſtrabo ſeruan„do omnem honorem characteri ipſius „debitum, quòd conſequentię ex ijs, quæ „in Manuſcriptis ſuis reperit, deductæ „ſint falſæ, & argumentando, vt facit, „auferretur à cunctis Concilijs Oecume„nicis omnis auctoritas, quam eadem ha„bere debent, & huc uſque obtinuerunt „in Eccleſiâ.

En verba, quibus ſermonem mecum inſtituit Auctor ille in ſuo de quatuor propoſitionibus Tractatu, in quo ſi oppugnandam ſuſcepiſſet fidem Manuſcriptorum Codicum, monſtrare illi eodem modo potuiſſem, Diſſertationem meam fundamento innixam, quod nullâ arte conuel-

ſoit ſa declaration, comme s'ils euſt voulu donner de quoy la confondre à l'inſtant meſme qu'on la publioit. Voilà ſans doute une entrepriſe magnifiquement propoſee! Mais ſur quoy eſt elle fondee? Sur le fondement du monde le plus ruineux, & qu'il me ſeroit tres-aiſé de detruire, & conſequemment tout l'edifice, qui en eſt ſi mal ſouſtenu, diſant en un mot, ce qui eſt tres-vray, que ces pretendus bons manuſcrits, qu'il produit contre nous, apres une poſſeſſion de deux cens ſoixante & dix ans, ne ſont plus recevables, & ne valent pas, à beaucoup près ceux, dont on a tirè les Actes & les Decrets, que nous avons du Concile de Cõſtance. Quand j'aurois parlè de la ſorte, ce ſeroit à luy de prouver, que ſes manuſcrits ſont meilleurs, que les noſtres, ce qu'il ne pourra jamais faire,

uelli, nullo ſophiſmate deſtrui, nullâ ratione valeat infirmari. Dicere potuiſſem, quòd Acta & Geſta Conſtantienſis Concilij, quæ ex Manuſcriptis indubitatæ fidei Codicibus adduxi, veritatem contineant, † *quæ*, vt cum Tertulliano loquar, *ſempiterna quædam res eſt, cui nemo præſcribere poteſt, non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non priuilegia Nationum*. Potuiſſem oſtendere, quòd Acta ex quibus Baſilëenſes Collectionem ſuam compilarunt, nullibi repugnent cum ijs, quæ ego ex M. SS. Codicibus attuli, quin potiùs confirment, quòd errores in Acta, vt ex compilatione Baſilëenſium poſteritati tradita ſunt, irrepſerint: ſicque, vt cum Auguſtino loquar, licèt *veritas latere potuerit, vinci non potuerit*. Et iuxta aliam Tertulliani regulam dici debeat: *Id eſſe verum, quod eſt priùs traditum; id extraneum & falſum, quod eſt poſteriùs immiſſum*. Et quando hoc modo reſpondiſſem, Auctoris iſtius eſſet probare, quòd Manuſcripta ſua alijs à me citatis meritò contradicant; id, quod numquam monſtrare poterit, vt ſuo loco videbimus.

Attamen cùm Auctori illi placuerit, du-

comme on le verra bientoſt. Mais pour luy faire grace, je veux bien ne les pas traiter à la rigueur, & je luy vais mõtrer clairement & paiſiblement, & en gardant tout le reſpect qu'on doit à ſon caractere, que les conſequences qu'il tire de ce, qu'il y trouve, ſont fauſſes, & qu'en raiſonnant comme il fait, on oſteroit à tous les Conciles Oecumeniques toute l'autorité, qu'ils doivent avoir, & qu'ils ont eüe juſqu'à maintenant dans l'Egliſe.

† *Tertullianus libro de Præſcriptionibus*.

D. Auguſtinus enarrat. in Pſ. 61.

Tertullianus de Præſcriptionibus.

dubium ſuum de Manuſcriptorum Codicum auctoritate in aliud tempus reijcere, & ſeruatis modeſtiæ terminis mecum de re ipſà tractare, nolui humanitatis terminos mihi præſignatos tranſgredi, ſed & placuit modeſtiùs cum eo agere, & pro ſolâ veritate ſcribere. Cùm enim ſimus Sacerdotes Dei, Conſacerdotes Chriſti, decet nos prę cęteris omnibus Chriſti exemplum imitari, & dum quæſtio aliqua exagitatur, non niſi cum charitate pro veritate ſermonem inſtituere. Oſtendam itaque ſtylo pacifico & familiari, quòd plura contineantur in Actis à me repertis, quę hactenùs ignota fuerunt, & Tractatu hoc in tres Diſſertationes diuiſo, monſtrabo Diſſertatione primâ, quòd primum Decretum ſeſſionis quartæ corruptum ſit, prout ex compilatione Baſilëenſiũ ad manus noſtras peruenit, nihilque ad Quęſtionem de Superioritate Concilij faciat: Diſſertatione ſecundâ, quòd duo priora ſeſſionis quintæ Decreta, quæ putat ad Superioritatem Conciliorum Generalium facere, neque cum debitâ tantæ rei deliberatione, neque conſentientibus omnibus, quorum intererat, neque à Concilio Vni-

uerſali, ſed ab vnâ dumtaxat obedientiâ eâque non integrâ ſtatuta ſint: Diſſertatione verò tertiâ, quòd Decreta illa de Superioritate Conciliorum intellecta, neque à Patribus Conſtantienſibus poſt trium obedientiarum vnionem in auctoritatem admiſsa, neque à Martino Quinto Romano Pontifice confirmata, ſed improbata potiùs & infirmata ſint. Ex his autem conſtabit, Decreta ſeſſionis quartæ & quintæ non ſolùm dubiæ auctoritatis habenda eſſe, ſed & robore carere, vt conſequentię, quas in Diſſertatione meâ ex Actis Conſtantienſis Concilij hucuſque ineditis deduxeram, ſint veræ, & argumentando, prout feci, nihil auferatur de auctoritate Conciliorum Generalium, quam habere debent, & hucuſque habuerunt in Eccleſiâ.

DIS-

DISSERTATIO I.

De prima Compilatione Actorum Conſtantienſis Concilij, & erroribus, qui exinde in Decretum primum ſeſſionis quartæ irrepſerunt, eiuſdemque Decreti genuino ſenſu.

PRIMA queſtio, quam mouet D. Maimbourg in Tractatu ſuo hiſtorico contra Diſſertationem meam de Actis & Decretis Conſtantienſis Concilij ante biennium Antuerpiæ editam, eſt illa de primo Decreto ſeſſionis quartæ, an nimirùm nullâ ſui parte adulteratum ſit, prout ex Baſilëenſium compilatione editum fuit? Suſtinui ego, duobus in locis corruptum fuiſſe in eâ Actorum Conſtantienſium editione, quæ ex compilatione Baſilëenſium anno 1500. primùm in Germaniâ prodijt, & poſteà varijs in locis iterum excuſa fuit. Contendit ipſe, non ſolùm Baſilëenſes ſincerâ fide vſos nihil addidiſſe, nihil detraxiſſe de verbis huius Decreti, ſed & genuinam eſſe lectionem, quæ ex ipſorum compilatione poſterorum

memoriæ conſecrata fuit. Rationes, quibus opinionem ſuam ſtabilire nititur, ſequentibus Capitibus examinabimus: Ac primò quidem Manuſcriptorum indubitatę fidei Codicum auctoritate oſtendemus, quòd Acta Conſtantienſis Concilij, prout ex compilatione Baſilëenſium edita ſunt, exhibeant Decretum primum ſeſſionis quartæ cum duobus apertiſſimis erroribus, qui in illud irrepſerunt. Capite ſecundo idem confirmabimus æqualium Scriptorum teſtimonijs, & ipſorum Chriſtianiſſimi Regis Oratorum ſuffragijs. Capite verò tertio inquiremus, quam auctoritatem Decretum illud obtineat, & quo ſenſu iuxta mentem ipſorum Patrum Conſtantienſium exponi debeat.

CAPVT I.

Quòd Decretum primum ſeſſionis quartæ ex compilatione Baſilëenſium corruptum ſit, Manuſcriptorum indubitatæ fidei Codicum auctoritate probatur, & obiectionibus D. Maimbourg reſpondetur.

ANtequam oſtendam, quòd Decretum primum ſeſſionis quartæ corruptum ſit,

ſit, memoriâ repetenda ſunt, quæ in Diſſertationis meæ initio annotaueram, Acta nimirùm Conſtantienſia ex Baſilëenſium compilatione primùm ad manus noſtras perueniſſe. Cùm enim Baſilëenſes poſt electionem Felicis V. in locum Eugenij IV. per ipſos aſſumpti vidiſſent, auctoritatem ſuam contemni, & toto Orbe Catholico diminui cœpiſſe, eam Actis Conſtantienſibus reſtituendã eſſe crediderunt, & illorum compilationem ſeptem è ſuis ad id ſpecialiter deputatis mandarunt. Compilatione itaque à Deputatis factâ, pauci, qui Baſilëæ permanſerant, illam auctoritate ſuâ roborarunt, & ſpeciali Bullâ eidem partìm præfixâ, partìm poſtpoſitâ præceperunt, compilationi ſuæ eamdem fidem adhibendam eſſe, ac ſi ab ipſis Patribus Conſtantienſibus facta & eorumdem Bullâ authenticâ munita eſſet. *Statuimus*, inquiunt, *ac decernimus & mandamus, quatenùs præfatis Decretis, Geſtis ſuperiùs inſertis in Iudicijs & extra vbicumque producta, exhibitaque fuerint, vel oſtenſa, in omnibus & per omnia ſtetur, ac fides plenaria adhibeatur, perinde ac ſi Bullâ eiuſdem Conſtantienſis Sy-*

Bulla Baſileenſium in ea parte, quæ Acta Conſtantienſia ab ipſis compilata ſubſequitur.

no-

nodi bullata forent, nec ad illorum probationem aliud adminiculum quomodolibet requiratur.... Datum Baſileæ Pridie Nonas Februarij Anno à Natiuitate Domini 1442.

Ita Baſilëenſes in eâ parte Bullæ, quæ compilationi Actorum Conſtantienſium à Deputatis ſuis factæ ſubiungitur. Cùm autem Actorum iſtius compilationis exemplar authenticum cum Bullâ plumbeâ in cordulâ ſerici pendente aſſeruatum fuiſſet in Germaniâ vſque ad annum 1490. eo ipſo anno Ioannes Huober ex Inderdorff Artium Liberalium Magiſter & Sacræ Theologiæ Baccalaureus illud propriâ manu deſcripſit, eiuſq; copiam cum Originali conuenire teſtatus eſt Matthias Strinbach publicus Auctoritate Apoſtolicâ Notarius, vt patet ex hoc eius teſtimonio: *Concordant ſeſſiones & Decreta ſupraſcripta Sacri Generalis Concilij Conſtantienſis cum exemplari de pergameno Bullâ plumbeâ Sacræ Generalis Synodi Baſilëenſis modo, formâ, & Notario, quibus ſuprà, bullato, & auſcultato, facta vnà cum præfato Magiſtro Ioanne infraſcriptorum Scriptore collatione diligenti per me Mat-*

Teſtimonium Notarij publici.

Matthiam Strinbach Clericum Eiſteten-ſis Diœceſis publicum Sacrâ Apoſtolicâ auctoritate Notarium ſubſcriptum, rogatum, & requiſitum, in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum redacta in 123. folijs præſenti in numero computato, quod proteſtor manu & ſignito ſolito meis proprijs. Extat hoc teſtimonium in Conſtantienſis Concilij editione, quæ anno 1500. in Imperiali Oppido Hagenouw ad fidem ſupradictę copiæ cum Originali fideliter collatæ typis prodijt.

Atque hæc eſt omninò prima Actorum Conſtantienſium editio, quæ vt ex compilatione Baſilëenſium primùm typis deſcripta apparuit, ita & in ſequentibus editionibus ſeruata fuit, vt poſt diligentem earum collationem cuique conſtabit. Prima enim editiò nullo verbo addito, nullo detracto anno 1511. operâ Zachariæ Ferrerij Abbatis Vicentini, annis 1524. & 1535. Pariſijs curâ Iacobi Merlini Doctoris Sorbonici, vti & anno 1530. Coloniæ typis Quentelianis iterum excuſa fuit. Petrus Crabbe, qui poſt has Actorum Conſtantienſium editiones anno 1538. nouam Conciliorum coll.ctionem duobus Tomis

in

folio edidit, eamdem planè compilationem Actorum Conſtantienſium ſeruauit, ſed addito ad Decretum primum ſeſſionis quartæ verbo *ad fidem*, quod in præcedentibus editionibus deerat, & adiunctis per modum Appendicis plurimis alijs, quæ in Manuſcripto Codice Colonienſi inuenerat, cum quibus à cæteris Conciliorum collectoribus Synodi Conſtantienſis Acta ſubinde typis deſcripta fuerunt. Hoc tamen diligenter poſteriores obſeruarunt, quòd Acta, quæ Petrus Crabbe ex Manuſcripto Codice Colonienſi in Appendicem retulerat, illi iuxtà textum ſuis locis diuerſo charactere inſeruerint. Compilationem enim Actorum Conſtantienſium à Baſilëenſibus factam ſemper integram & intactam ſeruare voluerunt Conciliorum Collectores, qui licèt priorem partem Bullæ Baſilëenſium abſtulerint, in huius tamen veritatis confirmationem poſteriorem partem retinuerunt. Videri poſſunt Collectio Conciliorum, quæ anno 1588. Venetijs prodijt apud Nicolinum: Collectio Conciliorum, quæ Romæ an. 1628. typis Reuer. Cameræ Apoſtolicæ quatuor Tomis in folio excuſa fuit: Editiones Conci-

Petrus Crabbe legens in Baſileenſi Concilio ſeſſ. 2. 16. & 18. Decretum primum Conſtantienſe ſeſſionis 5. cum mentione *ad fidem*, hinc anſam arripuit addendi ad Decretum primum ſeſſionis quartæ eamdem vocem, vt patet ex eius notis marginalibus.

ciliorum Colonienſes, quas Seuerinus Binius poſt Romanam adornauit: Collectio Conciliorum Luparea, quæ 37. ingentibus Tomis ex Typographiâ Regiâ Pariſijs edita fuit: Labbejana demùm, quæ quartâ parte auctior publicam lucem aſpexit: manifeſtumque fiet, in his omnibus editionibus poſteriorem partem Bullæ Baſilëenſium, & Teſtimonium Notarij Apoſtolici ſuprà relatum numquam omiſſa fuiſſe, ſicque verum eſſe, quòd in Diſſertatione meâ nuper annotaui, Decreta Conſtantienſia, prout ad manus noſtras peruenerunt, à Baſilëenſibus compilata fuiſſe.

Hiſce autem ſuppoſitis proferendum eſt primum Decretum ſeſſionis quartæ, de quo in præſenti agitur, quodque ex compilatione Baſilëenſium his verbis typis deſcriptum fuit: *Quòd ipſa Synodus in Spiritu Sancto congregata legitimè, Generale Concilium faciens, Eccleſiam Catholicam repræſentans poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet, cuiuſcumq; ſtatus, vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad extirpationem dicti ſchiſmatis, & re-* *Decretum 1. ſeſſ. 4. ex editione anni 1500*

C *for-*

formationem Eccleſiæ Dei in Capite & in membris. Ita Decretum ex primâ editione anni 1500. in quod duo errores irrepſerunt, quorum primus conſiſtit in omiſſione vocis *ad fidem*, quam adeſſe debere, ex Manuſcriptis Conſtantienſis Concilij Codicibus indicaueram: ſecundus verò in additione illorum verborum: *Et ad reformationem Eccleſiæ Dei in Capite & in membris*, quæ abeſſe debere, in Diſſertatione meâ, ſequentibus verbis oſtenderam.

Ex Diſſertatione mea anno 1683. de Senſu & Authoritate Decretorum Conſtantienſis Antuerpiæ edita.

„Tres Codices Manuſcripti continentes Acta Conſtantienſis Concilij à Notarijs ipſius conſcripta, ex quibus Baſilëenſes Decreta compilarunt, non habent illa verba in primo Decreto ſeſſionis quartæ: *Et ad reformationem generalem Eccleſiæ Dei in Capite & in membris.* Codices quatuor Manuſcripti continentes Geſta indubitata Conſtantienſis Synodi, quorum duo circà ipſius Conſtantienſis Concilij tempus conſcripti ſunt, licèt habeant multò plura, quàm hactenùs edita, nullam tamen mentionem faciunt in Decreto ſeſſionis quartæ *de reformatione Eccleſiæ in Capite*

Quatuor MS. Codices Conſtant.

„&

„ *& in membris*. Quin imò in vno ex iſtis
„ Codicibus poſt hæc Decreti verba, *Ad*
„ *fidem, & ad extirpationem dicti ſchiſma-*
„ *tis*, notatum erat: *Iſte* (nimirùm arti-
„ culus) *imperfectè fuit factus*, *vt ſequi-*
„ *tur*, *ideò ſuppletur in ſeſſione ſequenti*.
„ Quibus indicatur, clauſulam *de reforma-*
„ *tione Eccleſiæ in Capite & in membris*
„ abeſſe debere à Decreto primo ſeſſionis
„ quartæ, ideòque illud Decretum reno-
„ uatum fuiſſe in ſeſſione quintâ, in quâ
„ ſolummodo clauſula illa adiungenda eſt,
„ vt ſtatim videbimus. Duo demùm Co- *Regeſtum Conſtantienſe ex 2. MM. SS. Codicibus.*
„ dices continentes Regeſtũ Actorũ Con-
„ ſtantienſis Concilij, quorum vnus circà
„ tempus ipſius Concilij ſcriptus ſpectauit
„ ad Eminentiſſimum Cardinalem Sirle-
„ tum, alius antiquo charactere Italico
„ conſcriptus eſt, licèt omnia Acta conti-
„ neant à primâ ſeſſione vſque ad electio-
„ nem Martini V., nullam tamen men-
„ tionem faciunt in Decreto ſeſſionis quar-
„ tæ *de reformatione in Capite & in mem-*
„ *bris*. Cæteros, quos vidi, Codices recen-
„ tiores prætereo, in quibus tamen omni-
„ bus prædicta verba deſiderantur, vt in-
„ dubitatum ſit, à Baſilëenſibus erroneè

„Decreto ſeſſionis quartæ adiuncta , & à „Collectoribus Conciliorum errore Baſi-„lëenſium deceptis typis fuiſſe edita.

Hæc cùm ego iam pridem de duplici errore, qui ex compilatione Baſilëenſium in primum Decretum ſeſſionis quartæ irrepſerat , annotaſſem , placuit D. Maimbourg dicta mea ad trutinam reuocare : & quamuis primum errorem negare noluerit, ſecundum tamen ferre non potuit, ſed verba illa *de reformatione Eccleſiæ in Capite & in membris* , Decreto ſeſſionis quartæ adeſſe debere , adeò pertinaciter contendit, vt Codices à me citatos pro nihilo ducens errorem Baſilëenſibus à me tributum in crimen mihi verterit: „Vnde „enim (inquit) ipſe habet,quòd Codex Ma-„nuſcriptus, quo pro compilatione Actorũ „Conſtantienſium vſi ſunt Baſilëenſes, non „continuerit iſta verba? Quare ſine certâ „ſcientiâ accuſat illos impoſturæ? Nonne „quotidiè videmus , quòd plures Manu-„ſcripti Codices eiuſdem Operis differant, „ſic vt reperiatur in vno, quod omiſſum „erat in alio, & quòd hâc ratione corrigan-„tur antiquę editiones? „ Hæc Auctor ille, cui idem omninò obijci poſſet de omiſſio-

D. Maimbourg cap. 23. pagina 235. Qui luy a dit, que le Manuſcrit, ſur lequel les Peres de Baſle ont fait leur extrait, n'avoit pas ces paroles ? Pour quoy ſans en eſtre bien aſſeurè les accuſe t'il d'impoſture ? Ne voyons nous pas tous les jours, qu'il y a de la difference entre pluſieurs Manuſcrits d'un meſme ouvrage, qu'on trouve dans l'un ce, qu'on

ſione *fidei*, quam Tabellario potiùs, quàm Baſilëenſibus tribuit. Vnde enim accepit, quòd Codex Manuſcriptus Baſilëenſium, ex quo prima editio Actorum Conſtantienſis Synodi prodijt in Imperiali Oppido Hagenow, habuerit vocem *fidei*? Quare ſine certâ ſcientiâ accuſat Tabellarium erroris? An ignorat forſan, quòd copiam ex Manuſcripto ipſorum Baſilëenſium manu Ioannis Huober ex Inderdorff Sacræ Theologię Baccalaurei extractam cum ſuo Originali concordare teſtatus ſit Matthias Strinbach publicus auctoritate Apoſtolicâ Notarius? Cur ſine firmo fundamento Notarij Apoſtolici fidem, non ſolùm in dubium reuocat, ſed apertè ſugillat, eumque, qui pro veritate ex officio teſtimonium tulit, falſitatis arguit? An ignorat quoquè, poſt decem annos à primâ editione Acta Conſtantienſis Concilij ex Baſilëenſium compilatione veniſſe ad manus Zachariæ Ferrerij Abbatis Vicentini, quodque ipſe in editione Mediolanenſi anni 1511. non ſolùm omiſerit vocem *fidei* in primo Decreto ſeſſionis 4. ſed & illud ipſum in Compendium redigens his verbis retulerit: *Quòd Conſtan-*

auoit omis dans l'autre, & que c'eſt ſur cela, qu'on corrige les anciennes editions?

Compendium primi Decreti ſeſſionis quintæ Auctore Zacharia Ferrerio Abbate Vicentino.

ſtantienſe Concilium poteſtatem habet immediatè à Chriſto, & eidem quicumque etiam Papalis dignitatis ſubÿcitur in pertinentibus ad extirpationem ſchiſmatis, & reformationem Eccleſiæ in Capite & in membris. Hìc D. Maimbourg videre poterat, Abbatem Ferrerium non magìs in compilatione Baſilëenſium vocem *fidei* inueniſſe, quàm Matthiam Strinbach publicum Auctoritate Apoſtolicâ Notarium. Nonne legit Merlinum Doctorem Pariſienſem, quòd eodem modo iuxta Baſilëenſium compilationem omiſerit vocem *fidei* in collectione Conciliorum editionis Pariſienſis anni 1524. apud Galliotum A Pratis, Colonienſis anni 1530. ex Ædibus Quentelianis, & Pariſienſis anni 1535. apud Franciſcum Regnauit?

Hi autem omnes, cùm Acta Conſtantienſis Concilij iuxta Baſilëenſium compilationem ediderint, quid reſpondebit D. Maimbourg, ſi ab ipſo petatur, vndenam habeat, Tabellarium potiùs, quàm ipſos Baſilëenſes vocem *fidei* in Decreto primo ſeſſionis quartæ omiſiſſe? Nonne fateri debebit, hoc gratis & ſine vllo fundamento ab ipſo aſſertum eſſe? Num-

quid

quid negare poterit, me rectiùs eorum, qui compilationem Baſilëenſium viderunt, teſtimonio innixum dicere potuiſſe, in eâ perperam omiſſam eſſe vocem *fidei*, quam in Manuſcriptis Conſtantienſis Concilij Codicibus ante tempora Baſilëenſium conſcriptis extare conſtat; proindeque à Petro Crabbe anno 1538. in editione Conciliorum non immeritò adiunctam fuiſſe?

Sicut autem quoad omiſſionem vocis *fidei*, ita quoad clauſulam *de reformatione Eccleſiæ in Capite & in membris* Decreto primo ſeſſionis quartæ à Baſilëenſibus adiunctam errorem irrepſiſſe, ex ijſdem Manuſcriptis Codicibus Conſtantienſis Concilij, niſi mea me fallat opinio, oſtendere licuit. Neque percipere potui, quid ſibi velit D. Maimbourg, dum mihi varias Codicum lectiones obijcit; ac ſi negaſſem, reperiri poſſe in vno, quod deeſt in alio: quaſi verò ego ipſe non oſtendiſſem, in Actis Conſtantienſis Concilij reperiri vocem *fidei*, quæ omittitur in compilatione Baſilëenſium; & e contrà in Actis Conſtantienſibus non reperiri clauſulam *de reformatione*, quæ in compilatione Baſi-

ſi-

ſilëenſium adiungitur. An fortè credit, Manuſcriptos Codices reperiri poſſe, in quibus aliquid deeſt, quod ex alijs ſuppleri debeat: & reperiri non poſſe, in quibus aliquid adiunctum fuit, quod omitti debuerat? Vltimum circà clauſulam de *reformatione* in compilatione Baſilëenſium contigiſſe, ex Manuſcriptis indubitatæ fidei Codicibus Acta Conſtantienſis Concilij continentibus clariùs monſtraueram, quàm vt negari potuerit. Iam enim non modò oſtenderam, illa verba in ijs deeſſe, ſed poſitiuè probaueram ea planè excludi debere. Pergit nihilominùs D. Maimbourg, & cùm varia ſint Acta Conſtantienſis Concilij, omneſque Codices Manuſcripti non eamdem Actorum collectionem contineant, petit, vnde habuerim, *quòd Codex Manuſcriptus, quo pro compilatione Actorum Conſtantienſium vſi ſunt Baſilëenſes, non continuerit iſta verba?*

D. Maimbourg loco proximè citato.

Verùm reſponſionē ad hanc obiectionem, ſi Diſſertationem meam benè examinaſſet, ex his verbis ſuprà relatis colligere potuiſſet: „ Tres Codices Manuſcripti conti„nentes Acta Conſtantienſis Concilij à No„tarijs ipſius conſcripta, ex quibus Baſi„lëen-

In Diſſertatione mea ſuprà de duobus Codd. MM. SS. in Bibliotheca Vaticana, & vno in Bibliotheca defuncti nuper Eminentiſſ. Cardinalis Riccij aſſeruatis.

„ lëenſes Decreta compilarunt, non habent „ illa verba in primo Decreto ſeſſionis 4. : „ *Et ad reformationem Generalem Eccleſiæ Dei in Capite & in membris* . „

Potuiſſemne clariùs aſſerere, vndenam habebam, verba illa in Codice, quo Baſilëenſes vſi ſunt, deeſſe? Potuiſſemne certiori teſtimonio comprobare? Baſilëenſes vſi ſunt Actis à quatuor Protonotarijs Conſtantienſis Synodi collectis, vt in titulo ſuę Compilationis ipſimet fatentur: in Actis autem, quæ ab ipſâ Conſtantienſi Synodo per Protonotarios ad id deputatos collecta fuerunt, verba illa deeſſe, ex tribus eiuſdem collectionis Manuſcriptis Codicibus probaui: neque quidquam, vt puto, ad confirmandam rem noſtram expreſſiùs dici, vel afferri potuit. Ne autem quiſquam ſuſpicetur, Codices à me ſuprà allatos dubię fidei cenſendos eſſe, monere placuit, illos antiquiſſimos eſſe, & inter eos reperiri, qui ante tempora Baſilëenſis Concilij ſcripti fuerunt, contrà quos ne vnum quidem antiquum Codicem Manuſcriptum Acta à quatuor Notarijs Conſtantienſis Concilij ſcripta continentem D. Maimbourg attulit, ſed nec vmquam adferre

poterit, in quo Decretum primum Seſſionis quartæ cum clauſulâ de *reformatione* exhibetur.

Quamuis autem vel ſola Acta Protonotariorum Conſtantienſium ſufficere debuiſſent, ad Baſilëenſium compilationem erroris conuincendam, volui tamen in Diſſertatione meâ alios Manuſcriptos Codices adſerre: prioribus namque tribus adiunxi quatuor alios indubitatæ fidei Geſta Conſtantienſia continentes, quorum duos circà tempus ipſius Concilij ſcriptos fuiſſe, conſtat. Citaui inſuper duos Codices antiquiſſimos Regeſtum Conſtantienſis Synodi continentes, quorum vnus circa tempus Conſtantienſis Concilij ſcriptus ad Eminentiſſimum Cardinalem Sirletum ſpectauit, alter antiquo charactere Italico exaratus eſt, in quibus eadem verba deſunt in Decreto primo ſeſſionis quartæ. Quòd ſi hi non ſufficiant, adiungere poſſum celeberrimum Codicem Capranicenſem, qui ad vſum Cardinalis de Capranicâ Baſilëenſis Concilij temporibus ſcriptus videtur, & quo Philippus Labbeus ſæpiùs vſus eſt in Appendice ad Synodum Conſtantienſem: in hoc enim, vt in reliquis omnibus

ſu-

ſuprà citatis, deeſt clauſula *de reformatione Eccleſiæ in Capite & in membris*. Accedit alius Codex planè antiquiſſimus, qui ex Bibliothecâ Eminentiſſimi quondam Cardinalis Ludouiſij in Bibliothecam Eminentiſſimi Cardinalis Ottoboni migrauerat, eiuſdemque Romanæ Eccleſiæ Principis liberalitate in Bibliothecâ Vaticanâ repoſitus fuit, in quo eadem omninò deſiderantur. Demùm omiſſis alijs teſtari poſſum, quòd inter omnes Manuſcriptos Codices Conſtantienſis Synodi, quos magno numero me vidiſſe contigit, nullum repererim, in quo verba illa habentur, pręterquam vnum recentiori manu ex Sirleti Codice tranſcriptum, in quo Tabellarius, cùm Originale difficili charactere exaratum eſſet, Acta ex editis Codicibus deſcripſit, & verba illa contrà fidem Originalis Manuſcripti Decreto primo ſeſſione quartâ adiunxit.

Manuſcriptus Codex Capranicenſis, qui etiamnū conſeruatur Romæ in Collegio Capranicenſi.

Dicat iam D. Maimbourg, reperiri variorum Codicum lectiones circà vnum idemque opus: ego ſanè non reperi vllum Codicem Manuſcriptum Conſtantienſis Concilij, qui circà lectionem primi Decreti ſeſſionis quartæ variat. Dicit, ſe re-

periſſe in Galliâ,& vt verba ipſius adferam: „Vt (inquit) oſtendam, reuera reperiri, „declaro ipſi, quòd Codices, quos vidi „antiquiſſimos, habeant eadem illa verba „ad finem Decreti ſeſſionis quartæ: & hoc „ipſo momento, quo hæc ſcribo in meâ „commoratione apud S. Victorem Pari-„ſijs, vbi annuentibus Dominis Canonicis „Regularibus huius Regalis Monaſterij, „mihi delegi ſeceſſum honeſtum,& profeſ-„ſioni ac modo viuendi conformem, præ „oculis habeo celebre illud Manuſcriptum „famoſæ ipſorum Bibliothecæ, ex quo D. „Spondanus deſumpſit rariora hiſtorię ſuæ „de Conſtantienſi Concilio, de quo pro-„cul dubio pulcherrimus eſt magni ſui „Operis locus. In hoc itaque Manuſcri-„pto, quod eſt antiquiſſimum eorum, quæ „haberi poſſunt, lego hoc Decretum de „verbo ad verbum, ſicut eſt in Actis ty-„pis deſcriptis, & in vltimis editionibus, „quæ exactiores ſunt, & correctiores. Sed „ecce, quod magis vrget. Habemus in „iſtis Manuſcriptis Sancti Victoris extra-„ctum ſeſſionum, quas, vt celebrabantur, „illi, qui pro parte Nationis Gallicæ Con-„cilio aderant, Lutetiam mittebant. Et

D. Maimbourg pagina 236. Et pour luy monstrer, qu'ils le ſont, je luy declare, que ceux, que j'ay veus, & qui ſont tres anciens, ont ces meſmes paroles à la fin du Decret de la quatrieme ſeſſion. Et au moment meſme, que j'ecris cecy dans mon apartemẽt de Saint Victor de Paris, où Meſſieurs les Chanoines Reguliers de cette Abbaye Royale m'ont fait la grace de me laiſſer choiſir une retraite honorable & conforme à ma profeſſion, & à ma maniere de viure, j'ay deuant moy ce celebre Manuſcrit de leur fameuſe Bibliotheque, d'où Monſieur de Sponde a tirè tout ce, qu'il y a de plus rare dans ſon Hiſtoire du Concile de Cõſtance, qui eſt aſſeurement le plus bel endroit, de ſon grand ouvrage. Or dans ce Manuſcrit, qui eſt le plus ancien, que l'on puiſſe auoir, je lis ce

De-

„Decretum hoc ſeſſionis quartæ affertur „ibi eodem modo, quo illud habemus. „D. Schelſtrate dicetne, Concilium Baſi-„lëenſe, quod pluribus annis poſt Conſtan-„tienſe habitum fuit, hæc extracta corru-„piſſe? Quid ad iſta reſpondere poterit?

Decret mot pour mot comme il eſt dans les Actes imprimez, & dans les dernieres editions les plus exactes, & les plus correctes de toutes.

Mais voicy quelque choſe encore de plus fort. Nous auons dans ces Manuſcrits de Saint Victor l'Extrait des ſeſſions, que ceux, qui eſtoient au Concile pour la Nation Françoiſe, envoyoient à Paris à meſure qu'on les tenoit; & cè Decret de la quatrieme ſeſſion s'y trouve en termes formels, comme nous l'avons.

M. Schelſtrate dira t'il, que le Concile de Basle, qui ne s'eſt tenu, que pluſieurs annees apres le Concile de Conſtance, a falſifiè ce Extraits? Que pourra t'il repondre à cela?

Quid reſpondere poſſim, inquirit Auctor ille, ac ſi duorum Manuſcriptorum ſuorum teſtimonia irrefragabilia eſſent, & poſterioris auctoritati nihil opponi valeat, cùm tamen faciliter eidem ſatisfiat. Si enim verum eſt, quod obſeruat, quoſdam pro Natione Gallicâ Conſtantiæ exiſtentes, Acta ſeſſionum eo modo Lutetiam miſiſſe, quo in illo Codice continentur: Reſpondeo, à Natione Gallicanâ præcipitanter concluſum fuiſſe, vt Decretum cum iſtis verbis ſeſſione quartâ publicaretur, & Decretum illud eo modo in ipſâ ſeſſione Cardinali Florentino, vt publicè ab eo legeretur, oblatum fuiſſe: Cardinalem tamen, cùm inter legendum ad illa verba *de reformatione* veniſſet, ſubſtitiſſe, & vt teſtatur Panormitanus in Tractatu, cui titulus eſt, *Sententia finalis*, noluiſſe illa verba legere, tamquam præter communem deliberationem addita: Decretum autem ab

Abbas Panormitanus in tractatu de Sententia fin.

ijs,

ijs, qui pro Natione Gallicanâ Conſtantiæ erant, Pariſios miſſum fuiſſe; prout in Natione ſuâ concluſum erat, & ita facilè Auctorem Codicis S. Victoris Pariſijs commorantem decipi potuiſſe, qui ipſemet conqueritur de inuerſo quandoque ordine eorum, quæ de Actis Conſtantienſis Concilij in Codice ſuo deſcripſerat. Quod vltimum ſi D. Maimbourg quærat, vnde habuerim, id à fidiſſimo & oculato teſte me accepiſſe reponam, & ſi neceſſe ſit, nomen eius adducam. Ipſe interim Codicem ſuum reuidere poterit, ad cuius auctoritatem confirmandam pag. 237. ita contra Manuſcripta à me allata ſubiungit: „Ne demùm nobis opponendam putet multitudinem ſuorum Manuſcriptorum, numerat enim vſque ad nouem, dicam ipſi, „Pariſijs pluſquam decem reperiri, quæ „conſonant huic Codici Sancti Victoris, „qui vel ſolus pluris valet, quàm omnes „ſui.„ Verùm fallitur D. Maimbourg, & de re ſibi incompertâ loquitur: licèt enim Codicem Sancti Victoris meritò cæteris Manuſcriptis Pariſijs aſſeruatis, quæ ſe vidiſſe aſſerit, præferre potuerit, immeritò tamen Codicibus Manuſcriptis à me ci-

D. Maimbourg pag. 237. Et à fin, qu'il ne penſe pas nous oppoſer la multitude de ſes Manuſcrits, car il en conte juſques à neuf, j'ay à luy dire, qu'il y en a dans Paris plus de dix tres-conformes à celuy de Saint Victor, qui ſeul vaut mieux, que tous les ſiens.

citatis, quos numquam vidit, præponi debêre contendit, cùm vix vllum Codicem Manuſcriptum citauerim, qui non præſtet Codici Sancti Victoris ab ipſo allato, nec mihi ſolùm, ſed & alijs notiſſimo.

Cæterùm hæc reſponderi poſſunt, ſuppoſito, quòd D. Maimbourg verum dicat de clauſulâ in Codice Sancti Victoris adiunctâ, quod ideò repeto, non quia dubito de eius fide, ac ſi nos decipere voluiſſet, ſed quia ſuſpicari licet de non adhibitâ ſufficienti diligentiâ, cuius defectu ipſe deceptus fuit, & ſeſſionem quartam cum quintâ confudit. Vt enim mentem meam clarè exponam, vix credere poſſum, verba *de reformatione Eccleſiæ in Capite & in membris*, reperiri ſeſſione quartâ in Codice Sancti Victoris, vel alio quopiam antiquiori, ex omnibus ijs, quos Auctor ſe vidiſſe, & Pariſijs aſſeruari teſtatus eſt. Neque mihi imputare debet D. Maimbourg, quòd ita de ſcriptis ſuis ſentiam, ſed ſibi, quando tam aſſeueranter pro ſe citat Ioannem Gerſonium Vniuerſitatis Pariſienſis Cancellariũ, cuius verba tamquam oculati teſtis putat eſſe irrefragabilia. „ Nam S. „ & eruditus homo ille (inquit) de cuius

D. Maimbourg vbi ſuprà pagina 238.

„ ſi-

„fide ſuſpicari non licet, & cuius Manu-„ſcripta habemus, refert pluribus locis „primum hoc Decretum Seſſionis quartæ, „prout eſt in Manuſcripto Sancti Victo-„ris, & Actis editis: atque (quod nullam „admittit reſponſionem) retulit illud in „ſermone coram toto Concilio facto pro „*viaggio* Regis Romanorum; vbi cùm „integrum recitaſſet cum hac clauſulâ, „*ad reformationem Eccleſiæ Dei in Capi-„pite & in membris*, immediatè dixit ad „Patres Concilij, exponens opinionem „ſuam his verbis omninò efficacibus: *Con-„ſcribenda prorsùs mihi videtur in emi-„nentioribus locis, vel inſculpenda per om-„nes Eccleſias ſaluberrima hæc definitio, „lex, vel regula &c.* Rogo nunc D. Schel-„ſtrate, vt mihi ſincerè dicat, an audeat „credere, Cancellarium Pariſienſem tam „impudentem fuiſſe, vt recitaſſet in ſer-„mone coram Patribus Concilij Decretum „ſeſſionis quartæ aliter, quàm ipſimet „illud fecerant? Vt adiunxiſſet impu-„denter hæc verba *ad reformationem Ec-„cleſiæ in Capite & in membris*, quæ Con-„cilium ipſum non adiunxerat, & ad ipſos „ſubinde locutus fuiſſet eo modo, quo iam „re-

Car en fin ce ſaint & ſçauant homme, qu'on ne peut ſubçonner d'impoſture, & de qui nous auons les Manuſcrits, rapporte ce premier Decret de la quatrieme ſeſſion mot pour mot, comme il eſt dans les Manuſcrit de Saint Victor, & dans les Actes imprimez: & ce qui eſt tout-à-fait ſans replique, eſt, qu'il le rapporta en preſence meſme de tout le Concile dans le ſermon, qu'il fit pour le voyage du Roy des Romains, & qu'ayant recitè ce Decret tout entier auec cette clauſe; *Ad generalē reformationem Eccleſiæ Dei in Capite & in membris*. Il dit immediatement après à tous les Peres du Concile en declarant ſon ſentimēt ces paroles extremement fortes: *Ie crois d'avis, qu'on fit ecrire, ou meſme grauer &c.* Ie ſupplie maintenāt M. Schelſtrate, de me dire de bonne foy, s'il oſe

„retuli. Habeo illum pro Viro nimis honeſto & prudenti, quàm vt vnico momento hæc cogitet. Et nullatenus dubito, quin Deo gloriam tribuat, admittendo, quòd, cùm Gerſonius coram toto Concilio recitarit hoc Decretum, ſicut eſt in Actis editis, omninò euidens ſit, ita à Concilio factum fuiſſe, neque vllatenus falſificatum eſſe, cùm Concilium alioquin illum tamquam impudentem falſificatorem explosiſſet.„

Hæc D. Maimbourg, qui iam dicta putat Teſtimonio inniti, cui nihil omninò opponi poteſt: adeò certò namque ſupponit, Ioannem Gerſonium Cancellarium Vniuerſitatis Pariſienſis citaſſe Decretum primum ſeſſionis quartæ, vt ne dubitari quidem eâ de re ſinat, neque plane victum exiſtimet: proſequitur proinde argumentum, & adiungit alium locum eiuſdem Gerſonij ex ſermone, quem habuit coram Concilio ſecundâ Dominicâ poſt Epiphaniam ad hunc textum Euangelij: *Nuptiæ factæ ſunt in Canâ Galilææ.* Vbi poſt alia dicit: *Numquid non ideò Sacra huius Synodi Conſtantienſis impugnantur iudicia, quæ ſic habent.* „*Primò declarat &c.* „Et „ad-

croire, que le Chancelier de Paris eut l'effronterie de reciter en un ſermon. & devant tous les Peres du Concile le Decret de la 4. ſeſſiō autremēt, qu'eux meſme ne l'avoiēt fait; d'y aiouſter impudemment ces paroles: *Ad reformationem Eccleſiæ in Capite, & in membris*, que le Concile ny auroit pas miſes. Et de leur parler enſuite de la maniere, que je uien de dire. Ie le tiens trop homme d'honneur, & trop ſage, pour avoir un ſeul moment cette penſee, & je ne doute nullement, qu'il ne donne gloire à Dieu, en avouant, que puiſque Gerſon recita ce Decret, cōme nous l'avons dans les Actes imprimes, il eſt tout evident, que le Concile l'avoit fait ainſi, & qu'il n'eſt point du tout falſifiè, qu'autremēt le Cōcile l'euſt dimēti comme un impudent impoſteur.

Idem pag. 245. Il rapport icy tout au long le Decret de la quatrieme ſeſſiō avec cette clauſe: *Et ad reformationem Eccleſiæ in Capite & in membris.* Et puis voila, dit il aux Peres du Concile, *le Decret, que vous avez fait.* Apres cela M. Schelſtrate oſera t'il dire encore, que ceux de Baſle ont falſifiè ce Decret en y aiouſtant ces paroles?

Ibidem. Et pour empeſcher, que M. Schelſtrate ne puiſſe dire, qu'on a falſifiè le texte de ce Docteur, en y aiouſtant ces paroles: *Et ad reformationem Eccleſiæ Dei in Capite & in membris;* je luy declare, que le Traitè *De Poteſtate Eccleſiaſtica*, où ce grand hōme produit ce Decret, a eſtè reueù ſur quatre Manuſcrits, deux de la Bibliotheque de S. Victor, cotez N. N. S. & M. M. 11. ſur un du College de Nauarre, & un

„adducit hìc integrè Decretum ſeſſionis „quartæ cum hâc clauſulâ: *Ad reforma-„tionem Eccleſiæ in Capite & in membris.* „*Ecce*, inquit ſubinde ad Patres Concilij, „*Decretum quod feciſtis*. Poſt hæc autem „D. Schelſtrate audebitne adhuc dicere, „quòd Baſilëenſes falſificarunt hoc Decre-„tum, adiungendo illi hæc verba?„ Citauerat in margine paginâ 239. vltrà loca allata ex eodem Gerſone Tractatum *De Poteſtate Eccleſiaſticâ*, & Tractatum, *An & quomodo liceat appellare*. Et ſubiungit paginâ 245. "Et ne D. Schelſtrate dicat, „huius Doctoris textum falſificatum eſſe, „adiunctis ei his verbis: *Et ad reforma-„tionem Eccleſiæ in Capite & in membris:* „declaro ipſi, quòd Tractatus *De Poteſta-„te Eccleſiaſticâ*, vbi magnus ille Vir hoc „Decretum affert, collatus ſit cum qua-„tuor Manuſcriptis, duobus Bibliothecæ „Sancti Victoris ſignatis N. N. S. & MM. „11., vno Collegio Nauarræ, & altero Bi-„bliothecæ D. Colbert ſub numero 99. „Quòd Tractatus, *An & quomodo appel-„lare licet à Summo Pontifice*, vbi idem „Decretum reperitur, omninò conſonet „duobus Manuſcriptis, vni Sancti Victo-

„ris ſignato NN. 9. & alteri Bibliothecæ „Nauarricæ. Quòd ſermo *pro Viaggio* „*Regis Romanorum* fuerit pariter colla-„tus cum Manuſcripto S. Victoris ſignato „in antiquis Catalogis N N. 11. alio Bi-„bliothecæ Nauarricæ, & vno Bibliothe-„cæ D. Colbert ſub num. 99. Quòd de-„mùm id, quod legitur in ſerm. ſuper Euan-„gelium, *Nuptiæ factæ ſunt*, vbi Gerſon co-„ram Patribus Concilij recitauit Decre-„tum ſeſſionis quartæ, reperiatur in anti-„quiſſimo Manuſcripto S. Victoris ſigna-„to N N. 19. de verbo ad verbum, ſicut „editum eſt . . . Et hæc mihi ſufficere „videntur, vt D. Schelſtrate cedere co-„gatur. „

Hucuſque Auctor ille, qui de Opere ſuo perhibet, illud factis inniti, quibus contradici non poſſit: *des faits*, inquit paginâ 168. *tous evidens*, & alibi *inconteſtables*. Cùm autem in toto Tractatu ſuo nihil inuenerim totiès repetitum, ac tanto labore cum Manuſcriptis Codicibus collatum, quàm quod nunc præ manibus habemus ex Ioannis Gerſonij locis deſumptum: operę pretiũ iudicaui, loca cum tanto verborum apparatu propoſita ex Gerſonis Ope-

de la Bibliotheque de Monſieur Colbert cotè 99. que le traitè, *An & quomodo appellare licet à Summo Pontifice*, où l'on trouve le meſme Decret, eſt tres-cõforme à deux Manuſcrits l'une de S. Victor N N. 9. & l'autre de la Bibliotheque de Navarre. Que le ſermõ *pro Viaggio Regis Romanorum*, à eſtè pareillemẽt reveù tres-exactement ſur un Manuſcrit de S. Victor cotè ſelõ les anciens Catalogues: N N. 11. ſur un de la Bibliotheque de Navarre, & ſur un de la Bibliotheque de M. Colbert cotè 99. En fin, que ce, qu'on lit dans le ſermon ſur l'Evangile *Nuptiæ factæ ſunt*, où Gerſon recita deuant le Concile le Decret de la quatrieme ſeſſion, ſe trouve dans un tres-ancien Manuſcrit de S. Victor cotè NN. 19. mot pour mot cõme nous l'avons imprimè... Voila, ce me ſemble, de quoy obliger M Schelſtrate à ſe rendre.

Operibus adducere, eaque cum verbis anterioribus à D. Maimbourg omiſſis in medium adferre. Primus itaque Gerſonis locus ex ſermone eius *pro viaggio Regis Romanorum* deſumptus eſt, vbi ſic loquitur:
Gerſonius ſerm. pro ViaggioRegis Romanorum. *Prima Lex ſiuè Directio liberans iter noſtrum à primo ſcandalo, quæ data eſt in*
† ſexto *ſeſſione publicâ † quinto Aprilis anni præſentis: Concilium Generale poteſtatem à Deo immediatè habet, cui quilibet cuiuſcumque ſtatus, vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem ſchiſmatis, ac generalem reformationem Eccleſiæ Dei in Capite & in membris: conſcribenda prorsùs eſſe mihi videretur &c.* Ex Tractatu
Idem Tract. de Poteſtate Eccleſiaſtica. *De Poteſtate Eccleſiaſticâ* deſumptum eſt aliud Gerſonis teſtimonium ſequens: *Confirmant hanc ſententiam ſtatuta & practicata in hoc Sacro Conſtantienſi Concilio, præſertim 6. Aprilis, anni 1415. in ſeſſione publicâ, cuius inter alia ſunt hæc Decreta duo prima: & primò declarat, quòd ipſa in Spiritu Sancto legitimè congregata &c. Item declarat, quòd quicumque, cuiuſcumque ſtatus, vel dignitatis &c.* Eadem omninò duo Decreta retulit ſermone habi-

bito Dominicâ ſecundâ poſt Epiphaniam, & demùm in Tractatu, *An & quomodo appellare licet à Summo Pontifice*, vbi Gerſon agit de determinatione Concilij, *quæ multipliciter facta eſt, & practicata, & ſpecialiter in ſeſſione publicâ celebratâ die* 6. *Aprilis*, *anno* 1415. *quæ ſic habet inter cætera: & primò declarat, quòd Sancta Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata &c. Item declarat, quòd quicumque &c.*

Idem ſerm. in Dom. 2. poſt Epiphaniam. Idem Tract. An & quomodo appellare licet.

Hæc ſunt loca Ioannis Gerſonis à D. Maimbourg allata, quorum priora verba omiſit, quòd forſan ea nihil ad rem facere crediderit, cùm tamen ex ijs Quæſtio noſtra decidenda ſit. Agimus enim de Decreto ſeſsionis quartæ, quæ celebrata fuit anno 1415. die 30. Martij, qui tunc incidebat in Sabbatum Sanctum, ſeù Vigiliam Paſchæ, vt fidem faciunt omnia Acta Conſtantienſis Concilij, tàm edita, quàm inedita, tàm in Gallijs, quàm in Italiâ conſeruata. Gerſonius autem locis ſuprà allatis loquitur expreſsè de Decreto, quod anno 1415. die 6. Aprilis in ſeſsione publicâ editum fuit Dies autem ſextus Aprilis non fuit Vigilia Paſchæ, ſed *Sabbatum*

MM. SS. Geſta Conſtantienſis Concilij.

tum poſt Paſcha, vt habent Geſta Conſtantienſis Concilij: ſeſſio quoque publica ſexti Aprilis non fuit ſeſſio quarta, ſed quinta, de quâ ſolâ Ioannes Gerſonius loquitur, vt cognoſci poterat ex ſecundo Decreto de auctoritate coactiuâ priori ſubiuncto. Cùm namq; Ioannes Gerſonius ex eâdem ſeſſione duo Decreta allegarit, & ſecundum non niſi ſeſsione quintâ publicatum fuerit, nimis manifeſtum erat, Gerſonium citaſſe Decretum ſeſſionis quintæ, quàm vt id ipſum à quoquam ignorari potuerit.

D. Maimbourg loco ſuprà allato in fine.

Iam triumphum canat D. Maimbourg, qui ſe victorem aſſeruit, antequam pugnauit, meque cedere oportere credidit, priuſquam in arenâ conſtitutum aſpexit: *Voila*, inquit, *ce me ſemble, de quoy obliger M. Schelſtrate à ſe rendre*. Poteratne cum maiori certitudine factum aliquod proponi, cum firmiore de victoriâ ſecuritate vrgeri, cum plurium verborum apparatu plebi inculcari, quàm illud de Decreto ſeſſionis quartæ ex locis Ioannis Gerſonis deſumptum? Quid alij de eo iudicaturi ſint, nolim conijcere; id vnum fateor, me, vbi primò errorem hunc notaueram, ſatìs mirari non potuiſſe, quomodo factum ſit,

quòd

quòd Auctor ille ſcribens de re grauiſſimá tam viſibiliter lapſus fuerit, neminemque Pariſijs inuenerit, qui in conferendis locis Gerſonis cum Manuſcriptis Codicibus errorem animaduerterit. Cùm autem vel ex hoc conſtet, D. Maimbourg ſeſſionem quartam cum quintâ confudiſſe, ſibi imputare debet, quòd non ita facilè ipſi fides habeatur aſſerenti, clauſulam *de reformatione* in cæteris Manuſcriptis S. Victoris ab eo citatis reperiri in Decreto primo ſeſſionis quartæ. Quinimò dum fatetur, eò modo reperiri in Manuſcriptis S. Victoris, alijſque Codicibus, quo à Ioanne Gerſonio citatur; Decretum autem cum clauſulâ *de reformatione* ab ipſo Gerſone citetur tamquam ſeſſionis quintæ; conſequitur profectò ex ipſius Auctoris verbis, etiam in Codicibus ſuis Manuſcriptis reperiri ſeſſione quintâ potiùs, quàm quartâ; quod ipſum teſtati ſunt illi, qui plures ex illis Codicibus Manuſcriptis Pariſijs viderunt, eoſque Decretum primum ſeſſionis quartæ ſine mentione *de reformatione* continere aſſeuerarunt: vt nihil ſit, quod me cedere cogat, nihil quod Manuſcripta à me allata defectuoſa oſtendat;

ſed

ſed plurimum, vnde D. Maimbourg errorem ſuum hæc legendo agnoſcat, & agnoſcendo corrigat.

CAPVT II.

Quòd conſtet ex teſtimonijs fide digniſſimis, clauſulam de reformatione Eccleſiæ in Capite & in membris *à Decreto primo ſeſſionis quartæ abeſſe debere.*

QVAMVIS conſtet ex ſupradictis, quòd Decretum primum ſeſſionis quartæ publicatum fuerit ſine clauſulâ *de reformatione Eccleſiæ Dei in Capite & in membris*; ſi tamen argumento ex tot antiquis & indubitatæ fidei Codicibus petito D. Maimbourg nondum ſibi ſatisfactum eſſe putet, ſed vlteriùs teſtimonijs omni exceptione maioribus veritatem hanc confirmari deſideret: & in hoc quoque ei morem geremus. Conqueſtus eſt paginâ 234. ſui Tractatus, me ex argumento negatiuo Baſilëenſium fidem traduxiſſe: & quamuìs argumentum negatiuum cenſendum non ſit, quod ex Codicibus Manuſcripta Acta Conſtantienſis Synodi continentibus deſum-

ſumpſi, cùm in illis clauſula controuerſa debuiſſet reperiri, ſi Decreto primo ſeſſionis quartæ à Patribus Conſtantienſis Synodi adiuncta fuiſſet; videamus tamen, an nihil aliud protulerim, ex quo de rei veritate conſtare poterat.

Notaueram in Diſſertatione cap. 1. artic. 1. quòd in Codice Manuſcripto Conſtantienſis Concilij poſt hæc Decreti verba, *ad fidem, & ad extirpationem dicti ſchiſmatis*, adiunctum erat: *Iſte* (nimirùm articulus) *imperfectè fuit factus, vt ſequitur, ideò ſuppletur in ſeſſione ſequenti*: quibus verbis, vt ibidem notaui, indicatur, clauſulam *de reformatione Eccleſiæ Dei in Capite & in membris* abeſſe debere à Decreto ſeſſionis quartæ, ideòque illud Decretum renouatum fuiſſe ſeſſione quintâ, in quâ ſolummodò clauſula adiungenda eſt. Et ne D. Maimbourg huius Codicis teſtimonium in dubium reuocet; adiungendum eſt aliud Auctoris celeberrimi, qui tempore Conſtantienſis Concilij viuebat, & prout Patres Conſtantiæ Acta publicabant, ea ipſa ad poſterorum memoriam litteris mandabat. Hic ergo de Decreto ſeſſionis quartæ ita ad annum 1415.

Manuſcriptus Codex continens Geſta Conſtantienſis Concilij.

Gobelinus Perſona in Coſmodromio ætate 6. capite 94.

notat: *Penultimâ die Martij, quæ fuit Vigilia Paſchæ, fuerunt pronuntiati quidam articuli per vnum de Cardinalibus minùs ſufficienter: quapropter ſextâ die menſis Aprilis ijdem articuli per vnum alium de Concilio, Rege præſente, pronuntiati ſunt reformati.*

Decretum primũ ſeſſionis 5.

Primus hic erat: Synodus in Spiritu Sancto congregata Generale Concilium faciens Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans poteſtatem immediatè habet à Chriſto, cui quilibet, cuiuſcumq; ſtatus vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem ſchiſmatis, ac reformationem Eccleſiæ Dei in Capite & in membris.

Decretum tertiũ ſeſſionis 5.

Tertius articulus, dimiſſis cæteris, fuit de irritatione gratiarum per Ioannem Papam factarum per receſſum ſuum à Concilio &c. Qui hoc teſtimonium poſteris reliquit, eſt Gobelinus Perſona Decanus Bilsfeldienſis, & Officialis Paderbornenſis, qui teſtatur circa finem Operis, il-

Quandonam Gobelinus Opus ſuum conſcripſit.

lud à ſe *ſub Bonifacio IX. inchoatum, & ſub Martino Papâ V. anno Pontificatus eius primo, die 1. menſis Iunij, anni Dominicæ Natiuitatis 1418. Illuſtriſſimo Sigiſmundo, Romanorum, Teutoniæ, & Vnga-*

gariæ Regnorum in Sceptris agente conſummatum fuiſſe.

Hìc iam rogo D. Maimbourg, an clarius teſtimonium deſiderare poſſet pro confirmandis illis, quæ ex Manuſcripto Codice noſtro ſuprà retulimus. Gobelinus, qui Conſtantienſis Concilij Acta eo ipſo tempore, quo ſtatuebantur, habuit, & cum fine Conſtantienſis Concilij ſcribendi finem fecit, teſtatur, penultimâ die Martij, quæ fuit Vigilia Paſchæ, quoſdam articulos pronuntiatos fuiſſe per vnum de Cardinalibus *minùs ſufficienter*; quod ipſum teſtatur Codex Manuſcriptus à me citatus, qui eâdem Vigiliâ Paſchæ, quâ ſeſsio 4. celebrata fuit, refert de articulo primo, eum imperfectum pronuntiatum fuiſſe, ſine illis nimirùm verbis: *Et ad reformationem generalem Eccleſiæ Dei in Capite & in membris*. Addit Gobelinus: quia articuli *minùs ſufficienter* pronuntiati fuerant per vnum de Cardinalibus in ſeſsione quartâ, ideò *ſextâ die Aprilis* eoſdem *per vnum alium de Concilio pronuntiatos fuiſſe reformatos*: quod idem Codex Manuſcriptus à me citatus his verbis affirmat: *Imperfectè fuit factus, ideò ſuppletur in ſeſ-*

Gobelinus loco ſuprà citato.

Manuſcriptus Codex Geſta Conſtantienſis Concilij continens.

Gobelinus ſuprà.

Manuſcriptus Codex à me citatus.

ſeſſione ſequenti. An manifeſtiùs conuenire poterat Manuſcriptus Codex cum Gobelino? Quid ad hæc reſpondere poterit D. Maimbourg?

Regeſtum Actorũ Baſileenſium ex Geſtis Conſtantienſis Concilij hucuſque ineditis.

Quòd ſi plura deſideret, erit, quo abundè ei ſatisfiat: Concilium enim Baſilëenſe, cuius auctoritatem tanti facit, refert ex Geſtis Conſtantienſis Concilij, quòd *ob diuerſas opiniones de poteſtate Concilij Generalis in his, quæ pertinent ad reformationem Eccleſiæ, ſuper prima definitione præſcriptus fuerat omiſſus articulus de hoc faciens mentionem, & ſequens, qui ex primo dependet*. Quid clarius? Quid manifeſtius? Quid in rem noſtram expreſſius ſcribi vel afferri potuit? Probauimus ex Manuſcripto Codice, & Gobelino Perſonâ, in Decreto primo ſeſſionis quartæ non reperiri clauſulam *de reformatione*. Geſta ipſius Conſtantienſis Synodi teſtantur, id mirum videri non debere, quia ob varias opiniones de auctoritate Concilij circà reformationem Eccleſiæ ſeſſione quartâ: *Super prima definitione præſcriptus fuerat omiſſus articulus de hoc faciens mentionem*: adduntque, ob omiſſum ſeſſione quintâ articulum illum, Decretum ex integro in

aliâ

aliâ ſeſſione pronuntiatum fuiſſe; quod & omninò dicendum eſſet, licèt ex teſtimonijs à nobis allatis minimè conſtaret. Cur enim Decretum illud ſeſſione quintâ repetitum fuiſſet, ſi illi nihil omninò ſeſſione quartâ defuiſſet?

Et ex his abundè patet, in vanum ſe torquere D. Maimbourg, vt ex Præfatione ſeſſionis quartæ contrarium deducat: „In Manuſcripto ipſius D. Schelſtrate, „inquit, legitur in Præfatione Decreti, „ſicut in Actis noſtris: *Hæc Sancta Sy-„nodus Conſtantienſis, legitimè congrega-„ta pro extirpatione præſentis ſchiſmatis, „& vnione, ac reformatione Eccleſiæ Dei „in Capite & in membris, ad conſequen-„dam faciliùs, ſecuriùs, vberiùs, ac libe-„riùs vnionem ac reformationem Eccleſiæ, „ordinat, definit, & declarat, vt ſequitur, „quòd ſcilicet quilibet, cuiuſcumque digni-„tatis ſit, etiam Papalis, obedire tenetur „Concilio in his, quæ pertinent ad fidem „& extirpationem dicti ſchiſmatis.* Et quis „non videt, pro ſenſu integro iuxta inten-„tionem & expreſſa Concilij verba non „ibi hærendum eſſe, ſed neceſſariò adiun-„gi debere: *Et ad reformationem Eccle-*

D. Maimbourg pag. 248. Dans le Manuſcrit meſme, que M. Schelſtrate produit, on lit dans la Preface du Decret, comme dans nos Actes: *Le Saint Concile de Conſtance legitimement aſſemblé pour l'extirpation du preſent ſchiſme, pour l'union, & pour la reformation, qui ſe doit faire de l'Egliſe dans le Chef, & dans les membres, à fin d'obtenir plus facilement, plus amplement, & plus librement cette union & reformation de l'Egliſe, ordonne, definit, & declare ce, qui ſuit, à ſçauoir: que tout homme de quelque dignité, qu'il ſoit, meſme Papale eſt obligé d'obeir*

„*ſiæ*

„*ſiæ in Capite & in membris?* Et hoc eſt „ in Codicibus noſtris , qui ſunt veri , & „deeſt in Codicibus ſuis : quæ omiſſio , „cùm nullo modo ſuſtineri queat, eos de„fectuoſos eſſe oſtendit.„

au Concile en toutes les choſes, qui appartient à la foy, & à l'extirpation de ce ſchiſme. Et qui ne voit, que pour auoir un ſens complet ſelon l'intention & les paroles expreſſes du Concile, on ne peut s'arreſter là tout court, & qu'il faut neceſſairemét, qu'il y ait encore : *Et à la reformation de l'Egliſe dans le Chef & dans les membres?* Et c'eſt ce, qui eſt dans nos exemplaires, qui ſont les veritables, & ce qui manque dans les ſiens ; que cette omiſſion, laquelle on ne peut nullement ſouſtenir, fait paroiſtre defectueux.

Hæc Auctor ille irrito planè conatu; nam, ſi verum ſit, quod hoc loco ex Præfatione deducit, ſequeretur, à Decreto primo ſeſſionis quartæ abeſſe debere vocem *fidei*, vt potè de quâ in Præfatione per ipſum allatâ nulla mentio facta eſt. Cùm autem ex voce *fidei*, quæ in Decreto adeſt, & in Præfatione non extat, omninò ſequatur, Decretum Præfationi in omnibus correſpondêre non debere; videat, quęſo, cui fundamento argumenta ſua innitantur, & quàm debili ratione concludat, Codices meos defectuoſos eſſe. Non ſolùm à Manuſcriptis Codicibus verba *de reformatione* abeſſe, ſed & abeſſe debere, ijs teſtimonijs comprobaui, quæ nemo prudens contempſerit. Et quamuìs ſequatur, quòd primum Decretum ſeſſionis quartæ non fuerit integrè pronuntiatum, id nihil obſtabit, cùm ita factum eſſe teſtentur Geſta ipſius Concilij, & confirmet Gobelinus. Vnde conſtat, quòd omnes MSS. Codices, qui ar-

articulũ *de reformatione* adiunctũ habent, defectuoſi ſint, illique veri & genuini, qui nullam iſtius articuli mentionem faciunt.

Et hæc ſufficiant de corruptione primi Decreti ſeſſionis quartæ, prout ex compilatione Baſilëenſium ad manus noſtras peruenit, quod emendatione indigere, nimìs clarum & manifeſtum eſt, quàm vt in dubium vocari poſſit. Quod enim D. Maimbourg adijcit de Concilio Baſilëenſi, & eius Præſide Iuliano Cardinali, ac ſi Decretum primum ſeſſionis quartæ Conſtantienſis citaſſent cum clauſulâ *de reformatione Eccleſiæ Dei in Capite & in membris*, eodem vitio laborat, quo cætera loca ſuperiùs examinata: citant enim Baſilëenſes, eorumque Præſes Iulianus Cardinalis Decretũ primum, non ſeſſionis quartę ſed quintæ, quas cùm Auctor noſter confuderit, mirum videri non debet, quòd Manuſcriptos Codices nobis obiecerit: mirum tamen videbitur, ſi poſtquam eos cum editis contulerit, & quandonam ſeſſio 4. habita ſit, diligenter notauerit, eos obijcere perrexerit: tunc enim non ſolùm Codices ſuos erraſſe, ſed (quod longè ab ipſius mente alienum puto) eum quoque er-

errare velle, & ex prædictis conſtabit, & ex Codicibus Gallicis, quorum auctoritatem infringere non audebit, confirmari poterit.

Neque enim deſunt Manuſcripti Codices Gallici, in quibus Decretum primum ſeſſionis quartæ ſine clauſulâ *de reformatione* exhibetur: præterquam enim quòd plures ex illis, quos ipſe D. Maimbourg vidit, clauſulam illam non continere ſciam, notum eſt Pariſijs aſſeruari Manuſcripta Auctoris grauiſſimi, qui tum viuebat, cùm Synodus Conſtantiæ celebrabatur, in quibus Decreta ex ſpeciali Galliæ Legatorum relatione exhibentur, & ſine mentione iſtius clauſulæ poſterorum memoriæ conſecrantur. Cùm enim Auctor Decretum illud deſcripſiſſet, aliaque ad annũ 1415 ſpectantia attuliſſet, ſubiungit: *Redeo ad Concilium Generale Conſtantiæ celebratum pro pace & vnione Eccleſiæ, vt indicem res notatu digniores huius anni, de quibus cum certitudine inſtructus fui per huius Coronæ Legatos.* Ita Auctor in Opere Manuſcripto, quod ante aliquot annos ex Bibliothecâ Thuanâ Pariſijs prodijt; & non ſemel, ſed centiès à D. Maimbourg in ſcriptis

Monachus Sandionyſianus in vita Caroli VI. ex Codice Manuſcripto Bibliothecæ Thuanæ Pariſijs anno 1663. apud Ludouicum Billaine edita per F. de Laboureur.

ptis ſuis citatum fuit: adeoq; ſi dubium aliquod ex Codicibus à me adductis hucuſque habuerit, ex Manuſcriptis & editis Codicibus Gallicanis dubium ſuum auferre poterit; quinimò niſi Legatorum Galliæ, qui Concilio Conſtantienſi adfuerunt, teſtimonium in dubium reuocare velit, auferre debebit.

CAPVT III.

Quòd Decretum primum ſeſſionis quartæ nihil ſpectet ad quæſtionem de ſuperioritate Conciliorum Generalium niſi tempore ſchiſmatis.

NOTAVERAM in Diſſertatione meâ cap. 1. artic. 2. pag. 41. 42. & 43. quòd tres Nationes poſt fugam Ioannis Papæ XXIII. credentes, ſolâ viâ coactionis ſchiſma extirpari poſſe, tumultuoſè concluſerant, celebrandam eſſe ſeſſionem quartam, tumque deſignauerant duo Decreta eâdem ſeſſione publicanda, quorum Primum agit de auctoritate Conſtantienſis Concilij, cui quilibet, cuiuſcumque auctoritatis, licèt Papalis, obedire deberet

in his, quæ ſpectant ad fidem, extirpationem ſchiſmatis, & reformationem Eccleſiæ in Capite & in membris: Secundum verò, quòd quicumque, licèt Papalis auctoritatis exiſtat, huius, ſiuè alterius Concilij Generalis ſtatutis quoad prædicta obedire contumaciter contempſerit, à Concilio puniri poſsit, & legitimæ pœnitentiæ ſubijci. Obſeruaui inſuper, his Decretis ſeſe oppoſuiſſe Cardinales, alioſque, qui tam conſtanter reſtiterunt eorum publicationi, vt conſentientibus Nationibus à primo Decreto ablata ſit illa clauſula: *Et ad reformationem Eccleſiæ Dei in Capite & in membris*; & Secundum Decretum de auctoritate coactiuâ Conciliorum omninò omiſſum fuerit.

Neque hæc deſumpſeram ex ſuppoſititijs ſcriptis, ſeù dubijs quorumdam teſtimonijs, ſed ex Manuſcriptis indubitatæ fidei Codicibus Acta Conſtantienſis Concilij hactenùs inedita continentibus, ex quibus quiſque colligere poterat, Cardinales capitulis ſeſsione quartâ publicandis noluiſſe ſubſcribere, quinimò die 29. Martij apertè declaraſſe Regi Romanorum, quòd nolebant ad ſeſsionem quartam die ſe-

ſequenti celebrandam venire, niſi ſub conditione, *quòd non fierent, neque ſtatuerentur alia Capitula, niſi Capitula infraſcripta:* cùmque die 30. Martij horâ ſeptimâ ante meridiem *conuenientibus in Palatio Epiſcopali Conſtantienſi Domino Rege Romanorum, Dominis Cardinalibus, & Nationibus, fuiſſet plurimùm ſuper infraſcriptis, & alijs Capitulis altercatum*, tandem horâ circiter decimâ ante meridiem, inchoatâ iam ſeſsione, mediante Rege Romanorum conueniſſe inter Dominos Cardinales, & Deputatos Nationum: *Diuino Flamine inſpirante, in vnam ſententiam conuenerunt, quòd tantùm Capitula infraſcripta in dictâ ſeſſione ſtatuerentur*. Inter Capitula autem inferiùs relata, eſt primum ſeſsionis quartæ ſine mentione *de reformatione Eccleſiæ in Capite & in membris*, & non reperitur ſecundum de Auctoritate coactiuâ Conciliorum, quo Pontifices quoad prædicta obedire detrectantes legitimæ pœnitentiæ ſubijci poſsint.

Regeſtum Conſtantienſis Concilij ex duobus Manuſcriptis Codicibus.

Quod ex Regeſto, hoc etiam conſtat ex Geſtis Conſtantienſis Concilij, quæ referunt, non Cardinales tantùm, ſed Legatos

quoquè Regis Galliæ vnum idemque ſenſiſſe: nam inquiunt Geſta illa, quia die 30. Martij ante initium ſeſſionis *Cardinalibus adhuc non fuerat plenè aperta materia agendorum in illâ ſeſſione, nec etiam Ambaſſiatoribus Regis Franciæ, præfati Cardinales & Ambaſſiatores erant deliberati non intereſſe in ſeſſione, & licèt Rex multùm inſtaret apud Cardinales, quòd intereſſent, tandem cùm iam Prælati ſederent in Concilio cum Mitris & Pluuialibus, Rex tractauit cum Cardinalibus, & per eius medium adhibito quodam moderamine in expediendis in illâ ſeſſione, Cardinales conſenſerunt intereſſe, & fecerunt, quòd etiam interfuerint Ambaſſiatores Regis Francorum, cum quibus Cardinales ſe coniunxerunt, & illi cum Cardinalibus*. Ita Geſta ipſa Conſtantienſis Concilij, in quibus refertur, omiſſum fuiſſe tam articulum *de reformatione*, quàm Secundum Decretum de auctoritate coactiuâ, prout & duo iſta inter Decreta ſeſſionis quartæ in ijſdem Geſtis relata deſiderantur.

Geſta Conſtantienſis Concilij ex quatuor Manuſcriptis Codicib.

Quamuìs autem hæc clarè faciant contrà D. Maimbourg, aſſumit tamen verbum

il-

illud de *moderamine* à Rege Romanorum adhibito, & commentatur: „ Et hoc ipſum eſt, quod volumus. Quatuor articuli „ examinandi erant quoad hoc Decretum: „ Primus, An Concilium recepiſſet immediatè à Ieſu Chriſto poteſtatem, cui Pontifex ipſe obedire tenetur in his, quæ „ ſpectant ad fidem & extirpationem ſchiſmatis. Secundus, An in Decreto poni „ deberet, *Quod ſpectat ad reformationem* „ *Eccleſiæ Dei in Capite & in membris.* „ Tertius, An, quando Pontifex nollet obedire, puniri poſſet. Quartus, An hæc „ omnia æquè bene intelligi deberent de „ omni alio Concilio Vniuerſali, ac de „ Conſtantienſi, quod tempore ſchiſmatis „ celebrabatur. Quantum ad primum, „ omnes Nationes facilè conuenerunt: ſed „ quantum ad alios tres, aliqui, & præcipuè Cardinales, qui volebant quoad hoc „ ſaltem Papæ gratificari, ſeſe oppoſuerunt. Moderamen autem ab Imperatore Sigiſmundo repertum pro vniendis „ omnibus fuit, quòd Decreto primo ſeſſionis quartę non declararentur alij, quàm „ duo primi articuli, & quoad duos alios, „ de illis videretur poſtea, quid ſequenti „ ſeſ-

D. Maimbourg pagina 250. Or c'eſt là iuſtement, ce qu'il nous faut: voicy comment. Il y avoit quatre points à examiner touchant ce Decret: le premier, ſi le Concile a receù immediatement de Ieſus Chriſt une puiſſance, à la quelle le Pape meſme eſt tenù d'obeir en ce, qui regard la foy, & l'extirpation du ſchiſme; le ſecond, s'il y falloit mettre: *Et en ce, qui appartient à la reformation de l'Egliſe dans le Chef, & dans les membres*; le troiſième, ſi au cas, que le Pape ny voulut pas obeir, on le pourroit punir; & le quatrième, ſi tout cela ſe devoit entẽdre de tout autre Concile auſſi bien, que de celuy de Conſtance, qui ſe tenoit pendant le ſchiſme. Pour le premier comme toutes les Nations en tomboient d'accord, on convint facilement: mais pour les

„ ſeſſione faciendum eſſet. Hoc manife-
„ ſtum ſit ex Actis, Manuſcriptis noſtris,
„ & Manuſcripto ipſius D. Schelſtrate &c.„

Hucuſque D. Maimbourg, quem ponamus rectè ex Manuſcripto meo deduxiſſe, quòd moderamen à Rege Romanorum adhibitum in eo conſtiterit, vt Decreto primo ſeſſionis quartæ ſtatueretur, Concilium Conſtantienſe à Deo poteſtatem accepiſſe, cui quilibet licèt Papalis auctoritatis, obedire teneatur quoad fidem & extirpationem ſchiſmatis: ponamus quoque duos vltimos articulos de poteſtate coactiuâ, & de auctoritate Conſtantienſis Concilij alijs etiam Synodis Generalibus adiudicandâ, pro ſeſſione ſequenti relictos fuiſſe. Ponamus demùm, hæc planè conſtare ex Actis editis & ineditis, Manuſcriptis Gallicis & Italicis: Hæccine placitis Illuſtriſſimi Cleri Gallicani conuenient, & ad confirmationem declarationis ipſius facient?

Dicat obſecro D. Maimbourg, ſi Decretum ſeſſionis quartæ ſolum reſtringatur ad Concilium Conſtantienſe, cuius tempore tres de Papatu contendebant, quomodo ſaluabitur articulus ſecundus à præ-

trois autres, quelques uns & ſur tout les Cardinaux, qui vouloient du moins en cela gratifier le Pape, s'y opposoient. Or le temperament, que l'Empereur Sigiſmond trouua pour rèunir tous les eſprits, fut, que dans le Decret de la preſent ſeſſion quatrième, on ne mettroit, que les deux premiers points, & que pour les deux autres on verroit après, ce qu'on auroit à faire dans la ſeſſion ſuiuante. Cela paroiſt manifeſtement par nos Actes, par nos Manuſcrits, & par celuy meſme de M. Schelſtrate &c.

præfato Clero anno 1682. Pariſijs editus, & ſuprà à nobis allatus, in quo dicitur, quòd de auctoritate aliorum Conciliorum Generalium intelligendum quoquè ſit Decretum ſeſſionis quartæ, neque ab Eccleſiâ Gallicanâ probetur ſententia eorum, qui illud ad ſolum ſchiſmatis tempus referunt? Si omnia Acta Conſtantienſis Concilij tam edita quàm inedita, tam Romæ quàm Pariſijs aſſeruata, tam à quatuor Conſtantienſis Concilij Protonotarijs conſcripta, quàm à Baſilëenſibus compilata innuant, Decretum quartum ſolummodò agere de auctoritate Conſtantienſis Concilij tempore ſchiſmatis celebrati; quâ ratione, quo fundamento improbari poterit ſententia illorum, qui illud ad ſolum ſchiſmatis tempus retulerunt? Quid hìc aget D. Maimbourg? Quibus verbis articulum ſupradictum quoad Decretum ſeſſionis quartæ ſaluabit? Ego ſanè in Diſſertatione meâ ſolùm monſtraueram, Decretum primum ſeſſionis quartæ corruptum ad manus noſtras perueniſſe, vnde ad ſummum deduci poterat, ab Eccleſiâ Gallicanâ improbari non poſſe, qui illud, prout hucuſque typis deſcriptum fuit, dubiæ auctoritatis eſſe

iu-

iudicant. At nunc ex omnium Manuſcriptorum & editorum Codicum fide etiam conſtare dicitur, Concilium Conſtantienſe primo ſuo Decreto ſeſſionis quartæ non egiſſe de Conciliorum extrà tempus ſchiſmatis celebratorum auctoritate, vnde ſequitur, neque à Gallicanâ Eccleſiâ improbari potuiſſe eos, qui illud ad ſolum ſchiſmatis tempus referunt.

Quamuìs autem vix dubitem, quin hiſce perpenſis D. Maimbourg facilè agnoſcet, quòd Acta à me allata cauſæ ſuæ minimè faueant, non tamen ſibi perſuadere debet, quòd ab omni difficultate ſeſe extricauerit, dicendo: „Quòd, etiamſi verba illa, *Et ad reformationem Eccleſiæ in* „*Capite & in membris* non fuiſſent poſita „in Decreto ſeſſionis quartæ, id tamen nihil faceret ad punctum difficultatis, quandoquidem re ipſa ſint in Decreto ſeſſionis quintæ, cùm nihil referat ad validitatem Decreti, in quânam ſeſſione ſtatutum ſit.„ Huic enim obiectioni facilè ſatisfieri poteſt, cùm plurimùm faciat pro confirmatione Decreti Conſtantienſis, quod ſeſſione quintâ potiùs, quàm quartâ editum ſit; licèt enim duæ illæ ſeſſiones ab vnâ

*D. Maimbourg pag.*252. Quand meſme ces paroles: *Et à la reformation de l'Egliſe, dans le Chef, & dans les membres*, n'auroient pas eſtè miſes dans le Decret de la quatrième ſeſſion, comme il le pretend, cela ne feroit rien du tout au fond de l'affaire, puiſqu'elles ſont effectivement dãs le Decret de la cinquième ſeſſion. Car pour rendre vn Decret valable, qu'importe, en quelle ſeſſion il ſe faſſe?

vnâ tantùm ex tribus obedientijs factæ ſint, & in eo conueniant, quòd plenum robur habere non poſſint; in eo tamen ſeſſio quinta differt à quartâ, quòd quinta contradicentibus grauioribus de obedientiâ Ioannis XXIII. Patribus celebrata ſit, vbi quarta conſentientibus omnibus habita fuit, vt Diſſertatione ſequenti fuſiùs oſtendemus.

Nec quemquam poſthac reperiendum puto, quin plurimùm intereſſe iudicet, quòd Decretum cum clauſulâ *de reformatione* ſolùm ſeſſione quintâ publicatum fuerit. Cùm enim non agatur de Decreto Concilij Generalis, ad quod omnes fideles tenentur, ſed de Decreto Concilij non Generalis, quod ob varias rationes in dubium reuocatur, quò plures rationes militant contra illud, eò magìs infirmari neceſſe eſt. Vltrà rationes autem, ob quas Decretum ſeſſionis quartæ in dubium reuocatur, reperitur contrà Decretum ſeſſionis quintæ & illa de plurium Patrum contradictione: ſicque Decretum, quia ſolùm ſeſſione quintâ cum clauſulâ *de reformatione* publicatum fuit, minùs firmum & dici poteſt, & dici debebit. Itaq; non parùm

intereſt, quâ ſeſſione Decretum cum clauſulâ ſupradictâ editum fuerit.

Et ex his omnibus, quæ hac Diſſertatione dicta ſunt de Decreto primo ſeſſionis quartæ, patet, quàm malè concluſerit D. Maimbourg, „quòd ipſe non debeat corrigere Concilium Conſtantienſe iuxta ea, „quæ in Manuſcriptis à me allatis repe„riuntur, ſed è contrà me textum debere „corrigere iuxta Manuſcripta ſua, ita vt „prima ratio, ob quam volui, auctorita„tatem horum Decretorum in dubium „reuocari poſſe, ſit nulla.„ Hæc enim quàm longè à vero abſunt, tam procul ab æquo aliena ſunt. Oſtendi enim ex Manuſcriptis indubitatæ fidei Codicibus, & æqualium Scriptorum teſtimonijs, non ſolùm dubium eſſe Decretum primum ſeſſionis quartæ, ſed etiam corruptum ad manus noſtras perueniſſe, adeò vt emendatione omninò indigeat; & quòd, quando iam emendatum erit, nihil planè ad auctoritatem Conciliorum Generalium, ſed ſolùm ad auctoritatem Concilij Conſtantienſis tempore ſchiſmatis celebrati faciet.

D. Maimbourg pag. 253. Que nous ne devons pas corriger le Concile de Cõſtance ſur les Manuſcrits de M. Schelſtrate, mais qu'au contraire, c'eſt à luy de les corriger ſur les noſtres, & ſur le Concile tel, que nous l'avõs. Ainſi la premiere raiſon, par laquelle il veut, qu'on doute de l'auctoritè de ces Decrets, eſt nulle.

DIS-

DISSERTATIO II.

De Auctoritate Decretorum Constantiensium Sessionis Quintae.

DECRETA ſeſſionis quintæ Conſtantienſis Concilij, de quibus agimus, ſunt duo priora de auctoritate Conciliorum Generalium, ijs verbis in Manuſcriptis Codicibus extantia, quibus reperiuntur edita, & à nobis initio huius Tractatus excuſa. Primum agit de ſolâ Conſtantienſi Synodo, quam poteſtatem à Chriſto immediatè habere declarat, cui quilibet, cuiuſcumque ſtatus, licèt Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem ſchiſmatis tunc vigentis, ac reformationem Eccleſiæ Dei in Capite & in membris. Secundum verò declarat, quòd quicumque cuiuſcumque ſtatus, licèt Papalis ſit, qui mandatis aut præceptis Conſtantienſis Synodi, & cuiuſcumque alterius Concilij Generalis legitimè congregati, ſuper præmiſſis ſeù ad ea ſpectantibus, factis vel faciendis obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubijciatur,

Decreto primo ſeſſionis 5.

Decreto ſecundo eiuſdem ſeſſionis.

& debitè puniatur, etiam ad alia Iuris ſubſidia, ſi opus fuerit, recurrendo.

Duo autem ſunt, quæ de his Decretis à temporibus ipſius Conſtantienſis Concilij controuerti cœperunt, quorum primum ſpectat ad ſenſum, ſecundum ad auctoritatem eorum. Quoad ſenſum, an in ijs agatur de ſolis Concilijs, tempore ſchiſmatis pro eiuſdem extirpatione conuocatis, an verò de vnoquoque Concilio Generali etiam extra tempus ſchiſmatis celebrato? Quoad auctoritatem verò, an ſuppoſito, quòd de quocumque Concilio Generali intelligantur, indubitatæ auctoritatis cenſenda ſint, & cum ſufficienti examine conſentientibus omnibus, quorum intererat, à Concilio verè Generali edita fuerint? Ex his autem duabus controuerſijs, relictâ primâ pro Diſſertatione ſequenti, ſecundam dumtaxat in pręſenti examinabimus, de quâ iam dudum tradiderunt Viri ex omni Natione grauiſſimi, Decreta tanti facienda nō eſſe, quanti olim ea fecit Ioannes Gerſonius, qui diuerſis locis indicauit, Decreta ſeſſionis quintæ illius auctoritatis eſſe, cui contradici non poſſit. Fuerunt namque plures Doctores, qui ſententiam ipſius

ex

ex tribus rationibus in dubium reuocarunt: primò, quòd Decreta illa cum maturâ deliberatione, & debito tantæ rei examine ſtatuta non ſint: ſecundò, quòd ſuffragio omnium, quorum intererat, concluſa non fuerint: tertiò demùm, quòd Concilium non eſſet Vniuerſale, quando ea edidit. Et ne quiſquam putet, hæc gratìs & ſine fundamento aſſeri, has tres dubitandi rationes tribus ſequentibus huius Diſſertationis Capitibus fuſiùs exponemus.

CAPVT I.

An Decreta ſeſſionis quintæ de ſuperioritate Concilij intellecta, cum maturâ deliberatione, & debito tantæ rei examine ſtatuta fuerint?

CVM in Diſſertatione Antuerp. oſtendiſſem, Decreta de auctoritate Conciliorum Generalium præcipitanter concluſa, inſufficienter examinata, & contradicentibus pluribus publicata fuiſſe, oppoſuit ſeſe D. Maimbourg paginâ 254. ſui Tractatus Hiſtorici: „Suſtinens contra „me, quod numquam quæſtio meliùs e„xaminata fuerit, quàm hæc, de quâ in „Con-

D. Maimbourg cap.23. pag.254. Ie ſouſtiens à M. Schelſtrate, qu'il n'y eut jamais queſtion mieux

„Concilio agebatur. A' tempore enim, „quo in Concilio Piſano, vbi primâ vice „agitata fuit, pro Concilio deciſa eſt, non „aliâ ferè de re actum erat in diſputatio„nibus, collationibus, Concilio ipſo Con„ſtantienſi ante & poſt ſermonem Ioannis „Gerſonij. Quinimò poſt conuentum, in „quo tam grauiter refutatum fuit id, quod „in contrarium dixerant Cardinales à „Pontifice miſſi, tam benè examinata fuit, „vt omnes quatuor Nationes de eâ con„uenerint. . . Duo Decreta huius ſeſſio„nis communi conſenſu ſtatuta fuerunt, „prout dicunt Acta, quibus D. Schelſtra„te nihil omninò habet, quod ex Manu„ſcriptis ſuis opponat. En quomodo Acta „illa loquuntur: *Quibus Articulis, ſiuè „Conſtitutionibus lectis, Concilium eos & „eas vniformiter approbauit & conclu„ſit.*„

Hæc Auctor iſte, cui eodem modo reſpondere poſſem, me ſuſtinere contra ipſum: primò, quòd numquam quæſtio minùs examinata fuerit in aliquo Concilio, quàm illa de ſuperioritate Synodorum Generalium, ſi deciſa ſupponatur in Conſtantienſi: ſecundò, quòd à vero alienum ſit,

examinèe; que celle, dont il s'agiſſoit en ce Concile. Car depuis que dans celuy de Piſe, où elle fut agitèe pour la premiere fois, on l'eut decidèe en faueur du Concile, on n'auoit presque parlè d'autre choſe dans les diſputes, & dans les conferences, & dans le Concile de Conſtance auant & après la harangue de Iean Gerſõ. De plus, après cette aſſemblèe, où l'on refuta ſi fortement ce, qu'avoyent dit au contraire les Cardinaux envoyez par le Pape, elle fut ſi bien examinèe, que toutes les quatre Nations en conuinrent. *pagina* 256. Les deux Decrets de cette ſeſſion paſſerent d'un cõmun accord, comme le diſent les Actes, auxquels M. Schelſtrate n'a rien du tout, dans ſes Manuſcrits, qu'il puiſſe oppoſer: Voicy comme parlent ces Actes: *Ces Articles & ces*

quæ-

quæſtionem illam in Concilio Piſano non ſolùm exagitatam, ſed etiam deciſam fuiſſe: tertiò, quòd in ipſâ Synodo Conſtantienſi ante ſermonem Ioannis Gerſonij nihil in diſputationibus & collationibus publicis de eâ deliberatum aut ex profeſſo diſputatum reperiatur: quartò demùm, quòd poſt ſermonem Ioannis Gerſonis, non omnes circà Decreta conuenerint, ſed illi, qui ante ſeſſionem quartam ijs contradixerant, in ſententiâ manſerint poſt ſeſſionem quintam. Et his quidem D. Maimbourg pleniter ſatisfactum eſſe putaſſem, ſi veſtigia ipſius inſequendo dicta mea ſine vlteriori probatione recipi debêre exiſtimaſſem. Verùm ne verba mea oraculorum inſtar obtrudere velle videar, iam dicta Actis authenticis & æqualium Scriptorum teſtimonijs comprobanda ſunt, quod duobus ſequentibus Articulis faciam, agendo in primo de Actis Piſanis, in ſecundo de Geſtis Conſtantienſis Concilij.

Decrets ayant eſtè leùs, le Concile les approuva d'un commun conſentement.

AR-

ARTICVLVS I.

Quòd Concilium Piſanum non deciderit quæſtionem de auctoritate Concilij Generalis ſupra Pontificem.

CONSVEVERANT Auctores grauiſſimi, qui de ſuperioritate Concilij agunt, ſupponere, quæſtionem non inſtitui de tempore ſchiſmatis, quo plures de Pontificatu contendunt, ſed de vnico, vero, & indubitato Pontifice, de quo conſequenter agere debuit D. Maimbourg, quando in Tractatu ſuo Hiſtorico ſcripſit, quòd Concilium Piſanum quæſtionem de auctoritate Synodi Generalis ſupra Pontificem deciderit; „In Concilio Piſano, inquit, vbi „primâ vice quæſtio agitata fuit, pro Con-„cilio deciſa eſt.„ Verba, quibus hoc probandum ſuſceperat, reperiuntur cap. 21. ſui Tractatus, vbi paginâ 217. ſic ſcribit de Concilio Piſano: „Celebris Doctor Pe-„trus Plaouſt vnus ex Deputatis Vniuer-„ſitatis Pariſienſis, quę tunc maximi apud „omnes fiebat, habuit in plenâ Congre-„gatione Concilij longam & doctam ora-„tio-

D. Maimbourg pag. 254. Dans celuy de Piſe, où elle fut agitèe pour la premiere fois, on l'eut dècidèe en faueur du Concile.

Idem Auctor pagina 217. Le fameux Docteur Pierre Plaouſt, l'un des Deputez de l'Vniuerſitè de Paris, la quelle eſtoit alors au plus

,, tionem, in quâ pluribus rationibus pro-
,, babat, Eccleſiam vniuerſalem, & conſe-
,, quenter Concilium Generale ipſam re-
,, præſentans eſſe ſupra Papam, adiungen-
,, do hanc eſſe ſententiam Vniuerſitatis Pa-
,, riſienſis, & cæterarum omnium Vniuer-
,, ſitatum Galliæ. Vix è Cathedrâ deſcen-
,, derat, cùm Epiſcopus Nouarienſis eam
,, aſcendit, & legit altâ voce ſcriptum, quo
,, declarabatur, centum & tres Doctores, &
,, Licentiatos in Theologiâ ex ijs, qui De-
,, putati erant ab Vniuerſitatibus, conue-
,, niſſe de mandato Cardinalium, vt deli-
,, berarent ſuper hâc materiâ, quòdque om-
,, nes communi voto amplexi eſſent ſenten-
,, tiam Vniuerſitatis Pariſienſis. Aſſeuera-
,, bat etiam, quòd præter Vniuerſitates
,, Galliæ, ita quoquè ſentiret celebris Vni-
,, uerſitas Bononienſis, cuius litteræ habe-
,, bantur, & Vniuerſitas Florentina, quæ
,, ſententiam ſuam dederat in ſcripto à
,, 120. Doctoribus ſubſignato.,,

Hæc D. Maimbourg ex Actis Piſani Concilij, prout edita fuerunt Tomo XI. Conciliorum Philippi Labbei, & Tomo VI. Spicilegiorum Lucæ d'Acherij, quorum Auctorum editiones citat pag. 216. in mar-

haut point de ſon credit, fit en pleine aſſemblée du Concile une longue & docte harangue, dans la quelle il prouva par plusieurs raisõs, que l'Egliſe Vniuerſelle, & par conſequent le Concile General, qui la repreſente, eſt par deſſus le Pape, & aiouſta, que c'eſtoit là le ſentiment de l'Vniuerſitè de Paris, & de toutes les autres Vniuerſitez de France. Il ne fut pas plùtoſt deſcendu de la Tribune, que l'Eueſque de Nouarre y monta, & leùt à haute uoix un ècrit, par le quel on declaroit, que cent & trois Docteurs & Licentiez en Theologie de ceux, que les Vniuerſitez avoient Deputez à ce Concile, s'eſtant aſſemblez par l'ordre des Cardinaux pour deliberer ſur cette matiere, auoient eſtè tout d'une voix de l'avis de l'Vniuerſitè de Paris; & il aſſeura, qu'outre

les Vniuerſitez de France, c'eſtoit auſſi l'avis de la fameuſe Vniuerſitè de Boulogne, dont on avoit les lettres, & de celle de Florence, qui l'avoit donnè par un ècrit ſignè de ſix vingts Docteurs.

Acta Piſana minùs correcta ex editione Pariſienſi & Labbei.

gine: editiones autem illæ, cùm in multis differant, antequam de re ipſâ iudicemus, in medium adferendæ ſunt. Ac prior quidem minùs correcta à Philippo Labbeo ex aliâ anteriori editione Pariſienſi exhibita refert de Petro Plaouſt, quòd anno 1409. die 29. Maij orationem habuerit, quâ mentem ſuam de ſupremâ auctoritate Eccleſiæ in publicâ Congregatione expoſuit, ſed addit, quòd poſt orationem attulerit opinionem Vniuerſitatis Pariſienſis: *Et poſtmodùm poſuit opinionem Vniuerſitatis Pariſienſis, videlicet, quòd Petrus de Lunâ eſt ſchiſmaticus pertinax, & hæreticus, etiam accipiendo hæreſim propriè & ſtrictè, præciſuſque ab Eccleſiâ Dei, eiectus à Iure Papatus, & priuatus, ac per Concilium de facto tamquam talis eijciendus & priuandus, & hæc declarauit pluribus rationibus. Et ſubiunxit, quòd de eâdem opinione erant Vniuerſitates, Andegauenſis, Aurelianenſis, & Tholoſana. Ipſò autem deſcendente de Cathedrâ aſcendit quidam Epiſcopus Italus, qui opinionem tredecim Magiſtrorum, & plurium Licentiatorum & Baccalaureorum formatorum, ac Vniuerſitatis Bononienſis in-*

quâ-

quâdam ſchedulâ publicauit, quæ eſt conformis opinioni Vniuerſitatis Pariſienſis. Ita Acta Piſana prioris editionis, quæ Lucas D'Acherius his verbis Tomo VI. Spicilegiorum integriora edidit ex tribus Codicibus Bibliothecæ Gemmeticenſis.

Acta Piſana correctiora ex editione Lucæ D. Acherij.

Decima tertia ſeſſio fuit die Mercurij 29. Maij, quæ fuit in ſeptimanâ Pentecoſtis, in quâ poſt Miſſam & Litanias Magiſter Petrus Plaouſt pro Vniuerſitate Pariſienſi dixit, & declarauit opinionem Vniuerſitatis eſſe, iſtos duos contendentes debêre reputari ſchiſmaticos, & antiquati ſchiſmatis nutritores, & hæreticos pertinaces, firmans auctoritatem Concilij ad decidendam hanc cauſam, & declarandum, eos eſſe ab Eccleſiâ præciſos, & abiectos, & eos, quantum opus eſt, abijciendos, &c. . . ſumens thema ſuum, Congregabuntur filij Iuda & Hieruſalem, & ponent ſibi Caput vnum. . . . . Poſtea immediatè vnus Epiſcopus Italicus, dictus Nouarienſis, legit quamdam ſchedulam facientem mentionem, qualiter ſecundùm ordinationem Dominorum Cardinalium per D. Cardinalem Mediolanenſem fuerunt ſimul congregati omnes Magiſtri in Theologiâ, & Li-

centiati, ac Baccalaurei formati, qui ad dictum Concilium de multis partibus & Vniuerſitatibus conuenerunt, & inter eos fuerat habita plena deliberatio ſuper iſtâ materiâ, & poſtea in eamdem opinionem conuenerant, & concordes fuerunt, videlicet, quòd dictos ambos contendentes tenent ſchiſmaticos & hæreticos pertinaces &c. vt ſuprà. Et omnium & ſingulorum nomina recitauit, quorum multi ſunt Epiſcopi & Prælati, & faciebant omnes numerum centum & trium. Item poſteà dixit, quòd in eâdem opinione fuit Vniuerſitas Florentina, in quâ fuerunt centum & viginti Magiſtri ſubſcripti. Idem etiam deliberauit Vniuerſitas Bononienſis, quæ de hoc miſit litteras. Idem Vniuerſitates, ſiuè Studia Aurelianenſis & Andegauenſis, & Tholoſana per ſuos Ambaſſiatores ibidem.

Hæc omninò ſunt Acta Piſana, quibus vſus eſt D. Maimbourg, vt probaret, Vniuerſitatem Pariſienſem iuxtà Petrum Plaouſt ſententiam tuliſſe pro auctoritate Concilij ſupra Pontificem, eiuſdemque opinionis fuiſſe alias Vniuerſitates ab Epiſcopo Nouarienſi allatas. Verùm fallitur Auctor ille, cùm ex Actis ſuprà citatis nullibi conſtet,

ſtet, Vniuerſitatem Pariſienſem egiſſe de auctoritate Concilij ſupra indubitatum Pontificem, ſed ſolùm de tempore ſchiſmatis ſtatuiſſe, id quod Acta prioris editionis expreſſè innuunt, dum his verbis referunt Vniuerſitatis Pariſienſis opinionem: *Quòd videlicet Petrus de Lunâ eſt ſchiſmaticus, pertinax, & hæreticus præciſus ab Eccleſiâ Dei, & eiectus à Iure Papatus, ac per Concilium de facto tamquam talis eijciendus & priuandus.* Acta correctiora per Lucam D'Acherium edita teſtantur, non ſolùm de Petro de Lunâ, ſed de duobus contendentibus Vniuerſitatem Pariſienſem ſenſiſſe: *Debêre reputari ſchiſmaticos, & antiquati ſchiſmatis nutritores, & hæreticos pertinaces.* Hæc, & non alia in Actis Piſani Concilij dicitur Pariſienſis Vniuerſitatis ſententia per Petrum Plaouſt allata, vt videre non poſſim, vndenam D. Maimbourg habuerit, Vniuerſitatem Pariſienſem egiſſe de auctoritate Concilij ſuprà verum & indubitatum Pontificem. Quo loco enim id habent Acta Piſana? Quibus verbis id teſtantur? A quo tempore id memoriæ prodiderunt? Quandonam id in illis legi cœpit?

Acta edita à Labbeo.

Acta edita à D'Acherio.

An-

Ante paucos ſanè annos nondum id habebant, neque id in ijs legerat Auctor ille, dum libro de magno ſchiſmate Occidentis, hiſtoriam Piſani Concilij exponendo retulit de Petro Plaouſt: „ Declarabat, „ & confirmabat opinionem Vniuerſitatis, „ quòd nimirùm duo contendentes haberi „ deberent pro veris ſchiſmaticis, qui nutriebant infortunatũ illud ſchiſma, quin „ & pro hæreticis, deſtruendo, quantum „ poterant, articulum Symboli, quo vnitas „ Eccleſiæ creditur: & concluſit demùm, „ quòd Concilium illos pro talibus habêre, excommunicare, & deponere debebat de Papatu, de quo per ſchiſma & „ hæreſim iam exciderant. „ Hæc tunc D. Maimbourg, quæ cum ipſis Actis conueniunt, & ex aduerſo pugnant cum ijs, quę in recentiori ſuo Tractatu de ſenſu Vniuerſitatis Pariſienſis adduxit. Vnde patet profectò, Auctorem illum contra fidem Actorum Piſani Concilij ſcripſiſſe, quòd inter cæteras Galliæ & Italiæ Vniuerſitates de illâ quæſtione conuenerit, cùm de eâ ab illis tunc actum non fuerit.

D. Maimbourg Tract. de magno ſchiſmate Occidentis ad annum 1409. Il declara & confirma le ſentiment de l'Vniuerſitè, à ſçavoir, que les deux pretendãs deuoient eſtre tenus pour des vrais ſchiſmatiques, qui entretenoient ce malheureux ſchiſme, & meſme pour des heretiques, dètruiſant autant, qu'ils pouuoient l'article du Symbole, par le quel on confeſſe l'vnitè de la S. Egliſe, & conclut en fin, que le Concile les deuoit traitter comme tels, les excommunier, & les depoſer du Pontificat, dont il ètoient dèia decheut par le ſchiſme, & par l'hereſie.

Neque ad rem facit, quòd Concilium Piſanum de duobus contendentibus ſenten-

ten-

tentiam tulerit, prout D. Maimbourg ex Ioanne Launoio, quem vbique in Tractatu ſuo hiſtorico ſecutus eſt, obijcit. Quamuìs enim notet ex eiuſdem Launoij Epiſtolâ ad Henricum Barillonium, Concilium Piſanum ſententiam tuliſſe conformiter ad Decretum, quo antea definiuerat, ſeſe repræſentare Vniuerſalem Eccleſiam, & ſupremum ac vnicum in terris Iudicem habendum eſſe, ad quem huius cauſæ iudicium ſpectabat, ſicque depoſiti fuerint duo de Papatu contendentes, quorum vnus verus Pontifex erat: negari tamen non poteſt, quin de ſingulorum Pontificatu plures dubitarent, indeque neuter contendentium pro certo à totâ Eccleſiâ agnoſceretur. Et hoc eſt, quod Vniuerſitas Pariſienſis in datis anno 1394. ad Carolum Francorum Regem litteris reſpondit ijs, qui partium ſtudio ducti vnum pro certo & indubitato Pontifice ab omnibus haberi volebant, eoque modo Pontificem ſuum à iudicio Synodi eximere ſtudebant: *Si certum*, inquit Vniuerſitas, *videte ne verbo abutamini, qui id certum appelletis, de cuius obſcuritate atque ambiguitate tanta ſemper fuit, & eſt apud* Vniuerſitas Pariſienſis epiſtola ad Carolum Francorum Regem.
tan-

tantam fidelium portionem contentio. Ponamus itaque, Pontifices, quos tempore ſchiſmatis Romana Eccleſia ſecuta eſt, fuiſſe veros Pontifices, non tamen apud omnes de ijs conſtabat, & aliæ obedientiæ illos non agnoſcebant, vnde certi & indubitati tunc dici non poterant: quod etiam in cauſâ fuit, quòd plures Orbis Catholici Prouinciæ cum Collegio Cardinalium, & Patribus Piſani Concilij, tàm ei, cui Romana Eccleſia tunc parebat, quàm eius competitori obedientiam ſubtraxerint, & ipſum Piſanum Concilium de duobus contendentibus, tamquam de dubijs Pontificibus ſententiam tulerit.

Falſum itaque eſt, in Synodo Piſanâ actum fuiſſe de indubitato Pontifice: falſum, Quæſtionem de ſuperioritate Concilij ſupra certum & indubitatum Pontificem ibidem deciſam fuiſſe, & de eâ Pariſienſem Vniuerſitatem tunc egiſſe. Vtriuſque ſanè obedientiæ Cardinales in illis litteris, quibus an. 1408. Gregorium XII. ad Concilium Piſanum conuocarunt, adducunt concluſiones Vniuerſitatum Pariſienſis & Bononienſis, in quibus ſolummodò mentio fit Quæſtionis de auctorita-

te

te Concilij ſuprà duos de Papatu contendentes, de quibus *propter dubia Facti & Iuris* ignorabatur, vter verus Pontifex cenſendus erat. Vnde quinta illarum Vniuerſitatum concluſio fuit: *Quòd ſtante dubio Papatus inextricabili propter dubium Facti & Iuris, ne in ſubuerſionem fidei Eccleſia ſic remaneat diuiſa perpetuò cum tanto ſcandalo & animarum perditione, prouiſio ſpectat ad Concilium & Eccleſiam Vniuerſalem, vt vtrumque, eis non cedentibus, poſſit à Papatu eijcere.* Ita Vniuerſitates Pariſienſis & Bononienſis in Concluſionibus, quæ ad vnam vſque agunt de caſu duorum contendentium tempore ſchiſmatis, vt vidêre licet in Cardinalium litteris apud Lucam D'Acherium Tomo VI. Spicilegiorum editis, & à Philippo Labbeo iterum excuſis.

Litteræ Cardinalium ad Gregorium XII. anno 1408.

Concluſio quinta Vniuerſitatū Pariſienſis & Bononienſis.

Quamuìs autem nunc communiter admittatur in Scholis, Concilium tempore inueterati ſchiſmatis iudicare poſſe de Pontificibus dubijs, & tempore Concilij Piſani in ſententiam illam Italiæ & Galliæ Vniuerſitates propenderint; voluit tamen Concilium Piſanum vlteriùs inquiri, an duo contendentes non ſolùm tempore

 ſchiſ-

ſchiſmatis viuerent ; ſed ipſius ſchiſmatis nutritores, & veri hæretici cenſendi eſſent. Cùm enim quiſque propter hæreſim extra Eccleſiam, vel, vt cum Paulo loquar, *foris conſtituatur*, & inter omnes conueniret, hæreticum ipſo facto ab Eccleſiâ præſcindi; voluit Concilium Piſanum inquiri, an dubij illi Pontifices hæretici reputandi eſſent, vt ſub illo etiam titulo tantò certiùs à Papatus regimine eijcerentur, quantò magìs inter omnes conſtabat, Pontifices à fide deuios omni Iure Papatus deſtitui, & re ipſa priuatos cenſeri.

Paulus Epiſtola 1. ad Cor. cap. 5. Quid mihi de iis, qui foris ſunt?

Tantæ molis erat, tempore Piſani Concilij ſententiam ferre in dubios Pontifices, quos tamquam de Papatu colludentes, & articulum fidei de vnitate Eccleſiæ non quidem dogmatizando, ſed operando deſtruentes ab omni dignitate Eccleſiaſticâ excidiſſe, Synodus iudicauit; cuius tamen iudicio non acquieuit totus Orbis Catholicus, cùm plures Prouinciæ Gregorium & Benedictum ſequi perrexerint, & Viri doctiſſimi ſententiam huius Synodi in dubium reuocarint. Nolim hìc repetere, quæ Salmanticenſis Vniuerſitas cum Hiſpaniarum Eccleſijs pro Benedicto XIII.

al-

allegarit, neque quid alij ex obedientiâ Gregorij XII. contra Synodum Piſanam ſcriptum reliquerint. Videri poteſt Diuus Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, qui Parte 3. Chronicorum, titulo 22. capite 5. paragrapho 2. vti & in alijs locis omninò contendit, Gregorium malè hæreſeos accuſatum fuiſſe, & ideò non immeritò ab illo Ioannem Dominicum miſſum fuiſſe ad Sigiſmundum Imperatorem, *vt cum eo ſecretè tractaret de modo tenendo in congregando Concilium aliud: vbi ex toto auferretur ſchiſma, quod vbique per Piſanum Concilium, vel Conciliabulum (cùm non eſſet auctoritate alicuius eorum, qui ſe gerebant pro Pontifice, congregatum) non erat ablatum ipſum ſchiſma, ſed augmentatum, ex duobus, tribus iam ſe pro Papâ gerentibus.*

Diuus Antoninus parte 3. hiſtoriarum, tit. 22. cap. 5. paragr. 2.

Dicit D. Antoninus, per Piſanum Concilium ſchiſma non extinctum, ſed adauctũ fuiſſe, eò quòd, vbi ante illud duo dumtaxat de Papatu contendebant, poſt electum in eorum locum Alexandrum V. tres de Papatu contendentes apparuerint: ita vt de Occidente tunc dici potuerit, quod Magnus Hieronymus epiſtolâ ad Dama-

ſum olim de ſchiſmate Orientali ſcriptum reliquit: *Vetuſto Occidentem populorum furore colliſum indiſciſſam Domini tunicam minutatim per fruſta diſcerpſiſſe*. Dici potuit, poſt Piſanum Concilium minùs inter multos conſtitiſſe, apud quem incorrupta Petri ſeruaretur ſucceſſio: licèt namque Benedictus, Gregorius, & Ioannes Cathedram Petri ſuam eſſe dicerent, & vnaquęque obedientia ſe Petri Succeſſorem ſequi aſſereret, *ob dubium tamen Facti & Iuris* ſuper Papatu, plures Catholici de tribus contendentibus ancipites fuerunt. Vnde ipſum Conſtantienſe Concilium numquam induci potuit, vt vnum ex illis tamquam indubitatum Pontificem toti Eccleſiæ proponeret, ſicut ex Actis & Geſtis ipſius ſtatim citandis conſtabit.

D. Hieronymus epiſtola ad Damaſum Papam ſcribens de ſchiſmate Antiochenæ Eccleſiæ, quam tres eodem tempore regere contendebant.

Petrus de Alliaco in Appendice Conſtantienſis Cōcilij apud Philippum Labbeum.

AR-

ARTICVLVS II.

An Concilium Conſtantienſe cum maturâ deliberatione & examine tanta rei debito Quæſtionem de Synodorum Generalium auctoritate determinaſſe cenſendum ſit?

PVTAVIT D. Maimbourg, quòd nulla vmquam Quæſtio meliùs examinata fuerit, quàm iſta de auctoritate Conciliorũ Conſtantiæ fuit: „Nam, inquit pag. 223. „ante & poſt ſermonem Gerſonis, cùm „examinata fuiſſet in congregationibus „Nationum iuxtà ordinem à Concilio ſta- „tutũ, relatum de eâ fuit in ſeſſione quar- „tâ.„ Quæ Auctoris verba diligenter notanda ſunt, quia non ſolùm cum anterioribus ipſius ſcriptis pugnant, ſed & Actis Conſtantienſis Concilij contradicunt. Vtque ab anterioribus Auctoris ſcriptis incipiam, tradidit ille libro quinto de ſchiſmate Occidentali anno 1415. ſolùm poſt ſermonem Ioannis Gerſonis de Quæſtione illâ Conſtantiæ agi cœpiſſe. Cùm enim narraſſet de Ioanne XXIII. quòd 21. Mar-

D. Maimbourg cap. 21. pag. 223. Tractatu hiſtorico. Cette queſtion auant, & aprés la harangue de Gerſon, ayant eſtè examinèe dans les conferences des Nations ſelon l'ordre ètabli par le Concile, on en fit le rapport dans la quatrième ſeſſion.

tij fugam arripuiſſet, & Ioannes Gerſonius poſt biduum ſermonem habuiſſet coram Patribus Concilij de auctoritate Eccleſiæ ſupra Pontificem: „En, inquit, occaſionem, quæ tunc peperit celebrem illam „quæſtionem, quæ numquam antea agitata erat in Eccleſiâ, an nimirùm Concilium ſit ſupra Papam, aut Papa ſupra „Concilium? Sicut enim ſermo Cancellarij Pariſienſis magnum rumorem excitauerat tam Conſtantiæ, quàm Scaffuſæ, „vbi plures Cardinales, & alij Concilij „Patres ad Papam peruenerant, non omiſerunt eâ de re diſputare cum magno „feruore immediatè poſt ſeſſionē tertiam, „quæ cœpit die Lunæ 25. Martij, & die „ſequenti continuata fuit.„ Hæc ibi D. Maimbourg citans in margine Acta Conſtantienſis Concilij, & Auctores contemporaneos, vt eorum teſtimonio probaret, Quæſtionem de ſuperioritate Concilij ex ſermone Gerſonis ortum Conſtantiæ & Scaffuſæ duxiſſe: vnde Auctor ille nullatenus ſibi conſtat, dùm in Tractatu hiſtorico ſcripſit, ante eumdem ſermonem à Nationibus Quæſtionem illam exagitatam fuiſſe.

D. Maimbourg Tractatu de magno ſchiſmate Occident. ad annum 1415. Voila l'occaſion, qui fit naiſtre alors cette fameuſe queſtion, qu'on n'a jamais agitée dans l'ancienne Egliſe, à ſçauoir, ſi le Concile eſt par deſſus le Pape, ou le Pape par deſſus le Concile? Car comme le ſermō du Chancelier de Paris avoit fait grand bruit & à Conſtance & à Scaffouſe, où pluſieurs Cardinaux & autres Peres du Concile s'eſtoient rendus aupres du Pape, on ne manqua pas de diſputer auec beaucoup de chaleur ſur ce grād ſuiet, immediatement après la troiſième ſeſſion, qui commença le Lundi 25. de Mars, & fut continuée le jour ſuiuant. Acta Cōcil. Appendix ad Concil. Monach. Dionyſi. lib. 34. cap. 21. Victor. Gobell. in Coſmodromio.

Neque minùs diſſonat Actis Concilij, in quibus refertur, quòd poſt fugam Ioannis XXIII. tres Cardinales Deputati fuerint, vt ad Papam Scaffuſę commorantem accederent, & ad Procuratorium ſuper ceſſione Pontificatus conſtituendum, Conciliumque continuandum inducerent: quòdque 23. Martij dicti tres Legati Cardinales, dum ex mandato Sacri Collegij ad iter ſe parabant, ſummâ animorum admiratione exceperint nouum de audiendâ Miſſâ Sancti Spiritus pro vnione & extirpatione ſchiſmatis. *Propter quod*, inquit Regeſtum, *Cardinales valdè admirati ſunt, timentes, ne Concilium aliquid furiosè attemptaret contrà Dominũ noſtrum Papam: propter quod deliberauerunt Miſſæ non intereſſe. Infrà tamen Miſſam accerſito Domino Rege Romanorum in quâdam Capellâ Eccleſiæ Conſtantienſis ſecum locuti ſunt. Finitâ itaque Miſsâ celebratâ per D. Patriarcham Antiochenum, recitatoque ſermone per quemdam Doctorem de Vniuerſitate Pariſienſi in confirmationem Concilij, † derogationem Iuriſdictionis Apoſtolicæ, nulloque alio actu ibidem facto, prædicti tres Cardinales Legati iter* *Regeſtum Actorũ Conſtantienſis Cõcilij ex duobus MMSS. Codicib.* † *&*

ar-

arripuerunt verſus Dominum noſtrum Papam.

Ioannes Gerſonius in ſermone habito 25. Martij coram Patribus Conſtantienſis Concilij.

Doctor Pariſienſis, cuius hìc tacito nomine meminit Regeſtum, eſt Ioannes Gerſonius, qui modum, quo ſermonem hunc compoſuerat, his verbis indicauit: *Iuſſu,* inquit de Vniuerſitate Pariſienſi, *heſterno veſperi per Ambaſſiatores & Nuntios ſuos hìc præſentes, quatenùs hoc matutino tempore eſſem habiturus orationem nomine ſuo pro veritatis elucidatione circa ea, quæ per hoc Sacrum Concilium agenda videntur occurrere. Nullus, opinor, mirabitur, ſi ad hanc iuſſionem ego fragilitatis meæ conſcius, & temporis arctatione preſſus expaui.* Ita ipſe Gerſonius de ſermone ſuo vnicâ nocte compoſito, quo Conſtantiæ coram Patribus publicè agere cœpit pro confirmandâ ſuperioritate Concilij, idque adeò inconſultè, vt Regeſtum ſignificet, eum *in derogationem Iuriſdictionis Apoſtolicæ* ſermonem habuiſſe, poſt quem tamen, teſte eodem Regeſto, contra auctoritatem Pontificiam nihil aliud in Concilio actum, nihil omninò à Nationibus deliberatum, nihil planè à Patribus deciſum fuit.

Pri-

Prima, quam D. Maimbourg in Tractatu de ſchiſmate Occidentali ſuperioritatis mentionem reperit, eſt illa apud Niemum in vitâ Ioannis XXIII. quæ poſt reditum trium Cardinalium coram Rege Romanorum, & quibuſdam Patribus priuatìm facta eſt die 26. Martij: *Redierunt hùc*, inquit Niemus, *ſcilicet ad Conſtantiam de Scaffusâ quatuor Cardinales: & illâ die fuit congregatio illorum, qui erant de Concilio, & interfuit Rex ipſe, & † illum acceſſerunt ſex Cardinales, & amplè multùm locuti fuerunt contrà ipſum Concilium, ſcilicet quòd diſſolutum eſſet propter abſentiam & receſſum dicti Balthaſaris. Et eis reſponſum fuit acritèr per plures de ipſo Concilio, Viros magnæ auctoritatis & ſcientificos, ſcilicet quòd Papa non eſſet ſupra Concilium, ſed eſſet ſub Concilio. Facta illinc contentio magna hinc inde.* Vltima hæc Niemi verba repetit D. Maimbourg in Tractatu Hiſtorico cap. 21. pag. 222. & loco *acriter* malè legit *alacriter*. Quòd enim *acriter* legendum ſit, non ſolùm teſtantur Spondanus & Odoricus Raynaldus ad hunc annum, ſed ex ipſo Niemo patet, qui nihil niſi cum acerbitate

Theodoricus de Niem in Vita Ioannis XXIII. edita Francofurti anno 1620.

† *ad illum*

L & con-

& contentione hinc inde dictum fuiſſe notat, adiungens, quòd *ſuſcitato maiori clamore contra Cardinales in congregatione præfatâ, ipſi inſalutato hoſpite abierunt.*

Nolim hìc inquirere, an Quæſtio, cuius meminit Niemus, verſaretur circà auctoritatem Concilij ſupra indubitatum Pontificem, an potiùs circà auctoritatem Ioannis XXIII. diſſoluentis Concilium: quamuìs enim ſupponamus, de auctoritate Concilij ſupra indubitatum Pontificem actum fuiſſe, vt voluit D. Maimbourg, inde tamen nihil conſequetur pro maturâ deliberatione, cum ex verbis ipſius Niemi deducatur, nihil deliberatè, ſed contentioſè potiùs & cum clamore ſtrepitantium in priuato illo congreſſu aſſertum fuiſſe. Eodem modo dicendum eſt de contentione ſuper Decretis die 27. Martij habitâ. Cùm enim Cardinales & Regis Galliæ Legati illo die coram Nationibus publicè referre deberent, quæcumque Ioannes XXIII. pro ceſſione Pontificatus & continuatione Concilij offerebat, *Hæc omnia*, inquit Regeſtum, *tamquam ludicra & fictè pro parte Domini noſtri Papæ oblata per Regem Romanorum, & alios ibidem aſtantes reputa-*

Regeſtũ Conſtantienſis Concilij ex duobus MM.SS. Codicibus.

ta-

tata fuerunt; fuitque ibidem vnanimiter vociferatum: His non obſtantibus fiat ſeſſio, fiat ſeſſio. Poſt hanc enim vociferationem concitatis contra Ioannem Patrum animis, à tribus Nationibus concluſa ſunt Decreta de auctoritate Conciliorum ſuperiùs allatâ, idque tam præcipitanter & inconſultè, vt Cardinales, qui nihil ſciebant de agendis in ſeſſione, vnà cum Ambaſſiatoribus Regis Franciæ, ad eam venire recuſarint, & re ipſâ numquam veniſſent, niſi obtinuiſſent mediante Rege Romanorum, quòd primum Decretum ſine mentione reformationis Eccleſiæ publicaretur, ſecundum verò de auctoritate coactiuâ Conciliorum omninò omitteretur, vt ex Manuſcriptis indubitatæ fidei Codicibus Diſſertatione præcedenti probauimus.

Notandum verò ex ijſdem Manuſcriptis, quòd Cardinales ideò ſeſſioni quartæ intereſſe noluerint, quia ſuper illis diffinitionibus non fuerant habitæ, nec ſufficienter petitæ deliberationes eorum. Ex quibus verbis apertè conſtat, quòd licèt ante ſeſſionē quartam apud Nationes actum fuiſſet de ſuperioritate Concilij, non tamen ſufficientèr & plenè: quam ob rem

ſemper addidi, non fuiſſe cum maturâ, ſufficienti, & debitâ deliberatione diſcuſſa ea Decreta, vt ipſi Cardinales verbis ſuprà citatis atteſtantur. Neque videre poſſum, ex quibus monumentis D. Maimbourg, ſupponens Decretum ſeſſionis quartæ ad ſuperioritatem Concilij ſpectare, tam aſſeueranter tradiderit, Quæſtionem illâ de re ante ſeſſionem quartam debitè examinatam fuiſſe. Non ſolùm enim conſtat ex Geſtis Conſtantienſis Concilij, paulò ante ſeſſionem quartam conueniſſe inter Cardinales & Deputatos Nationum, quòd in illâ nulla mentio fieret de alio, quàm Conſtantienſi Concilio tempore ſchiſmatis celebrato, ſed ex Regeſto Actorum Conſtantienſium hactenùs inedito etiam clariſſimè patet, quòd à Cardinalibus ſeſſione quartâ monitę ſint Nationes, *vt ſuſpenderent ad tempus materias, quæ habent magnas difficultates, & maturam exigunt deliberationem.*

Regeſtum ex duobus MM.SS. Codicibus.

Auro contrà æſtimanda eſt prudentiſſima illa Cardinalium admonitio, quâ Decreta maiori deliberatione indiguiſſe teſtantur. Si enim concluſio Nationum de Decretis facta fuerit ante ſeſſionem quartam,

tam, & in ipſâ ſeſſione quartâ Sacrum Cardinalium Collegium publicè Nationes monuerit, materiam illis contentam *habere magnas difficultates, & maturam exigere deliberationem*, dubium eſſe non poteſt, quin ſine debitâ deliberatione, & cum inſufficienti examine factũ putauerit, quidquid circà illa ante ſeſſionem quartam à Nationibus actum fuit. Nec eſt, quòd quiſquam contra hoc grauiſſimum teſtimonium opponat cum D. Maimbourg, id à Bellarmino ante centum annos excogitatum fuiſſe: non enim agimus hìc de ſententiâ vnius Cardinalis Bellarmini, qui conſtare dixit, quòd Decretum Conſtantienſe de auctoritate Conciliorum ſine examine factum fuerit, ſed agimus de integro Cardinalium Collegio, quòd Concilio Conſtantienſi interfuit, & non ſolùm ante ſeſſionem quartam Decreta ob defectum ſufficientis deliberationis conſtanter reiecit, ſed in ipſâ quoque ſeſſione Nationes publicè admonuit, quòd *pluribus difficultatibus obnoxia eſſent, & maturiori deliberatione indigerent*.

Memoriâ repetebant Romanæ Eccleſiæ Principes, quid antiquitùs fieri conſueuerat,

rat, quando in aliquo Concilio de re maioris momenti & varijs difficultatibus obnoxiâ ſtatuendum erat. Sciebant, quàm magno examine, vt cætera omittam, de cultu Imaginum in Synodo Nicenâ Generali ſeptimâ actum fuerat. Extant etiamnum Geſta iſtius Concilij, ex quibus manifeſtum fit, iſtius Synodi Patres habito inter ſe communi conſilio non ſemel, ſed ſæpiùs Eccleſiæ traditionem de illo conſuluiſſe. Vnde in Actis etiamnum repeliuntur centena antiquorum de cultu Imaginum teſtimonia, quæ omnia coràm Patribus in ſeſſionibus publicis recitata fuerunt, antequam rês illa contra Iconoclaſtas deciſa, & Decreto Synodico firmata fuit. Et hoc eſt, quod Cardinales à Nationibus in ſtatuendis de auctoritate Conciliorum Decretis omiſſum fuiſſe ſeſſione quartâ admonere potuerunt, cùm in re tanti momenti, vt in cæteris omnibus fieri ſemper conſueuerat, expendenda fuiſſent antiquorum Patrum ſcripta, Summorum Pontificum Decreta, & Conciliorum Generalium monumenta, ex quibus de traditione circà auctoritatem Pontificiam conſtare debebat.

Ex his enim patuiſſet, quam auctoritatem veneranda antiquitas Sedi Apoſtolicę competere tradiderat, quam Iuriſdictionem ipſius Pontifices tamquam ouilis Dominici Paſtores exercuerant in Eccleſiâ, & quantâ cum veneratione de ſupremâ Petri eiuſque Succeſſorum Poteſtate Concilia ipſa egerant. Conſtitiſſet, quòd Concilium Chalcedonenſe Generale Quartũ omnium Oecumenicorum Orientalium numeroſiſſimum in epiſtolâ Synodicâ Leonem I. *Summitatis* titulo nominarit, eâque Canonem ſuum 28. de tribuendo Sedi Conſtantinopolitanæ ſecundo honoris loco ad Leonem I., vt eius auctoritate confirmaretur, miſerit, & quia iudicio ipſius firmatus non fuit, robore ſuo caruerit. Innotuiſſet, Cæleſtinum ſuis Legatis ad Concilium Epheſinum Generale Tertiũ proficiſcentibus in mandatis dediſſe, quòd ipſius nomine in Concilio iudicare, non verò à Concilio iudicari deberent, quod his verbis legitur in Cæleſtini Commonitorio: *Auctoritatem Sedis Apoſtolicæ cuſtodire debere; ſiquidem & inſtructiones, quæ vobis traditæ ſunt, hoc loquantur, vt intereſſe Conuentui debeatis: ad diſceptationem* ſi

Conciliũ Chalcedonenſe in epiſtola Synodica, quã 630. Epiſcopi miſerunt ad Leonem Magnum.

Cæleſtinus Papa in Commonitorio nuper edito per Stephanum Baluſium ex Manuſcripto Codice Colbertino, & conſer-

tiato quoque in Manuſcripto Codice Vaticano.

ſi fuerit ventum, vos de eorum ſententijs iudicare debeatis, non ſubire examen.

Conſtitiſſet, iuxta hæc mandata coram Patribus Concilij Philippum Cęleſtini Legatum cum Collegis ſententiam tuliſſe in Neſtorium aſſerendo: *Quòd nulli dubium ſit, ſed potiùs ſæculis omnibus notum, Sanctum Petrum Apoſtolorum Principem & Caput, fideique columnam, & Eccleſiæ Catholicæ fundamentum à Domino noſtro Ieſu Chriſto claues Regni Cæleſtis accepiſſe*, & non ſolùm *in ſuis Succeſſoribus viuere*, ſed & *iudicium exercere*. Quod iudicium etiam de Actis Synodalibus intelligendum eſſe, demonſtrat Gelaſius I. ſcribens in Tomo de anathematis vinculo, hoc robur obtinuiſſe, *quod in Synodo firmauit Sedis Apoſtolicæ auctoritas*, quod refutauit, firmitatem habere non potuiſſe.

Philippus Cæleſtini Legatus in Concilio Epheſino Act. 3.

Gelaſius I. Tomo de Vinculo anathematis.

Et hæc procul dubio, ac centena alia antiquorum teſtimonia conſuli voluerunt Cardinales ſeſſione quartâ, antequam de re tanti momenti quidquam ſtatueretur, indicantes, nullum debitum examen à Nationibus de auctoritate Pontificum inſtitutum, nullam maturam deliberationem ante Decretorum concluſionem habitam

fuiſ-

fuiſſe. Quæ cùm ex Actis ipſius Conſtantienſis Concilij clariùs conſtent, quàm vt à quoquam negari poſſint, vndenam Dominus Maimbourg probabit, quòd nulla vnquam Quæſtio meliùs examinata fuerit, quàm illa de auctoritate Conciliorum Generalium in Conſtantienſi fuit? Tantum ſanè abeſt, quòd illud monſtrare poſſit ex ipſis Concilij Actis, vt Geſta Conſtantienſis Concilij hactenùs inedita habeant, quòd *poſt illam ſeſſionem fuit per Cardinalem Florentinum ſuper hoc cum aliquibus Deputatis aliqualiter diſputatum*: vbi notandum eſt, ideò dici, poſt ſeſſionem quartam *aliqualiter* diſputatum fuiſſe, vt indicetur, *non ſufficienter*. Refertur quoquè, per Cardinalem Florentinum & quoſdam Deputatos aliqualem iſtam diſputationem factam, vt innuatur, neque à Nationibus, neque coram omnibus Concilij Patribus communi conſilio eâ de re actum fuiſſe. Pro quâ re facit quoquè Regeſtum Conſtantienſis Concilij, in quo habetur, ſolos Deputatos poſt aliqualem illam diſputationem ſtatuiſſe: *quòd in proximâ ſeſſione omnes articuli & clauſulæ concordatæ per Nationes in vltimâ ſeſſione præ-*

Geſta Conſtantienſis Concilij ex quatuor Codicibus Manuſcriptis

Regeſtum Conſtantienſe ex duobus Codicib. Manuſcriptis.

termiſſa expedirentur. Vbi & notanda ſunt illa verba: *Clauſulæ concordatæ per Nationes in vltimâ ſeſſione prætermiſſæ*. Ex illis enim rurſùs colligitur, Deputatos Conclusioni die 27. Martij ſine maturâ deliberatione factæ inhæſiſſe, ſicque ſine nouâ Nationum deliberatione, ſine nouo Concilij examine ſeſſione quintâ Decreta publicata fuiſſe. Confirmant id Acta Manuſcripta Conſtantienſis Concilij à quatuor eius Protonotarijs collecta, & in tribus Codicibus, quos videre licuit, ſeruata, dùm referunt, publicata fuiſſe Decreta, *tamquam priùs concluſa & deliberata*, quæ verba ex Manuſcripto Codice Colonienſi edidit primùm Petrus Crabbe, & poſteriores Conciliorum collectores retinuerunt. Quod ideò annotare placuit, vt certò conſtet, Decreta, de quacumque auctoritate Conciliorum Generaliū apud Patres Conſtantienſes controuersâ intelligantur, ſeſſione quintâ ſine nouâ deliberatione publicata fuiſſe. Cùm enim expreſſè dicantur *priùs concluſa, & deliberata*, innuitur profectò, Concilium inhæſiſſe priori concluſioni, quam Nationes die 27. Martij cum minùs ſufficienti deliberatione poſuerant,

Acta Conſtantienſis Cōcilij à quatuor Protonotarijs conſcripta.

rant,

rant, & cui Cardinales non ſolùm ante, ſed etiam poſt ſeſſionem quartam contradixerant, nolentes Decretorum publicationi in ipſâ ſeſſione quintâ faciendæ conſentire, vt Capite ſequenti videbimus.

CAPVT II.

De Decretis ſeſſionis quintæ, an conſentientibus omnibus, quorum intererat, publicata ſint?

MEMORIA repetenda ſunt, quæ hâc de re ex Geſtis Conſtantienſis Concilij hactenùs ineditis, & æqualium Scriptorũ teſtimonijs in Diſſertatione Antuerpienſi cap. 1. art. 2. retuli, cùm ex ijs clariùs conſtiterit, complures Patres Decretorum concluſioni repugnaſſe, quàm vt D. Maimbourg id negare auſus fuerit. Oſtendi itaque ex Regeſto Conſtantienſis Concilij, tam tumultuoſè apud Nationes Decreta concluſa fuiſſe die 27. Martij, vt non ſolùm magnâ animorum concertatio tunc inter Patres exorta fuerit, ſed & Cardinales cum Regis Galliæ Oratoribus noluerint venire ad ſeſſionem quartam die

30. Martij celebrandam, niſi ſub conditione, quòd auctoritatem Pontificiam ſpectantia in eâ omitterentur, prout conſentientibus Nationibus omiſſa fuerunt. Monſtraui inſuper ex Geſtis Conſtantienſis Concilij, quòd Cardinales vnà cum Regis Galliæ Ambaſſiatoribus iterùm *difficultatem fecerint intereſsendi ſeſſioni quintæ*, in quâ Nationes ſine maturâ deliberatione, & nouo examine *Decreta priùs concluſa* publicare volebant: & licèt poſteà ad ſeſſionem venerint, oſtendi ex Regeſto, quòd ante ſeſſionem illam in Camerâ paramentorum ſecretam proteſtationem fecerint, *quòd propter ſcandalum euitandum ad ſeſſionem ibant, non animo conſentiendi his, quæ audiuerant in ipsâ ſtatui debere.*

Regeſtũ Conſtantienſe ex duobus Manuſcriptis Codicibus.

Plura ſunt ex his, quæ æqualium Scriptorum teſtimonijs comprobaui, de quibus D. Maimbourg pag. 254. Tractatus ſui hiſtorici ſcripſit: „Scio quidem, quòd „ſuper Decretis illis magnæ contentiones „habitæ fuerint, & quòd Cardinales ſeſe „oppoſuerint: concedo quoquè ipſi id, „quòd inuenit in ſuo Manuſcripto, & quod „aſſerit, numquam antea notum fuiſſe, „& forſan verum non eſt, Cardinales, & „ipſos

D. Maimbourg Tract. Hiſtor. capite 23. pagina 254. Ie ſçay bien, qu'il y eut ſur cela de grandes conteſtations, & que les Cardinaux s'y oppoſerent: je luy accorde meſme ce, qu'il a trouvè dans ſon Manuſcrit,

„ipſos Galliæ Oratores in Camerâ para-„mentorum feciſſe proteſtationem ſecre-„tam, *quòd propter ſcandalum euitandum*, „*ad ſeſſionem ibant, & non animo conſen-„tiendi his, quæ audiuerant in ipsâ ſta-„tui debere.* Quid poteſt inde conclude-„re?„ Hæc ibi Auctor ille, petens ſubinde, numquamne legerim hiſtoriam de aliquo Conclaui, vel peruoluerim librum famoſum Pauli Suauis de Concilio Tridentino, in quibus refertur, quòd poſt magnam animorũ contentionem omnes conuenerint de certo Pontifice eligendo, vel Decreto in ſeſſionibus publicando: „Sic, „inquit, factum eſt in Conſtantienſi Syno-„do: ponamus fuiſſe magnas oppoſitio-„nes, conteſtationes, proteſtationes ſecre-„tas, & omne id, quod placuerit D. Schel-„ſtrate nos ex Manuſcripto ſuo docêre: „Poſt hoc Cardinales, alijque omnes, qui „conteſtati, & ſecretè proteſtati ſunt, ve-„nerunt ad ſeſſionem quintam. Et ſicut „Spiritus Sanctus vnit omnium animos „in Concilio, vt dici poſſit, *Viſum eſt Spi-„ritui Sancto & nobis*, ſic poſtmodum duo „Decreta huius ſeſſionis communi con-„ſenſu ſtatuta fuerunt, prout referunt Acta, „qui-

& ce qu'il avoüé, qu'on n'avoit jamais ſçeù auant cela, & qui peut-eſtre n'eſt pas vray, que les Cardinaux, & meſme les Ambaſſadeurs de France avoient fait dãs la Chambre des Paremens une proteſtation ſecrete, que ce n'eſtoit, *que pour euiter le ſcandale, qu'il aſſiſteroient à la ſeſſion cinquième. & non pas pour conſentir à ce, qu'ils ſçauoient, que l'on y deuoit definir:* Que peut-il cõclure de là? *Idem ibid.* Il en eſt de meſme de ce Concile de Conſtance. Ie veux qu'il y a eù des oppoſitions, des conteſtations, des proteſtations ſecretes, & tout ce, qu'il plaira à M. Schelſtrate de nous apprendre ſelon ſon Manuſcrit: Après tout ces Cardinaux, & tous ces gens qui conteſtoient & proteſtoient ſecretement, aſſiſterent à la cinquième ſeſſion; & comme le S. Eſprit reüñit tous les eſprits dans un

Concile, à fin qu'on puiſſe dire : *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis* : les deux Decrets de cette ſeſſion paſſerent d'un commun accord, comme le diſent les Actes, auſquels M. Schelſtrate n'a rien du tout dans ces Manuſcrits, qu'il puiſſe oppoſer. Voicy cōme parlent ces Actes : *Ces articles & ces Decrets ayant eſtè leùs, le Concile les approuva d'un commun conſentement.*

„quibus D. Schelſtrate nihil habet, quod „ex Manuſcriptis ſuis opponat. Sic enim „in Actis legitur : *Quibus articulis, ſiuè* „*conſtitutionibus lectis, Concilium eos &* „*eas vniformiter approbauit, & conclu-* „*ſit.*„

Hucuſque D. Maimbourg, qui non ſolùm Baſilëenſium ſententiam de confirmandâ Decretorum auctoritate ſequi, ſed & artem eorum in eâ contra obiectiones propugnandâ imitari voluit. Quod vt clariùs conſtet, animo repetenda ſunt, quæ Diſſertatione meâ de Baſilëenſibus notaueram : cùm enim illi Orbi Catholico obtrudere conarentur, quòd Decreta Conſtantienſis Concilij ſummo animorum conſenſu, nemineque penitùs diſcrepante publicata fuerint, Eugenio IV. contrarium aſſerenti Geſta eiuſdem Synodi hâc arte obiecerunt, vt verba pro ſe facientia afferrent, cauſæ verò ſuæ minimè fauentia omitterent. Verba, quæ Baſilëenſes pro ſe facientia attulerunt, indicaui fuiſſe ſequentia: *Licèt iterùm maior pars Cardinalium faciebat difficultatem intereſſendi, omnes tamen præter infirmos venerunt ad ſeſſionem præſente Rege Romanorum in Im-*

Geſta Cōſtantienſis Concilij ex 4. Codicibus Manuſcriptis.

pe-

perialibus inſignijs, Præſidente Cardinali de Vrſinis Epiſcopo Albanenſi, & celebrauit Miſſam de Dominicâ Raynaldus Archiepiſcopus Rhemenſis. Verba autem cauſæ ſuæ minimè fauentia, quæ omiſerant, oſtendi eſſe iſta ſuperioribus immediatè ſubiuncta: *Fuerunt pronuntiatæ diffinitiones ſequentes per electum Poznanienſem, quia Cardinalis Florentinus illas noluit pronuntiare.* De quibus vltimis verbis cùm ſedulò inquiſiuiſſem rationem, cur à Baſilëenſibus omiſſa eſſent, aliam non inueni, quàm quia inſtituto ſuo minimè fauerent: vbi enim ex verbis per ipſos citatis colligi poterat, omnes conſenſiſſe, ibi ex verbis ſubſequentibus conſtabat de oppoſitione Cardinalis Florentini, & omnium ipſi adhærentium, ex quibus planè colligebatur contrarium.

His præmiſſis, videndum eſt, quàm manifeſtè D. Maimbourg veſtigia Baſilëenſium inſecutus fuerit. Admittit Auctor ille verba Geſtorum Conſtantienſium, quibus aſſeritur, quòd non obſtantibus Patrum contradictionibus, & Cardinalium proteſtationibus ſecretè factis, omnes tamen ad ſeſſionem quintam venerint: omittit verò

rò, quæ de Cardinali Florentino, eiuſque ſequacium oppoſitione ex ijſdem Geſtis adiunxeram: & tunc aſſerit, de communi omnium conſenſu Decreta fuiſſe publicata, nihilque in Manuſcriptis Codicibus reperiri, quod his Actorum verbis opponere potuerim: *Concilium ea vniformiter approbauit, & concluſit.* Manifeſtiùs, vt puto, Auctor ille ſequi non poterat artem Baſilëenſium in referendis ijs, quæ pro ſe faciunt, & ſilentio prætereundis, quæ menti ipſius contradicunt: nullibi tamen incautiùs quàm hìc egit, cùm eumdem errorem, quem in Baſilëenſibus notaueram, ipſe committere voluerit. Neque mirari ſatis poſſum, quòd tam aſſeueranter ſcripſerit, me nihil habere, quod ex Manuſcriptis Codicibus opponam: cùm ex illis, & æqualium Scriptorum teſtimonijs expreſſè oſtenderim, Cardinalem Florentinum cum ſequacibus, ac ipſo in primis Ioanne XXIII. repugnaſſe. Quæ vt clariùs conſtent, fuſiùs comprobanda ſunt.

Et de Ioanne quidem conſtat ex Appendice Conſtantienſis Concilij Tomo XI. collectionis Philippi Labbei, quòd ſeſe pro cer-

certo & indubitato Pontifice haberi volens numquam probarit eorum ſententiam, qui Concilio auctoritatem aliquam ſuper ipſum tribuebant. Notæ ſunt cedulæ ex parte Ioannis XXIII. initio Conſtantienſis Concilij publicatæ, in quibus per modum Concluſionis quærebatur: *An Papa verus & canonicus de hæreſi non infamatus, nec ſuſpectus poſſit contra ea, quæ ſunt ſui iuris, ab aliquo compelli, vel arctari: eumque non hæreticum condemnantes, hæretici ſint cenſendi?* Et reſponſum ad hoc concluſione 3. datum: *Hoc fore manus ponere in Chriſtum Domini*, neque immeritò dubitari, an ille, qui talia pijs auribus ingerere auſus erat, *bonus Catholicus cenſeri poterat*. Cùmque Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracenſis in caſu ſchiſmatis, vt tum erat, de Ioanne iudicari poſſe contenderet, fatetur in Tractatu de auctoritate Cardinalium, ſe hanc ob rem *graue & periculoſum dicti Ioannis Papæ odiũ incurriſſe*: quòd Ioannes ſemper exiſtimarit, ſe pro indubitato Pontifice haberi debere, proindeque à Concilio cogi non poſſe. Vnde cùm poſt ſecundam ſeſſionem tres Nationes concluſiſſent, quòd

In Appendice Conſtantienſis Cõcilij Tomo XI. Concil. Philippi Labbei.

Petrus de Alliaco Card. Camerac. Tract. de auctoritate Eccleſiæ & Cardinalium.

ipſe ad ceſſionem Pontificatus ob ſchiſmatis extirpationem cogi poſſet, factum eſt, quod ab ijs, qui Concilio interfuerunt, ſeſe audiuiſſe teſtatur Rodericus Calaguritanus Epiſcopus Dialogo de auctoritate Pontificis, Ioannem XXIII. eâ de causâ infeliciter fugam arripuiſſe.

Poſt fugam autem illius contigit, quod Cardinalis Turrecremata, qui in minoribus conſtitutus Concilio Conſtantienſi interfuit, de graui Ioannis XXIII. querelâ memoriȩ prodidit. Cùm enim poſt fugam eiuſdem Ioannis Cancellarius Pariſienſis vnus ex Galliȩ Oratoribus ſermonem coram Patribus *in diminutionem Iuriſdictionis Apoſtolicæ* habuiſſet, idque Cardinales à Sacro Collegio ad Papam Scaffuſæ conſtitutum miſſi retuliſſent: *Dominis Oratoribus Regis Franciæ viſitantibus eum*, inquit Turrecremata, *amaro animo conqueſtus eſt Ioannes, falſa quædam & erronea aduerſus auctoritatem Romani Pontificis Decreta per æmulos ſuos poſt receſſum eius eſſe concluſa*. Ita Scriptor ille, qui occaſione Decretorum querelam illam interpoſitam putauit, cùm tamen occaſione ſermonis Gerſonij interpoſita fuerit, ideòque

Regeſtũ Conſtantienſis Concilij ex duobus MM.SS. Codicibus.

Turrecremata Tract. de Eccleſia.

cum

cum Collegis Gerſonij potiùs, quàm cum alijs Ioannes conqueſtus fuerit. Neque hæc à Ioannis XXIII. mentę aliena, ſed eidem omninò conſona eſſe, firmatur ex teſtimonio Niemi, in Vitâ eiuſdem Papæ referentis de Cardinalibus Scaffuſâ Conſtantiam reuerſis, quòd Conciliū ex mandato Ioannis diſſoluere voluerint, & auctoritatem diſſoluendi eîdem competere propugnarint.

Verùm de Cardinalibus poſtea, redeamus ad Ioannem, qui 24. Menſis Martij in epiſtolâ ad Poloniæ Regem inter varias rationes, quibus fugam ſuam à Concilio excuſat, hanc ponit: *Quòd quorumdam cæca & inconſulta temeritas vſque adeò ab ipſo Concilij principio ita omnia peruertere, ita omnia perturbare concupiuit, vt non concordiam, ſed diſſenſionem, non vnionem & pacem Eccleſiæ, ſed ſchiſmata & ſcandala quærere viderentur, qui nullo antiquorum Conciliorum ritu obſeruato non publicè, ſed ſparſim & priuatim de rebus Eccleſiæ Conciliabula celebrabant in contemptum Sedis Apoſtolicæ, & in vilipendium noſtrum ſectas, diſſenſioneſque aduerſus nos ſeminantes, ac non per viam* *Ioannes XXIII. epiſt. ad Regem Poloniæ Ladiſlaū.*

Sancti Spiritus, vt decet, ſed per vim & ſtrepitum, & contumelias in rebus ſingulis aduerſus nos moliebantur, multa machinabantur indigna relatu contra decus Apoſtolicæ Sedis, & honorem noſtrum. Ita immediatè poſt ſermonem Gerſonij Ioannes XXIII. in literis ad Ladiſlaum Poloniæ Regem, iuxta quam formam & ad alios Reges de Conſtantienſi Concilio ſcripſiſſe creditur.

Ioannes XXIII. in epiſtola ad Ducem Biturigũ tunc in Sorbona Pariſienſi publicè lecta, & nunc in duobus Manuſcriptis Codicibus Bibliothecæ Victorinæ aſſeruata.

Clariùs mentem ſuam expoſuit in articulis, quos vnà cum litteris ad Ducem Biturigum Scaffusâ Pariſios miſit. Eorum vnus erat, quòd licèt in Concilijs Generalibus non debeat fieri Nationum differentia, ſed omnes & ſingulos ſententiam ſuam publicè aperire oporteat, vt vnius inſtructione informentur alij: hoc tamen Conſtantiæ non fuerit permiſſum, quinimò ſtatutum, quamlibet Nationem vnam tantummodo vocem ſiuè ſuffragium habituram, etiamſi in Natione Gallicâ eſſent trecentæ voces notabiles, & in Italicâ totidem, quoniam erant ex duabus illis Nationibus ducenti Prælati perſonaliter ibidem comparentes; & de Anglicanâ eſſent tantùm tres Prælati, ac cæteri Clerici nouem

uem numero. Alter verò erat, quòd cùm in Concilijs Generalibus ſecundùm ſtatuta Canonum ius ſuffragij non competat niſi Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, quorum ſuffragia requirenda ſunt in ſeſſionibus publicis, & non priuatis conſilijs, nihilominùs quicumque ad eiuſmodi conſilia fuiſſent admiſſi, nullo diſcrimine perſonarum habito, omnium ſuffragia etiam Laicorum, ſubtractis Prælatorum ſuffragijs, recepta ſint vſquequaque etiam Prælatis contradicentibus. Alius demùm articulus, vt cæteros omittam, erat, quòd, licèt in Concilijs ſuffragia debeant eſſe libera, nihilominùs multæ extiterint cauillationes, & ſubornationes per minas & terrores ab Imperatore procedentes.

Scripſit hæc omnia de prioribus Conſtantienſis Concilij Actis Ioannes XXIII. quæ reperiuntur in duobus Manuſcriptis Codicibus Victorinis, vbi D. Maimbourg ea legere poterit: à me autem hoc loco allata ſunt, quia Pariſijs in publicâ Vniuerſitatis Congregatione lecta dicuntur, & non parum conferunt ad monſtrandum, quòd Ioannes XXIII. obſtiterit ijs, quæ

Con-

Conſtantiæ contra Sedis Apoſtolicæ auctoritatem acta putantur, & numquam à ſententiâ ſuâ hâc in re diſceſſerit, vt in Diſſertatione Antuerpiæ editâ indicaui. Meminit Ioannes diſſenſionũ, cauillationum, & contradictionum, quæ ſi vllibi, procul dubio quoad Decreta ſeſſionum quartæ, & quintæ locum habuerunt: ſic enim teſtatur in Apologiâ ſuâ contra Baſilëenſes Romanæ Eccleſiæ Pontifex Eugenius IV. quòd contra Decreta de auctoritate Conciliorum *nonnulli reclamauerint grauiores, qui ſtrepente multitudine ſuperati, ſicut his nouiſſimis temporibus, quibus carnales exuberant paſſiones, factum eſſe, manifeſtum eſt, audiri nequiuerunt.* Eadem refert Rodericus Calaguritanus Epiſcopus in Dialogo de auctoritate & poteſtate Romani Pontificis, ſeſe nimirùm audiuiſſe à magnæ auctoritatis Viris, qui Concilio Conſtantienſi interfuêre, quòd contra Decreta ſeſſionis quintæ *reclamauerint complures Prælati & Doctores*: de quibus etiam affirmat Cardinalis Turrecremata libro 2. de Eccleſiâ, cap. 99. quòd plures Patres doctiſſimi non præſtiterint conſenſum aut aſſenſum ſuum. Quæ vltima verba

Eugenius IV. in Apologia contra Baſilëenſes.

Rodericus Calaguritanus in Dialogo de poteſtate Papæ.

ba notanda ſunt,quia ex articulis Ioannis XXIII. confirmationem accipiunt, vbi dicitur: Priuatis conſilijs ſuffragia etiam Laicorum, ſubtractis Prælatorum ſuffragijs, recepta fuiſſe, neque in ſeſſionibus publicis vota ſingulorũ, ſed quatuor dumtaxat Nationum audiri conſueuiſſe. Quod ad perpetuum Cardinalium diſſenſum probandum quamplurimùm conferre, ex Actis & Geſtis hucuſque ineditis clariùs oſtendemus, quàm vt à quoquam in dubium reuocari poſſit.

Codex Manuſcriptus continens Acta Conſtantienſis Concilij, qui in Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi aſſeruatur.

Refertur in Manuſcripto Codice Bibliothecæ Regis Chriſtianiſſimi,quòd poſt receſſum Ioannis XXIII. Romanæ Eccleſiæ Cardinales à Nationibus petiuerint, vt ipſorum Collegium quoad ſuffragia vnum votum cum ipſis haberet in ſeſſionibus publicis, eorumque mentio fieret in litteris & ſubſcriptionibus Synodicis. Illuſtriſſimus Apamëenſis Epiſcopus Spondanus, qui hunc Codicem Regium vidit, teſtatur, Cardinales repulſam paſſos fuiſſe, putatque id ſolùm intelligendum de mentione ipſorum in litteris & ſubſcriptionibus Synodicis, non autem quoad ſuffragium in ſeſſionibus publicis. Fallitur tamen

men Vir eruditus exiſtimans, Cardinalem Præſidem in prioribus ſeſſionibus pro ſe & Collegio Cardinalium per verbum *placet* ſuffragiũ tuliſſe. Tantum enim abeſt, id factum fuiſſe in ſeſſionibus poſt receſſum Ioannis XXIII. vt Geſta Concilij hactenùs inedita ad ſeſſionem ſeptimam notent, quòd Cardinalibus vix vnquam communicata fuerint Decreta publicanda in ſeſſionibus, vt deſuper deliberarent. *Nam*, inquiunt, *penè in omnibus Decretis Concilij factum eſt, Cardinalibus ita arcto & breui tempore oſtenſa ſunt Decreta iam concluſa in Nationibus, vt non fuerit in eorum poteſtate ſufficienter deliberare, imò in magnum contemptum habiti ſunt. Plures conqueſti ſunt Cardinales de contemptu. Et finaliter petiuerunt, quòd cùm eſſent in Concilio quatuor Nationes, vna Angliæ, in quâ non erant viginti capita, de quibus tres ſolùm Prælati, & Cardinales eſſent ſexdecim, & alij futuri, de quibus plures magni & inſignes Doctores propter dignitatem Collegij haberent vocem & auctoritatem tantam, ſicut Natio Anglicana. Quod fuit recuſatum, & dictum, quòd venirent ad ſuas Nationes. Ita quòd* nul-

Geſta Conſtantienſis Concilij in quatuor Manuſcriptis Codicibus.

nullam habent auctoritatem.

Magni omninò faciendum eſt hoc Geſtorum indubitatæ fidei teſtimonium, quòd hucuſque latuit Orbem Catholicum: ex eo enim non ſolùm confirmantur, quæ ſuperiori Capite notauimus de Decretis ſeſſionis quintæ præcipitanter, & ſine maturâ deliberatione publicatis, ſed & monſtratur, rationibus deſtitutum non fuiſſe, quod contra Nationes de inęqualitate ſuffragiorum ſcripſit Ioannes XXIII. ac patet veriſſimum eſſe, quod contra Spondanum probandum ſuſcepi, Cardinales repulſam paſſos fuiſſe quoad ſuffragium in ſeſſionibus publicis. Idem confirmatur ex Actis Conſtantienſis Concilij tam editis, quàm ineditis, in quibus ante ſeſſionem vndecimam nullibi reperitur, Cardinalem Præſidem pro ſe & Sacro Collegio ſuffragium tuliſſe, id quod primùm ſeſſione vndecimâ factum fuit; quamuìs non ſine myſterio, Geſta Conſtantienſis Concilij id primùm ſeſſione quartâ contigiſſe referant. Affirmant enim, quòd pro vnione Gregorij XII. admiſſa fuerit noua Concilij conuocatio, ac de eâ reſponderint *quatuor Prælati pro quatuor Nationibus Placet,*

cet, & Cardinalis Oſtienſis pro Collegio Cardinalium Placet: & hoc, inquiunt, *nunc primùm reſponſum eſt ex parte Cardinalium*. Quæ vltima verba notanda ſunt, non enim error iſte ad diminuendam, ſed ad augendam potiùs Geſtorum fidem facit, ſicut latiùs, vbi, & quando neceſſitas vrgebit, exponemus.

Hiſce ex Manuſcriptis indubitatæ fidei Codicibus præmiſſis, redeundum eſt ad Decreta, de quibus, ſi de vllis alijs, intelligenda ſunt, quæ habent Geſta ſuperiùs allata. De nullis enim alijs Decretis ęquè ac de iſtis referunt, quòd præcipitanter à Nationibus ſint concluſa, & conſtanter à Cardinalibus eorũ publicationi contradictũ fuerit. Teſtantur itaq;, quòd Cardinales noluerint ad ſeſſionem quartam venire, in quâ Nationes ea publicare decreuerant, quia *ſuper illis non fuerant habitæ, nec ſufficienter petitæ deliberationes eorum*. Additur in Regeſto, quòd, poſtquam Cardinales effecerant, vt illorum Decretorum publicatio tunc omitteretur, ſeſſione quartâ publicè monuerint; *vt omitterentur illæ materiæ, quæ magnas habent difficultates, & maturam exigunt deliberationem*.

Ex quatuor Manuſcriptis ſuprà.

Regeſtũ Conſtantienſis Concilij.

Cùm-

Cùmq; animaduertiſſent, conſilium ſuum à Nationibus negligi, & ſine communi examine ac nouâ deliberatione Decreta ſeſſione quintâ publicanda fore, teſtatur idem Regeſtum, quòd Cardinales eodem die, quo ſeſſio illa habenda erat, proteſtationem ſecretè fecerint in Camerâ Paramentorum Palatij Conſtantienſis, *quòd propter ſcandalum euitandum ad ſeſſionem ibant, non animo conſentiendi his, quæ audiuerant in ipsâ ſtatui debere*. Adiungunt Geſta Conſtantienſis Concilij, Decreta per vltimum Cardinalem in ſeſſionibus publicis pronuntiari conſueuiſſe, idque tunc ſpectaſſe ad Franciſcum Zabarellam Cardinalem Florentinum, omnium ſui temporis Canoniſtarum facilè Principem; Decreta tamen ſeſſionis quintæ pronuntiata fuiſſe per electum Poznanienſem, *quia Cardinalis Florentinus illa noluit pronuntiare*. *Geſta Conſtantienſis Concilij.*

Scribat iam D. Maimbourg, Decreta ſeſſionis quintæ conſentientibus omnibus obedientiæ Ioannis XXIII. Patribus publicata fuiſſe, meque nihil habere, quod ex Manuſcriptis Codicibus opponam. Dicat, omnes illos, qui vmquam contradixe-

runt, ſeſſione quintâ in vnam eamdemque conueniſſe ſententiam, idque etiam de Cardinalibus conſtare ex eo, quòd Concilium dicatur Decreta poſt eorum publicationem approbaſſe. Nonne ex iam dictis manifeſtè conſtat, approbationem Actorum per quatuor Prelatos ex parte Nationum fieri conſueuiſſe, & Præſidem pro ſolis Nationibus votum tuliſſe? Nonne teſtatur Codex Manuſcriptus Chriſtianiſſimi Regis, quòd poſt receſſum Ioannis XXIII. Cardinalibus negatum ſit votum ſpeciale in ſeſſionibus publicis? Nonne ex ſeptem Codicibus Manuſcriptis Geſta & Regeſtum Actorum Conſtantienſium continentibus manifeſtum ſit, Cardinales noluiſſe ſeſe Nationibus coniungere quoad concluſionem Decretorũ ſeſſionis quintæ, ſed ſeparatim egiſſe, & totis viribus eorum publicationi obſtitiſſe? Nonne ex tribus Manuſcriptis Codicibus patet, Cardinales ſeſſioni quintæ intereſſe noluiſſe, niſi præmiſsâ proteſtatione ſecretâ, quòd conſentire nolint ijs, *quæ audiuerant in eâ ſtatui debere*? Nonne ex Geſtis Concilij habetur, Cardinalem Florentinum, ad quem de more ſpectabat Decreta pronuntia-

Geſta Conſtantienſis Concilij ex quatuor Manuſcriptis Codicibus & Regeſtum ex tribus Manuſcriptis.

Regeſtum ex tribus Manuſcriptis Codicibus.

Geſta ex quatuor Manuſcriptis Codicibus.

tiare, diſſenſum Cardinalium ſufficienter indicaſſe, dùm in ſeſſione quintâ à Nationibus rogatus, ea legere publicè recuſauit? Nonne eadem Concilij Conſtantienſis Geſta perhibent, Cardinalem Prȩſidem ſeſſione quintâ pro Cardinalium Collegio nullum votum tuliſſe, adeòque licèt quatuor Prælati iuxta morem Conſtantiæ introductum pro maiori parte eorum, qui in quatuor Nationibus erant, per verbum *Placet* Decreta admiſerint, neminem fuiſſe, qui pro Cardinalibus ſuffragium ferret? Nonne ex his omnibus clariſſimè conſtat, non ſolùm grauiſſimos Patres à contraclamante multitudine in congregationibus Nationum ſuperatos per ſe nullum votum tuliſſe, ſed nec Cardinales per alios conſenſum præbuiſſe? *Eadem Geſta Manuſcripta.*

Quid ad hæc reſpondere poterit D. Maimbourg? Quâ arte perget adſtruere communem Patrum circa Decreta conſenſum? Quo fuco errorem illum poſt hæc promouebit? Conabantur quondam Baſilëenſes Orbi Catholico obtrudere Decreta ſeſsionis quintæ, ac ſi vnanimi omnium Patrum conſenſu ſtatuta, nemineque penitùs diſcrepante publicata fuiſſent: ſed

ar-

arte vſi ſunt omittendo ea Geſtorum verba, ex quibus de conſtanti grauiſsimorum Patrum diſſenſu conſtabat, vt ante biennium in Diſſertatione meâ oſtendi, & hoc Capite contra D. Maimbourg ex Manuſcriptis Codicibus Gallicis æquè ac Italicis iterùm monſtraui. Quibus ex quatuor Manuſcriptis Codicibus Geſta Conſtantiſis Synodi continentibus adiungi pro coronide poteſt, quòd Cardinalibus Decreta ſeſsionis quintæ improbantibus ſeſe coniunxerint Oratores Regis Chriſtianiſſimi, Ludouicus nimirùm Dux Bauariæ Frater Reginæ Franciæ, Rhenaudus Archiepiſcopus Rhemenſis, cæterique per Monachum Sandionyſianum, & alios relati. Cùm enim Gerſonius vnus ex Galliæ Oratoribus die 23. Martij ſermonem *in diminutionem Iuriſdictionis Apoſtolicæ* habuiſſet, & poſtea Ludouicus Bauariæ Dux cum Raynaudo Archiepiſcopo Rhemenſi, & Nicolao de Calauilla ad Ioannem XXIII. Scaffuſam perueniſſent, idem Ioannes *Oratoribus Regis Franciæ viſitantibus eum amaro animo conqueſtus eſt,* teſte Turrecremata, *falſa quædam & erronea aduersùs auctoritatem Romani Ponti-*

Geſta Conſtantienſis Concilij in quatuor Manuſcriptis Codicibus referunt, quòd cum Ambaſſiatoribus Regis Francorum Cardinales ſe coniunxerint, & illi cum Cardinalibus.

Regeſtũ Conſtantienſis Concilij ex duobus Manuſcriptis Codicibus.

Cardinalis Turrecremata lib. 2. de Eccleſia.

ti-

tificis poſt ſuum diſceſſum Conſtantiæ propoſita fuiſſe. Quæ Ioannis verba tantum valuerunt apud dictos Oratores, vt Conſtantiam reuerſi ſeſe coniunxerint Cardinalibus, & non ſolùm difficultatem fecerint veniendi ad ſeſsionem 4., ſed etiam ad ſeſsionem 5. venire noluerint, vt fidem faciunt Geſta Conſtantienſis Concilij.

Nec refert, quòd poſteà ad ſeſſionem 5. iuerint: nam eos præmiſiſſe proteſtationem teſtatur Regeſtum Actorum Conſtantienſium; quod idem de Regis Chriſtianiſsimi Oratoribus affirmat, vtpotè qui vnà cum Cardinalibus in Camerâ Paramentorum Conſtantienſis Palatij fecerunt proteſtationem ſecretam, *quòd propter ſcandalum euitandum ad ſeſſionem ibant, non animo conſentiendi his, quæ audiuerant in ipsâ ſtatui debere.* Præclariora autem ſunt hæc verba, quàm vt illa tamquam parùm ad rem facientia miſſa faciamus. Agunt enim de proteſtatione contra Decreta ſeſsionis quintæ factâ ab ipſius Regis Chriſtianiſsimi Oratoribus, quorũ ſententiam, ſi contra vlla Conciliorum Decreta quidquam valere poſſe exiſtimetur, contrà indeliberata & tumultuo-

Regeſtum ex duobus Manuſcriptis Codicibus.

ſa Decreta ſeſsionis quintæ Conſtantienſis Concilij ab vnâ obedientiâ, eâque non integrâ ſtatuta facere, Galli in primis fateri deberent. Et hæc ſufficiant de Decretis ſeſsionis quintæ, vt Orbi Catholico conſtet, non ſolùm ſine communi deliberatione tantæ rei debitâ, ſed nec ab omnibus vnius obedientiæ Patribus, quin potiùs reclamantibus grauioribus, & contradicentibus Regis Galliæ Oratoribus ſtatuta fuiſſe, adeòque veriſsimum eſſe, quod in Diſſertatione Antuerpiæ editâ notaueram, dubiæ ſaltem auctoritatis ex hoc Capite & à nobis, & à Gallis in primis cenſenda eſſe.

CAPVT III.

An Patres Conſtantienſes ſeſſione quintâ ſufficienter Eccleſiam Vniuerſalem repræſentarint, vt eorum Decretis omnes vbique fideles parêre debuerint?

PROBAVERAM capite 1. articulo 1. Diſſertationis meæ, quòd Patres Conſtantienſes ſeſsione quintâ non ſufficienter

ter Vniuerſalem Eccleſiam repręſentarint, vt eorum Decretis omnes vbique fideles parere debuerint. Ad quæ reſpondet D. Maimbourg paginâ 256. Tractatus ſui Hiſtorici: „ Tertium demùm argumen-„tum, quo vtitur ad infirmandam au-„ctoritatem Decretorum ſeſſionis quartæ „& quintæ, conſiſtit in eo, quòd in Con-„cilio tunc dumtaxat vna obedientia Io-„annis XXIII. fuerit, quæ Eccleſiam „Vniuerſalem repræſentare nequiuit. Vt „autem demonſtretur nullitas huius ar-„gumenti, quod procul dubio omnium „peſſimum eſt, duobus verbis ipſi dicam, „id, quod ſupponit poſt Bellarminum „(qui infirmas illas obiectiones ei com-„modauit) eſſe falſiſſimum. „ Ita Auctor ille, qui errat in pluribus: ac primò quidem in eo, quòd argumentum nullitatis arguere præſumpſerit, quod eſt longè validiſſimum. Secundò, falſiſſimum dixerit, quod eſt veriſſimum. Tertiò demùm, obiectiones mihi à Bellarmino commodatas ſomniarit, quas ex ſolis Actis & Geſtis Conſtantienſis Concilij, ac æqualium Scriptorum teſtimonijs deſumpſeram, vt ſequentia legenti conſtabit.

D. Maimbourg pag. 256. En fin, la troiſième raiſon, dont il ſe ſert pour affoiblir l'authoritè des Decrets de ces deux ſeſſiõs, eſt, que le Concile n'eſtant alors composè, que de la ſeule obedience, de Iean XXIII. ne pouvoit repreſenter l'Egliſe Vniuerſelle. Or pour le convaincre de la nullitè de cette raiſon, qui eſt ſans doute la plus mechante de toutes, je n'ay qu'à luy dire en deux mots, que ce qu'il preſuppoſe aprés Bellarmin, qui luy a fourni toutes ces foibles obiections, eſt tres-faux.

Primum enim teſtimonium, cui argumentũ innititur, deſumpſeram ex duobus Auctoribus grauiſſimis, qui Conſtantienſi Concilio interfuerunt, & tredecim prioribus ſeſſionibus non niſi vnam Ioannis XXIII. obedientiam adfuiſſe notarunt: Congregationem enim iſtius obedientiæ noluerunt aliæ duæ pro generali Eccleſiæ conuentu agnoſcere, vt fidem faciunt Cardinalis Turrecremata, & Summus Eccleſię Pontifex Eugenius IV. quorum primus eâ de re teſtatur his verbis: *Nullus dubitat, quòd aſſerere, quòd ſola obedientia Ioannis faceret Concilium Vniuerſale Vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, eſſet temerarium ac ſcandaloſum alijs duabus obedientijs.* Secundus verò in Apologiâ contra Baſilëenſes aſſerens: *Non dixit obedientia Gregorij, non Benedicti, quæ Chriſtianitatis pars non modica erat, ante tempus conuentionis plenarium fuiſſe Concilium, nec priùs actitata quaſi Synodi Generalis plenariâ auctoritate ſuſcepit. Itaque oportuit ipſis conuenientibus primò ab obedientiâ Gregorij, deinde ab obedientiâ Benedicti nouum Concilium conuocari; hincque, Vniuersâ Eccleſiâ concurrente, plenariæ Syno-*

Cardinalis Turrecremata lib. de Eccleſia.

Eugenius IV. Apologia contra Baſileenſes.

no-

nodi rem & nomen accepit. Quod ergo ante illum articulum ipſis à Patribus ibi conſidentibus actum eſt, Vniuerſæ Eccleſiæ non debet adſcribi, ſed eis tantùm, qui ibidem conſidebant, & vnius tantùm obedientiæ Synodum faciebant.

Secundum teſtimonium deſumptum fuit ex Geſtis Conſtantienſis Concilij hucuſque ineditis, ex quibus oſtendi, rem nouam non eſſe, quòd Concilium Conſtantienſe ante trium obedientiarum vnionem Vniuerſale fuiſſe negetur, cùm in ipſo Concilio coram Patribus Conſtantienſibus publicè dixerint Legati Regis Arragonię, *quòd quidem vellent ſe vnire Concilio, non tamen reputare eſſe Generale Concilium, neque agi de rebus Concilij Generalis, donec venirent Legati Regis Caſtellæ.* Ita in Geſtis Conſtantienſis Concilij ad menſem Octobris anni 1416. in quibus referuntur quoquè litteræ ſcriptæ à Rege & Regina Caſtellæ *ad Congregationem quatuor Nationum in Conſtantiâ.* Quæ litteræ cum hâc inſcriptione coram Patribus Concilij lectæ fuerunt; qui nullam ſibi iniuriam ex omiſſo titulo Generalis Concilij fieri exiſtimarunt, nihilque ad illud reſponderunt:

Quatuor Manuſcripti Codices Geſta Cõſtantienſis Concilij continentes.

runt: quin potiùs ante vnionem duarum obedientiarum ſeſe Vniuerſam Eccleſiam non repræſentaſſe tacitè admiſerunt.

Regeſtũ Conſtantienſis Concilij ex duobus Manuſcriptis Codicibus

Oſtendi namque tertio loco ex Regeſto Conſtantienſis Concilij, Gregorium XII. cum ſuâ obedientiâ noluiſſe ſeſſione decimaquartâ vnionem inire, niſi improbatâ conuocatione per Ioannem XXIII. factâ, & nouâ Concilij conuocatione admiſſâ. Extant eâ de re Bullę Gregorij XII. quarum prima inſcribitur, *De Poteſtate authorizandi iſtud Concilium*: ſecunda directa fuit ad Carolum de Malateſtis, vt conuocato de nouo, & auctorizato Concilio, ſuo nomine de Pontificatu cederet. Quibus omnibus adiunxi, ex ſeſſione vigeſimâ ſecundâ Actorum Conſtantienſium, quòd Concilium ipſum iuxtà concordata Narbonæ cum obedientiâ Benedicti XIII. inita non ſolùm tertiam conuocationem admiſerit, ſed in litteris, quibus Patres iſtius obedientiæ ad Concilium vocabat, à titulo *Vniuerſalis*, ſeù *Oecumenici* abſtinuerit, & Patrum Hiſpanorum litteras receperit, ac receptas in publicâ ſeſſione legi, Actiſque ſuis inſeri iuſſerit, licèt nulla Generalis Concilij mentio in ijs fieret.

Bulla Gregorij XII.

Litteræ Concilij Conſtantienſis ad Epiſcopos Hiſpaniæ.

Hæc

Hæc ego in Diſſertatione meâ Antuerpienſi non quidem ex Bellarmino, vt putauit D. Maimbourg, ſed ex Actis Conſtantienſis Concilij editis & ineditis, ac æqualiũ Scriptorum teſtimonijs, quæ clariora ſunt, quàm vt hic Auctor ea attingere, nedum refutare auſus ſit: maluit namque cuncta ſuperiùs allata ſub ſilentio pręterire, quàm ea in memoriam reuocando pręiudiciũ aliquod opinioni ſuę afferre. Quamuis autẽ illud palliandę malę ipſius cauſę prodeſſe poſſit, à me nullatenùs tacendum fuit, cùm ex ijs clariſſimè conſtet, Concilium Conſtantienſe à duabus obedientijs Gregorij XII. & Benedicti XIII. pro Vniuerſali habitum non fuiſſe.

Ne tamen D. Maimbourg nimis harum obedientiarum terminos reſtringat; memoriâ repetendum eſt, illas *non modicam*, vt cum Eugenio IV. loquar, *Chriſtianitatis partem* conſtituiſſe: in obeditiâ enim Gregorij XII. conſtat fuiſſe non ignobiles Italię Vrbes cum totâ Romaniâ, eiuſque Principe Carolo de Malateſtis; celebres inſuper Epiſcopatus Germaniæ, Wormatienſem nimirùm, Spirenſem, ac Werdenſem, qui omnes cum Duce Bauariæ

Eugenius IV. in Apologetico.

riæ, alijſque paruerunt Gregorio vſque ad ceſſionem Pontificatus. In obedientiâ verò Benedicti XIII. patet fuiſſe quatuor integra Regna, Scotiæ nimirùm, Nauarræ, Caſtellæ, & Arragonum, quorum Reges vnà cum celeberrimis totius Hiſpaniæ Eccleſijs, & Vniuerſitatibus Concilium vſque ad ſeſſionem trigeſimam ſeptimam noluêrunt pro Generali agnoſcere, prout in ipſo Conſtantienſi Concilio coram Patribus, nemine eorum contradicente non ſemel, ſed pluriès expoſuerunt. His autem ſi adiungas Ducem de Fuxo & Armeniaco cum populis Bearnæ ipſi ſubiectis, Inſulas Maioricarum, Sardiniæ, & Corſicæ, de obedientiâ Benedicti; Ioannem Dominicum Archiepiſcopum Raguſinum cum alijs de obedientiâ Gregorij: patebit profectò, eorum iudicium non contemnendum eſſe.

D. Maimbourg pag. 257. Preſque tous les Cardinaux des deux obediences de Gregoire XII. & de Benoiſt XIII. s'unirent au Concile de Piſe, où ces deux pretendus ſouverains Pontifes, qui

Audiendus tamen eſt D. Maimbourg, qui paginâ 257. obijcit, omnes Cardinales duarum illarum obedientiarum, qui ſeſe vniuerant in Concilio Piſano, & duobus contendentibus depoſitis Alexandrum V. in eorum locum elegerant, ſub eius Succeſſore Ioanne XXIII. Concilium

Con-

Conſtantiæ continuaſſe. Verùm neſcio, cur Auctor iſte duarum obedientiarum Cardinales obijciat pro firmandâ auctoritate Conſtantienſis Concilij, cùm illos prorsùs Decretis ſeſſionis quintę refragatos fuiſſe, in Diſſertatione Antuerpienſi ex Geſtis Concilij oſtenderim; id quod capite ſuperiori rursùs probaui. Complures enim Cardinales, quos nobis ex obedientiâ Ioannis XXIII. obijcit, ipſi ſunt, qui concluſioni Decretorum obſtiterunt ante ſeſſionem quartam, & contra eorum publicationem proteſtati ſunt ante ſeſſionem quintam. Illi ſunt, qui in Camerâ Paramentorum vnà cum Oratoribus Regis Franciæ declararunt, quòd *ad ſeſſionem ibant ob ſcandalum euitandum, non animo conſentiendi his, quæ audiuerant in eâ ſtatui debere*. Illi ſunt, qui ſeſſione quintâ coram Patribus ipſis recuſarunt eius publicationi annuere. Acta enim typis edita referunt, per electum Poznanienſem pronuntiata fuiſſe, *quia Cardinalis Florentinus*, vt Manuſcripta Geſta teſtantur, *ea noluit pronuntiare*.

ioüoient toute la Chreſtientè par leur colluſion, furent declarez ſchiſmatiques, & Antipapes, & l'on eleût Alexandre V. reconnu vray Pape par la plus grande partie des Egliſes ſans aucune comparaiſon, & ſur tout par l'Egliſe de Rome. Or ces meſme Cardinaux, & ces Eueſques, qui compoſoiẽt ce Concile tres-nombreux, le continuerent à Conſtance.

Regeſtũ Conſtantienſis Concilij.

Acta typis edita ſeſſione quinta. Geſta Manuſcripta eadem ſeſſione quinta.

Quòd ſi pro cognoſcendo ſenſu Cardinalium mens Cardinalis Florentini non

ſuf-

ſufficere videatur, audiendus eſt Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracenſis apud Gallos celeberrimus, quī non anno 1415. vt putauit Illuſtriſsimus Apamearum Epiſcopus Spondanus, ſed anno 1417. ante aduentum Legatorum Regis Caſtellæ ſcripſit Tractatū de Eccleſiæ & Cardinalium auctoritate, & Parte 1. cap. 4. aliqua dubia propoſuit, *quæ dicebat apud nonnullos magnam perplexitatem inducere. Primum dubium, an quatuor Nationes in hoc Sacro Concilio ſic diſtinctæ, videlicet Italica, Gallicana, Germanica, & Anglicana, excluſo dicto Cardinalium Collegio, faciunt Generale Concilium, cùm ſint plura Concilia particularia valdè inæqualiter & improportionabiliter diuiſa, & ad partem deliberantia, quæ deliberatio, excluſâ deliberatione dicti Collegij, & non factâ in communi ſeſſione collatione votorum, videtur multis non eſſe cenſenda deliberatio Concilij concilialiter facta. Secundum dubium, an dictæ Nationes, quæ ſunt noua Collegia particularia, quæ multis videntur contrà, vel præter conſuetudinem antiquam Sacrorum Conciliorum inſtituta, licèt ex rationabili causâ, & ſub debitis cir-*

Petrus de Alliaco Cardin. Camerac. Tractatu de Eccleſiæ & Cardinalium auctoritate.

circumſtantijs ita inſtitui potuerint, habuerint à Iure Diuino, vel humano auctoritatem priuandi Romanam Eccleſiam; & Sacrum Collegium ipſum repræſentans (quod eſt antiquum Collegium, & in antiquo Iure & in Sacris Generalibus Concilijs, & in Sanctorum Patrum Decretis fundatum) priuandi inquam iure ſuo, habendi ſcilicet vocem in Sacro Concilio, & Summum Pontificem eligendi. Hæc ibi Petrus de Alliaco affirmans; iſta dubia à ſe propoſita fuiſſe, vt ſuper his Concilium deliberaret, ne in futurũ Acta reprobarentur: quod ſanè numquam Cardinalis Cameracenſis monuiſſet, niſi auctoritatem Conſtantienſis Concilij quoad aliqua Decreta in dubium reuocari poſſe præuidiſſet.

Neque hæc ſingularis opinio Petri de Alliaco, ſed communis totius Sacri Collegij fuit, vt occaſione Decreti de non eligendo ſine Concilij aſſenſu Pontifice, ſufficienter conſtitit: cùm enim ſeſſione decimâ quartâ editum eâ de re fuiſſet Decretum, non ſolùm Cardinales ſeſe ad illud minimè teneri exiſtimarunt, ſed vnanimi totius Sacri Collegij conſenſu contra il-

lud proteſtati ſunt, vt fidem faciunt Geſta Conſtantienſis Concilij hactenùs inedita, quæ notant poſt ſeſſionem trigeſimam octauam, quòd *Cardinales attenderint conſtitutionem, Vbi † maius. de electione in 6. & alia Iura, & etiam Decreta Concilij ſuper electione Papæ hâc vice, per quæ Concilium decreuit electionem fiendam modo, & formâ, loco, tempore, & materiâ per Concilium ordinandis, & pœnas terribiles imponit contrarium facientibus, ſuſpenditque omnia Iura poſitiua in illâ materiâ.* Addunt, *dictos Cardinales non reputaſſe illa Decreta valere propter opiniones Doctorum ita dicentium.* Et licèt publicè ea impugnare noluerint, ne electio futuri Pontificis impediretur; Acta tamen affirmant, eos noluiſſe tacitè, vel expreſsè Iuri ſcripto renuntiare, ideòq; proteſtationem mitioribus terminis feciſſe, quibus concipi poterat, eamque coram ſingulis Nationibus de Sacri Collegij mandato prælegi feciſſe.

Geſta Cõſtantienſis Concilij ex 4. Manuſcriptis Codicibus.

† periculum

Iam videre incipiet D. Maimbourg, niſi mea me fallat opinio, Cardinales, quos ex obedientiâ Ioannis XXIII. adduxit, ſuo inſtituto non fauêre, cùm Decreta ſeſſio-

ſionis decimæ quartæ ipſimet in dubium reuocarint, ſeſeque illis non teneri, publicè coram ſingulis Nationibus expoſuerint. Clariùs autem infirmitatem Decretorum illorum videre poterit ex aliâ proteſtatione Cardinalium poſteà contra Regem Romanorum, & Nationem Germanicam editâ, in quâ non ſolùm fatentur, *quòd Clerus & populus nonnullorum Regnorum, & Prouinciarum nondum ſolidè & clarè Concilio adhæſerant, ſed, vt communiter* fatebantur, *expectarent fiendæ electionis Summi Pontificis euentum, vt ſi electus foret canonicè, illi obedirent, aliàs non. Nec non etiam, quòd quorumdam, qui eidem Concilio adhæſerant, propter rumores diſcordiarũ, & quaſi impreſſionum, quas in eodem Concilio fieri audiebant, fidem iam de eodem Concilio vacillare: ideòque ſcriptum & relatum tunc fuiſſe à pluribus Magnatibus, & alijs Zelatoribus pacis & vnionis Eccleſiæ, in Italiâ plurimùm dubitari, ne in Vrbe Romanâ prætextu rumorum & dilationis prædictorum aliquis pro Summo Pontifice aſſumeretur, cui forſan præmiſſis attentis tota Italia obediret.* Hæc ferè in terminis Cardinales

Cardinales cum tribus Nationibus Hiſpanica, Gallicana, & Italica in proteſtatione facta poſt ſeſſionem trigeſimam octauam, ex quatuor Manuſcriptis Codicibus ſuperiùs edita.

ante ſeſſionem trigeſimam nonam, ex quibus patet, quænam tunc eſſet plurium fidelium de Concilio Conſtantienſi opinio; quænam de admittendis eius Decretis non Cardinalium dumtaxàt, ſed totius fermè Italiæ ſententia, pro quâ Nationem quoquè Hiſpanicam adducere poſſumus, quòd illa publicè cum Cardinalibus admiſerit, ad electionem Pontificis procedi poſſe *non obſtantibus quibuſdam huius Concilij Decretis, quibus*, inquit, *Nos Hiſpanica Natio, etiamſi aliàs valida exiſterent, non ligamur*. Quo nihil clariùs dici à Natione Hiſpanicâ potuit, nihil manifeſtiùs de auctoritate Conſtantienſis Concilij ante trium obedientiarum vnionem in edendis de electione Pontificis Decretis poſterorum memoriæ conſecrari valuit.

Statuerat Concilium Conſtantienſe ante vnionem Hiſpanorum, à Cardinalibus procedi non poſſe ad electionem Romani Pontificis, niſi de conſenſu Concilij, quod Decretum non ſolùm tamquam inualidum Cardinales impugnarunt, ſed à totâ Natione Hiſpanicâ reiectum hâc ratione fuit, quòd *etiamſi aliàs validum exiſteret*, ſe illo minimè ligari exiſtimaret. Hæc

poſt

poſt ſeſſionem trigeſimam octauam Natio Hiſpanica in publico Inſtrumento, quod nomine Sacri Cardinalium Collegij, & duarum aliarum Nationum in Eccleſiâ Conſtantienſi Regi Romanorum, & Nationi Germanicæ prælectum fuit, & ab ipsâ Natione Gallicanâ negari non poterit, vtpotè quæ vna ex duabus illis Nationibus fuit, & non ſolùm hanc Hiſpanorum ſententiam proteſtationi ſuæ inſeri, ſed & per Archiepiſcopum ſuum Bituricenſem publicè legi permiſit. Quæ omnia hìc annotare placuit, vt videat D. Maimbourg, quàm longè à vero aberret, dum Decreta ſeſſionis quintæ tamquam Concilij Generalis ſtatuta ab omnibus accipienda eſſe voluit. Si enim fatentibus in Conſtantienſi Concilio Gallicanæ Eccleſiæ Epiſcopis, Natio Hiſpana non tenebatur Decreto ſeſſionis 14., quia eidem non adfuerat, multò minùs tenebitur Decretis ſeſſionis quintæ Sedes Apoſtolica, quæ non ſolùm ei non interfuit, ſed per tres ſeſe pro Pontificibus Romanis gerentes, ac per plures de Sacro Cardinalium Collegio Romanam Eccleſiam repræſentante manifeſtè contradixit.

Ne-

Neque reſponſum meretur, quod D. Maimbourg de Concilijs Generalibus, & ſignanter Tridentino objjcit, ac ſi eorum auctoritas in diſcrimen vocaretur vacillante auctoritate Conſtantienſis Synodi. Non ſufficit enim ad Concilium Vniuerſalẽ, quòd omnes Epiſcopi conuocati ſint, prout falsò ſupponit Auctor iſte; ſed requiritur, quòd legitimâ auctoritate conuocentur. De illâ namque ſi dubium exurgat, & variæ Catholicarum Regionum ſententiæ reperiantur, quibuſdam volentibus ab illegitimâ auctoritate Concilium conuocatum eſſe, ideòque ſeſe non teneri, nec velle ad illud accedere; ſicut magna Italiæ & Germaniæ pars cum Gregorio XII. & quatuor integra Scotiæ & Hiſpaniarum Regna, multæque aliæ Regiones cum Benedicto XIII. ſentiebant de Conſtantienſi Concilio: tunc auctoritas Concilij ex plurimorum Catholicorũ abſentiâ & contradictione infirmatur. Et hoc eſt, quod in Conſtantienſi Synodo à duabus obedientijs non ſemel, ſed ſæpiùs dictum fuit, & ab ipsâ obedientiâ Ioannis XXIII. negari non potuit, vtpotè quæ nouam Concilij conuocationem admiſit, & in litteris, qui-

quibus obedientiam Benedicti XIII. Conſtantiam euocauit, à Generalis Concilij titulo de communi quatuor Nationum ſuarum conſenſu abſtinuit. Quòd ſi Patres Conſtantienſes, ipſaque Natio Gallicana morem geſſerint Hiſpanis Conciliũ ante trium obedientiarum vnionem pro particulari, & non Generali tenentibus: quid quæſo nunc D. Maimbourg æquiparat hoc Concilium Vniuerſalibus, de quorum legitimâ conuocatione nemo Catholicorum vmquam dubitauit?

At, inquit D. Maimbourg, ſi non ſufficiat conuocari omnes ad Concilium, vt conuocati fuerunt Epiſcopi aliarum duarum obedientiarum per Ioannem XXIII. „Hæretici obijcere poſſent præcipuè contra Tridentinum Concilium, quòd ibi „neque adfuerint Epiſcopi Eccleſiæ Anglicanæ, neque Daniæ, neque Noruegiæ, neque Sueciæ, neque ex eâ Germaniæ parte, quæ ſequebatur Confeſſionem „Auguſtanam: (dicere poſſent) non adfuiſſe Græciæ Antiſtites, non Orientis, „neque Ægypti, qui omnes tempore Tridentini Concilij non magìs dici poterant de obedientiâ Pontificis Concilium „con-

D. Maimbourg pagina 258. Les Proteſtans auroient lieu de dire, particulierement du Concile de Trente, où l'on ne uit ni les Eueſques de l'Egliſe Anglicane, ni ceux de Dannemarc, de Norvege, de Svede, & de cette partie d'Allemagne, qui ſuiuoit la Confeſſion d'Auſbourg, ni ceux de la Grece, de l'Orient, & de l'Egypte, qui ne

reconnoiſſent point le Pape pour Chef de l'Egliſe, & ne ſont non plus de ſon obedience, que l'eſtoient au temps du Concile de Cõſtance ceux, qui tenoient pour Pierre de Lune, ou pour Ange Corario.

„conuocantis, quàm erant tempore Con„ſtantienſis Synodi illi, qui Petrum de Lu„nâ, vel Angelum Corarium ſequeban„tur." Ita ferè D. Maimbourg, qui hanc obiectionem meritò in ore hæreticorum poſuit, quod Scriptore Catholico indigna ſit, & ad eam vno verbo reſponderi poſſit: Concilio ſcilicet neceſſariam eſſe non poſſe præſentiam eorum, qui foris ſunt. Angliæ, Græciæ, Orientis, & Ægypti Regiones in ſchiſma, & hæreſim prolapſæ erant, vt illarum Epiſcopi æquè ac Germani Lutheranam hæreſim ſequentes extra Eccleſiam conſtituti eſſent. Potuit itaque ſine illis tota Eccleſia per Concilium Tridentinum repræſentari, prout re ipsâ repræſentata fuit. Sed aliud erat de Conſtantienſi Concilio, à quo Catholici ipſi ex rationibus ſuprà citatis aberant, quibus Concilio contradicentibus & repugnantibus, tota Eccleſia Conſtantiæ repræſentari non poterat. Accedit, Caput defuiſſe Eccleſiæ, ſine cuius conſenſu Decreta ſimilia, qualia ſeſſione quintâ publicata feruntur, robore ſuo carêre dicenda ſunt: ſicut Concilij ſecundi canon pro Primatus honore Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ tribuen-

buendo nullius roboris fuit, quia Sedes Apoſtolica, neque per Legatos Concilio adfuit, neque per ſe Canonem probare voluit.

Obijcit inſuper D. Maimbourg, ſi Decreta Conſtantienſis Concilij auctoritate ſuâ deſtituantur, quia abſuerunt duæ obedientiæ, & Pontifex non interfuit „ Sequerentur ex inde terribilia quædam: ac „ primò quidem, quòd condemnatio errorum Wicleffi & Hus foret inualida, „ quia condemnati fuerunt ſeſſione decimâ quintâ ante vnionem reliquarum „ duarum obedientiarum, & cùm nondum „ Pontifex Concilio adeſſet. Secundò, quòd „ deteſtabilis illa propoſitio Ioannis Petit, „ quæ cuilibet vaſallo permittit, & imponit occidere tyrannum, quocumque modo poſſit, non eſſet legitimè condemnata hæreſeos. Et demùm, quòd ſententia „ condemnationis & depoſitionis Ioannis „ XXIII., quæ dudùm lata fuit ante vnionem duarum illarum obedientiarum, „ ſine vllâ auctoritate facta fuiſſet: „ Iuxtà illud Cardinalis Iuliani ad Eugenium IV.: *Nam ſi quis dixerit, Decreta illius Concilij non eſſe valida, neceſſe habet fateri*

D. Maimbourg pag. 260. Si l'on deuoit approuver ce, qu'a dit Bellarmin avant M. Schelſtrate, que ces Decrets n'ont point d'authoritè à cauſe de cette abſéce, & qu'il n'y avoit point de Pape au Concile, quand on les fit, il s'enſuiuroit de là de terribles choſes. Premierement, que la condamnation des erreures de VViclef & de Iean Hus ſeroit nulle, parce que elles furent cōdamnèes en la ſeſſion 15. avant l'vnion du reſte des deux autres obediences, & quand il n'y avoit point encore de Pape au Concile. Secondement, que cette deteſtable propoſition de Iean Petit, que chaque particulier peut meritoirement, & doit tuer un tyran en quelque maniere, que ce ſoit, ne ſeroit

pas legitimement condamnée d'hereſie par la meſme raiſon. Et enfin, que la condamnation, & enſuite la depoſition de Iean XXIII., la quelle fut long tẽps avant l'union de ces deux obediences, auroit eſtè faite ſans aucun pouvoir legitime.

ri, priuationem olim Ioannis factam vigore illorum Decretorum non valuiſſe. Si illa non valent, nec etiam Papa Martini tenuit electio facta illo ſuperſtite. Si Martinus non fuit Papa, nec Sanctitas Veſtra eſt, quæ per Cardinales ab ipſo factos electa eſt.

Tria igitur obijcit Auctor iſte, ad quorum primum, vt ordine procedam, reſpondeo, illud non maioris momenti eſſe, quàm præcedentia, cùm facillima ſit illius ſolutio. Licèt enim propoſitiones Wicleffi & Hus à Concilio nondum Vniuerſali condemnatæ fuerint, à quatuor tamen Nationibus cum deliberatione debitâ, & de communi omnium Nationum, ac Cardinaliũ conſenſu condemnatę ſunt, quorum ſententiam Martinus V. auctoritate Apoſtolicâ confirmauit, prout ſpeciali conſtitutione *Ad perpetuam rei memoriam.* quæ incipit: *In eminentis Apoſtolicæ dignitatis ſpeculo*, omnibus manifeſtum fecit, vt infrà latiùs videbimus.

Quoad ſecundum de deteſtabili illâ Propoſitione Ioannis Petit, quę cuilibet vaſallo permittit & imponit occidere tyrannum; neſcio quâ ratione Auctor iſte inui-

diam

diam mihi creare voluerit: habet enim de Propoſitione illâ Concilium Conſtantienſe ſeſſione 15. *Præhabitâ deliberatione maturâ declarat, decernit, & definit huiuſmodi doctrinam erroneam eſſe in fide & in moribus, ipſamque tamquam hæreticam, ſcandaloſam, &c. reprobat & condemnat: declarat inſuper, decernit, & diffinit, quòd pertinaciter doctrinam hanc pernicioſiſſimam aſſerentes ſint hæretici, & tamquam tales iuxtà canonicas ſanctiones puniendi.* Cùm enim ex his conſtet, Concilium Conſtantienſe præhabitâ maturâ deliberatione de communi omnium Patrum conſenſu Propoſitionem illam tamquam erroneam in fide damnaſſe, ipſeque D. Maimbourg fateatur, hæreticam iudicatam fuiſſe; nonne videt, Decretum de illâ tamquam in materiâ fidei conciliariter factum à Martino V. probatum fuiſſe, adeòque auctoritate Pontificiâ confirmatũ iuxta principia à me poſita plenum robur obtinere? Quòd ſi dubitet hâc de re, legat ſeſſionem quadrageſimam quintam, in quâ Martinus V. profeſſus eſt, ſe *omnia & ſingula determinata, concluſa, & decreta in materijs fidei per Concilium*

Acta Concilij Cõſtantienſis ſeſſione 15.

Ex Actis ſeſſ. 45.

Conſtantienſe conciliariter tenere velle, *ipſaque ſic conciliariter facta ſe approbare, & ratificare, & non aliter, nec alio modo.*

Vanæ itaque ſunt terribiles ſequelæ & ſomniorum inſtar habendę, vtpotè quæ nec menti meæ conueniunt, nec ex principijs à me poſitis deduci poſſunt, ſicut nec deduci poteſt, quòd Ioannis XXIII. depoſitio, aut Martini V. electio in dubium reuocandę ſint, prout D. Maimbourg pro tertiâ terribili ſequelâ ſententiæ meæ opponit. Supponit namque Auctor iſte, me voluiſſe in Diſſertatione Antuerpiæ editâ, quòd ſolùm confirmata fuerint Synodi Conſtantienſis Decreta contra Ioannem Wicleff, & Hus in materiâ fidei conciliariter ſtatuta, vnde cap. 24. mihi obijcit: „Quid erit igitur de alijs Decretis, quæ facta ſunt pro extirpatione ſchiſmatis, & reformatione Eccleſiæ? . . . „Dicat mihi, An hæc Decreta approbata ſint, nec ne? Si approbata non ſunt, debet iuxtà ſua principia admittere, quòd „depoſitio & condemnatio Ioannis XXIII. „ſit nulla, & quidquid eam ſubſecutum „eſt, ſubſiſtere nequeat. . . . Si approbata ſunt, dubitari non poteſt, quin etiam „con-

D. Maimbourg pag. 266. Que deviendront donc les autres Decrets, qu'on a faits pour l'extirpation du ſchiſme, & pour la reformation de l'Egliſe? . . Qu'il me diſe, ſi ces Decrets ſont approuvez, ou s'il ne le ſont pas. S'il ne le ſont pas, il faut donc ſelon ſes principes, qu'il avoüe, que la depoſition &

„confirmata ſint Decreta ſeſſionis quartæ „& quintæ, quandoquidem præcipuè pro „extirpatione ſchiſmatis facta ſint.„ En obiectionem, quæ huic falſæ ſuppoſitioni innititur, quòd ego dixerim, nulla alia Decreta Conſtantienſis Concilij confirmata fuiſſe, quàm illa contra Ioannem Hus, & Wicleff edita. Vbinam enim ego id ſcripſi in Diſſertatione Antuerpienſi? Quibus verbis id aſſerui? Legat D. Maimbourg, & peruoluat Diſſertationem meam Antuerpiæ editam, & inueniet, me quidem admiſiſſe, quòd Martinus V. ſeſſione quadrageſimâ quintâ ex Decretis in materiâ fidei Conſtantiæ editis ſolùm illa auctoritate Apoſtolicâ confirmauit, quæ conciliariter facta erant, non verò negaſſe, omnia alia Decreta confirmatione caruiſſe. Licèt enim vi confirmationis explicitæ, quam Martinus V. ſeſſione 45. fecit, ſolùm confirmata ſint Decreta, quæ in materiâ fidei conciliariter ſtatuta fuerant, aliunde tamen conſtare poteſt de ſpeciali approbatione, vel acceptatione aliorum Decretorum Conſtantienſium, ſicut ſpecialiter conſtat de tribus Decretis, de quibus ex libro primo de diuerſis formis an-

condamnation de Iean XXIII. eſt nulle, que tout ce, que s'en eſt enſuiui, ne peut tenir. . . . Que s'il ſont approuvez, il' eſt indubitable, que ceux de la quatrième & de la cinquième ſeſſion le ſont auſſi, puis qu'on les a faits principalement pour l'extinctiõ du ſchiſme.

no primo Pontificatus Martini notatum, eſt in Manuſcripto Codice 6951. Bibliothecæ Vaticanæ, *Ad perpetuam rei memoriam. Confirmat quædam Decreta Concilij Conſtantienſis, videlicet primum circà honores, loca, prærogatiuas, & excellentias ab antiquo debita & conſueta ſingulis Regibus & Principibus orthodoxis, ac eorum Ambaſſiatoribus, & Nuncijs tam in præſentiâ Summi Pontificis, quàm alibi, &c. quòd cuique ſuum ius remaneat integrum &c. Secundum, circà annullationem & caſſationem priuationum & pœnarum à certâ die per Benedictum XIII. in ſuâ obedientiâ nuncupatum factarum, promulgatarum, fulminatarum, &c. ex quâcumque causâ contra quaſcumque perſonas, &c. prouiſionum, promotionum, & tranſlationum Eccleſiarum, &c. & generalium omnium conceſſionum, beneficiorum, dignitatum, &c. gratiarum, diſpenſationum, Matrimoniorum, beneficiorum, &c. Tertium, circà repræſentandas & habendas voces Prælatorum, & aliorum abſentium in Concilio per Reges Aragonum, Legionis, Caſtellæ, Nauarræ, Portugalliæ, eorumque Ambaſſiatores, & Nuncios com-*

Codex Manuſcriptus Bibliothecæ Vaticanæ.

putandos in Natione Hiſpanicâ, &c. iuxtà Capitula Narbonæ concordata &c. Datum Gebennis 4. Kal. Iulij Anno primo.

Sunt itaque Conſtitutiones quædam Conſtantienſis Synodi, quas Martinus V. poſt illius finem ſpecialiter confirmauit. Sunt & aliæ, quas durante Concilio particulari Bullâ probauit, vt cuique Concilij Acta peruoluenti conſtabit. Sunt demùm & alia, quæ tres obedientiæ, & Martinus Quintus, ac tota Eccleſia ipſomet facto acceptarunt, ſicut Ioannis XXIII. depoſitionem, quæ locum habere potuit, quamuìs Decreta ſeſſionis quartę & quintę in ſenſu Baſilëenſium intellecta robore caruerint. Ad hoc enim vt depoſitio Ioannis XXIII. ſubſiſtat, non requiritur, quòd Concilium ſuprà vnicum indubitatum Pontificem auctoritatem habeat, ſed ſufficit, quòd tempore ſchiſmatis illam obtineat: Ioannes enim tempore inueterati ſchiſmatis viuebat, quo tres ſimul de Papatu contendebant, de quibus, vt nunc communiter admittitur, Concilium ſententiam ferre poterat.

Quamuìs autem ad deponendum Ioannem XXIII. ſupradicta auctoritas Conci-

cilio ſufficiat,ita vt Martini electio ex hoc capite in dubium reuocari nequeat, tamen ipſius etiam Ioannis XXIII. conſenſus acceſſit, & vt teſtatur Leonardus Aretinus in Commentario rerum ſuo tempore in Italiâ geſtarũ, bis de Pontificatu ceſſit, ſemel Cellæ, antequam deponeretur, & ſemel Florentiæ, poſtquam depoſitus erat, & in eius locum Martinus V. electus fuerat. Quòd enim D. Maimbourg ex Aretino obijcit, Ioannẽ vltimâ vice de Pontificatu ceſſiſſe, quia cognouerat, ſe aliàs iuſſu Martini Mantuæ perpetuo carcere includendum, ex verbis ipſius Aretini refutari poteſt, qui expreſsè teſtatur, Ioannem eo Martini conſilio cognito, antèquam Mantuam veniret, aufugiſſe, & in Ligures abijſſe. Et ibi *cùm eſſet liber, & ſui iuris, ſiuè conſcientiâ ductus, ſiuè quòd deſperabat aliquid proficere poſſe, ſponte ſuâ Florentiam venit: & ſeſe pedibus Martini ſubijciens, eum, vt Pontificem verum, & vnicum recognouit. In aduentu eius tota Ciuitas obuiam profuſa multis lacrymis & incredibili commiſeratione reſpexit hominem de tantæ dignitatis faſtigio in tantas calamitates prolapſum. Ipſe*

Leonardus Aretinus in hiſtoria ſui temporis.

quo-

quoque miſerabili propè habitu incedebat. His omnibus commiſeratio populi augebatur. Suſceptus à Martino tandem interceſſione Ciuitatis primus Cardinalis efficitur, nec annum integrum ſuperſtes è vitâ migrauit.

Hæc ibi Aretinus, ex quibus D. Maimbourg diſcere potuit, Ioannem non metu perpetui carceris, quando à militibus Mantuam ducebatur, ſed cùm manibus militum elapſus erat, & in Liguribus liber ac ſui iuris exiſtebat, nihilque ſibi timere debebat, ſponte ſuâ Florentiam veniſſe, pedibuſque Martini ſeſe ſubijciendo, eum vt verum & vnicum Pontificem agnouiſſe. Quod idem Aretinus Martino V. de Ciuitate Florentinâ conquerenti his verbis ſeſe dixiſſe teſtatur: *Ioannes Pontifex, de cuius depoſitione propter vim adhibitam multi dubitabant, & ſcrupulus quidam relinquebatur in mentibus, ſecuritate atque fiduciâ huius loci Florentiam venit, tibique ſe ſponte ſuâ ſubiecit, ac Dominum & Pontificem veriſſimum recognouit, quo facto omnis eſt penitùs ſcrupulus, ambiguitaſque ſublata, neque enim de vi vllâ adhibitâ ſollicitus eſſe quiſ-*

quiſquam poteſt, cùm ipſius voluntaria in loco ſibi tutiſſimo ſit conſpecta ſubiectio. Quæ Aretini verba adeò Martino placuêre, vt Florentinæ Ciuitati pro hâc etiam Ioannis ceſſione ibidem factâ, ſe plurimùm obſtringi confeſſus ſit. Vnde manifeſtum fit, ſi quis ſcrupulus de legitimâ electione Martini ſupereſſet in nonnullorum animis, hunc ſublatum fuiſſe per ſpontaneã Ioannis renuntiationem, quamuìs reuera hâc renuntiatione Martini electio minimè indiguerit, vtpotè quæ legitimè à tribus obedientijs facta, & conſenſu totius Orbis Catholici confirmata fuit. Quæ omnia de Decretis ſeſſionis quintæ dici non poſſe, & hâc Diſſertatione oſtendimus, & ſequenti adhùc pluribus demonſtrabimus.

DIS-

DISSERTATIO III.

De Senſu, Vſu, et Confirmatione Decretorum Conſtantienſium Seſſione Quinta Editorum.

EGERAM ſecundo Capite Diſſertationis Antuerpienſis de Senſu, quo Patres Conſtantienſis Synodi poſt trium obedientiarum vnionem duo priora Decreta ſeſſionis quintæ ſuſceperant, & inquiſiueram Capite tertio, an Martinus V. à tribus obedientijs in Pontificem electus ea Sedis Apoſtolicæ auctoritate confirmauerit? Quamuìs autem D. Maimbourg hunc ordinem inuerterit, & quod priori loco à me tractatum erat, in poſteriorem reiecerit, placuit tamen Diſſertationis meæ ordinem retinere, & primò ipſorum Patrum Conſtantienſiũ mentem, tùm Martini V. iudicium inueſtigare, quod quatuor ſequentibus Capitibus faciemus. In primo itaque agemus de varijs opinionibus, quæ circà ſuperioritatem Concilij illis tempori-

ribus propugnatæ fuerunt, vt inde conſtet, quo ſenſu Decreta ſeſſionis quintæ ab vnâ obedientiâ conſtitui potuerint. Secundo de Patrum Conſtantienſium mente poſt trium obedientiarum vnionem, vt pateat, an communi omnium ſuffragio Decreta illa ſuſcepta, & de abſolutâ auctoritate Concilij ſupra Pontificem intellecta fuerint. Tertio demùm & Quarto de iudicio Martini V. à tribus obedientijs in Pontificem electi, vt manifeſtum fiat, an Decreta illa de ſuperioritate Concilij intellecta Sedis Apoſtolicæ auctoritate confirmata ſint?

CAPVT I.

De varijs opinionibus circà ſupremam Concilij Generalis auctoritatem tempore Conſtantienſis Synodi.

INTER varias opiniones, quæ temporibus Conſtantienſis Concilij de auctoritate Synodorum Generalium circumferebantur, vna erat à pluribus Doctoribus propugnata, quam Benedictus XIII. ſuſtinuit, Romanum ſcilicet Pontificem in nul-

nullo caſu ſubijci Concilij iudicio. Cùm enim à Cardinalibus anno 1408. ad Concilium Piſanum pro ſopiendo ſchiſmate euocaretur, *eorum operam deriſit*, inquit D. Antoninus Tomo 3. Chronicorum, titulo 22. paragrapho 3. dixitque: *Controuerſiam fore de iure Papatus inter ſe & Gregorium, & nihil ad eos ſpectare de re ipſâ*. Idem ſuſtinuit etiam poſt ſententiam Piſis contra ſe latam, aſſerens *Cardinales poteſtatem & auctoritatem conuocandi Generale Concilium à tempore Apoſtolorum ſolis Romanis Pontificibus reſeruatam* temerè vſurpaſſe, & *non conſiderantes, quòd inferior ſuperiorem non poteſt ſoluere, vel ligare, iuriſdictionem & poteſtatem iudicandi Sedem ipſam ſibi temeritate ſacrilegâ vendicaſſe*. Ita Benedictus in Conuentu Barcinonenſi, cuius ſententiam propugnaſſe plures Viros doctos, notat Odoricus Raynaldus ad annum 1409. vbi ex Manuſcriptis Codicibus adfert, hanc eorum concluſionem pluribus rationibus, & antiquorum auctoritatibus comprobatam: *Quòd propter nullum crimen Papa poteſt deponi à Papatu per aliquem purum hominem, vel per aliquos alios homi-*

D. Antoninus tomo 3. Chronic. tit. 22. §. 3.

Benedictus XIII. in Conuentu Barcinonenſi apud Odoricum Raynal. ad annum 1409.

Anonymus in Tractatu apud Odor. Raynaldũ.

mi-

mines mundi, ſiuè ſint Cardinales, ſiuè Archiepiſcopi, ſiuè Primates, ſiuè Patriarchæ, nec etiam à Concilio Generali, imò nec à totâ Eccleſiâ Vniuerſali. De quâ ſententiâ intelligendus videtur Ioannes Gerſonius libro de poteſtate Eccleſiaſticâ, Conſideratione 12. dùm ſcripſit: *Fallor, ſi non ante celebrationem huius Sacroſanctæ Conſtantienſis Synodi ſic occupauerat mentes plurimorum litteralium magìs, quàm litteratorum iſta traditio, vt oppoſitorum dogmatiZator fuiſſet de hæreticâ prauitate vel notatus, vel damnatus.*

Ioannes Gerſonius lib. de poteſtate Eccleſiæ.

Secunda ſententia fuit, Pontificem etiam tempore ſchiſmatis viuentem non poſſe deponi, niſi ob crimen hæreſis, quam ipſum Piſanum Concilium ſequi voluit in deponendis Benedicto XIII. & Gregorio XII. hos enim nequidem vt dubios Pontifices depoſuiſſet, niſi hæreſeos crimini obnoxios, & contra Articulum Fidei de vnitate Eccleſię ambos pugnaſſe exiſtimaſſet, vt latè probauimus ex Actis editis ipſius Concilij, quibus in huius veritatis confirmationem alia addi poſſunt hucuſque inedita. Acta enim à Notarijs ipſius Synodi conſcripta, & hactenùs inedita referunt,

runt, omnes Magiſtros in Theologiâ tam Epiſcopos, quàm Abbates & Generales Ordinum Mendicantium anno 1419. die 28. Menſis Maij ad requiſitionem Sacri Cardinalium Collegij congregatos fuiſſe in Sacriſtiâ Conuentus Fratrum Minorum de Piſis, vt deliberarent de his duobus articulis: Primò, *An duo de Papatu contendentes eſſent ſchiſmatici & hæretici reputandi? ſecundò, dato quòd ſic, vtrum ſub titulo hæreſis ſint ab Vniuerſali Eccleſiâ & Papatus regimine eijciendi?* Additurque in Actis: *Ad has quæſtiones habitâ pluriès ad inuicem maturâ deliberatione, concorditer & vnanimiter* reſponſum fuiſſe, prædictos contendentes hæreticos cenſeri, & vt tales per ſententiam Concilij declarari, ac Pontificatu eijci poſſe, prout eiectos fuiſſe, ex ſententiâ ipſius Synodi oſtendimus ſuprà. Atque hęc eſt ſententia, quam adeò veram putauit Ioannes XXIII., vt dùm aliquis initio Conſtantienſis Concilij per cedulam publicaſſet, eum inuitum cogi poſſe ad cedendũ de Papatu, in aliâ cedulâ quæſtionem proponi fecerit: *Si verus & canonicus Papa non ſuſpectus de hæreſi poſſit ab aliquo compelli,* vel

Acta Piſani Concilij à Notarijs ipſius conſcripta, & in duobus Codicibus Manuſcriptis extantia.

Cedula ex parte Ioannis XXIII. initio Conſtantienſis Concilij publicata, & per

Labbeum in Appendice eius edita.

vel arctari? Et rurſus in aliâ reſponderi curauerit: *Quòd hoc eſſet manus ponere in Chriſtum Domini*, & qui contrarium publicauerat, *ſi fuiſſet bonus Chriſtianus, & intellexiſſet Scripturas, nullatenùs talia pijs auribus ſuggeſſiſſet.* Hæc itaque eſt ſecunda ſententia de auctoritate Concilij illis temporibus vbiq; ferè recepta, quod ob ſolam hæreſim de Romano Pontifice iudicare liceret.

Tertia ſententia fuit Petri de Alliaco Cardinalis Cameracenſis, qui tenuit, Pontificem tempore ſchiſmatis pro pace Eccleſiæ celeriùs procurandâ ab Vniuerſali Eccleſiâ ſeù Concilio Generali compelli poſſe. Extat eius ſententia in cedulâ quâdam initio Conſtantienſis Concilij publicatâ, in quâ reperiuntur variæ Concluſiones de facto Ioannis XXIII., quibus ſtatuit, Ioannem attentâ perplexitate ſchiſmatis cedere debuiſſe, & nolentem potuiſſe tamquam ſchiſmaticum, & de fautoria ſchiſmaticæ prauitatis ſuſpectum legitimè condemnari: illos autem, qui in caſu prædicto Papam tamquam hæreticum vel ſchiſmaticum condemnarent, & dictam condemnationem iuſtam & cano-

no-

nonicam aſſererent; nullatenùs hæreticos cenſeri poſſe. Ex quâ cedulâ lucem accipit eiuſdem Cardinalis Cameracenſis ſententia, quam in eodem Concilio Conſtantienſi anno 1417. expoſuit 3. Parte Tractatus de auctoritate Eccleſiæ, cap. 2. vbi aſſerit, Papam ſubijci Concilij Generalis iudicio in caſu, quo accuſatur de crimine hæreſis propriæ dictæ, *& quibuſdam alijs, quæ poſſent quodammodò ad hæreſim reduci*.

Petrus de Alliaco Cardin. Camerac. Tractatu de auctoritate Eccleſiæ cap. 2.

Quarta autem ſententia fuit de auctoritate Concilij tempore ſchiſmatis, quòd nimirùm illa ſeſe non extenderet ad reformationem Eccleſiæ, vtpotè quam non niſi poſt electionem Pontificis eodem conſentiente fieri poſſe ſuſtinuit Franciſcus Zabarella Cardinalis Florentinus omnium Canoniſtarum ſui temporis facilè Princeps. Adduximus eius ſententiam Diſſertatione 1. præſentis Tractatus, in quâ ex Geſtis Manuſcriptis Conſtantienſis Synodi oſtendimus, eum cum ſuis ſequacibus noluiſſe admittere articulum de reformatione, *quia non erat verus de Iure*, ideòque omiſſum fuiſſe in Decreto primo ſeſſionis quartæ, in quâ ſeſſione prętermiſſum quo-

Franciſcus Zabarella in Geſtis Conſtant. Concilij hactenùs ineditis.

què fuit Decretum ſecundum de auctoritate Concilij coactiuâ ſupra Pontificem, vt abundè ſuprà monſtrauimus.

Quinta ſententia fuit plurium Patrum Conſtantienſium, quòd nimirùm Concilium Generalem Eccleſiam repræſentans habeat auctoritatem tempore ſchiſmatis, non ſolùm ad procurandam vnionem deponendo illos, qui de Papatu contendunt, & ad iudicandum de materiâ fidei damnando eos, qui contra illam hęreſes ſeminant, ſed etiam ad reformandam Eccleſiam circa ea, in quibus tam membra quàm Caput ipſum reformatione indigent: & hoc modo Decretum primum ſeſſionis quintæ interpretatur Cardinalis de Turrecremata lib. 2. de Eccleſiâ, cap. 99. aſſerens de ſolâ Conſtantienſi Synodo actum fuiſſe. *Falſum eſt*, inquit Turrecremata, *quòd Conſtantiæ declaratum ſit ſiuè decretum de Vniuerſali Synodo in Spiritu Sancto legitimè congregatâ; planè numquam in Conſtantiâ ſub hâc formâ legitur Decretum factum: declaratio autem facta per Patres illos ſub obedientiâ Ioannis XXIII. congregata emanauit ſub hâc formâ: Hæc ſancta Synodus Conſtantienſis Generale Conci-*

Card. Turrecremata lib. 2. de Eccleſia, cap. 99.

ci-

cilium faciens pro extirpatione præſentis ſchiſmatis, & vnione ac reformatione Eccleſiæ Dei in Capite, & in membris fienda declarat, quòd ipſa in Spiritu Sancto legitimè congregata &c. Quibus verbis indicat, de ſolo Conſtantienſi Concilio tempore ſchiſmatis celebrato intelligendum eſſe primum Decretum, de quo omninò tempore etiam plures intelligunt Decretum ſecundum, quòd *Quicumque, cuiuſcumque dignitatis, etiamſi Papalis, qui mandatis aut præceptis huius Sacræ Synodi, & cuiuſcumque alterius Concilij Generalis legitimè congregati ſuper præmiſſis, ſeù ad ea ſpectantibus factis, vel faciendis obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubijciatur, & debitè puniatur, &c.* Ad nihil enim aliud huic Decreto adiuncta putant hæc verba: *Super præmiſſis, ſeù ad ea ſpectantibus factis vel faciendis*, niſi vt ſecundum Decretum referretur ad primum de ſolo ſchiſmatis tempore ſtatutum, quo Patres Conſtantienſes contra opinionem Cardinalis Zabarella & ſequacium declarabant, Concilium Generale non ſolùm fidei & ſchiſmatis cauſas decidere, ſed & Eccleſiam in

Decretum ſecundum ſeſſionis 5.

Capite & membris reformare poſſe, & cunctos etiam de Papatu contendentes Decretis deſuper faciendis obedire debere, ita vt obedire nolentes deponi poſſint, & legitimæ pœnitentiæ ſubijci.

Sexta demùm ſententia fuit Ioannis Gerſonij, qui tenuit Concilium Generale eſſe ſupra Pontificem, adeòq; Pontificem Concilij Generalis iudicio ſubijci, quo ſenſu interpretatus eſt Decreta Conſtantienſis Concilij, quæ non de ſolis Synodis tempore ſchiſmatis, ſed de Oecumenicis Concilijs quocumque tandem tempore celebratis intelligenda eſſe putauit. Patet id ex duobus ſermonibus eiuſdem Gerſonij, quorum vnum Dominicâ ſecundâ poſt Epiphaniam, & alterũ pro Viaggio Regis Romanorum coram Patribus ipſius Conſtantienſis Concilij habuit, in quibus Decreta ſeſſionis quintæ interpretatus eſt de ſuperioritate Concilij, quæ interpretatio adeò firmiter menti eius inhæſerat, vt à Romano Pontifice ad Concilium Generale appellari poſſe, nullatenùs dubitaret: vnde Martino V. Decreta ſeſſionis quintæ illo ſenſu minimè recipienti, & appellationem à Pontifice ad Concilium Vniuerſale

re-

reprobanti, verumq; & indubitatum Pontificem pro ſupremo in cauſis fidei Iudice habendum eſſe ſtatuenti, oppoſuit Gerſonius Tractatum ſub hoc titulo: *An & quomodo appellare liceat*, in quo oſtendere conatur, declarationem Martini pugnare cum determinatione ſeſſionis quintę, *quæ*, inquit, *multipliciter facta eſt & practicata*. Reſpicit his verbis ad ea, quæ Conſtantiæ facta erant in cauſâ Ioannis XXIII. quem iuxta Decreta Conſtantienſia de ſuperioritate Concilij intellecta iudicatum, & depoſitum fuiſſe exiſtimabat: & illam Ioannis Gerſonij ſententiam pluribus propugnarunt Edmundus Richerius, Ioannes Launoius, & D. Maimbourg, quorum opinionem ſequenti Capite examinabimus.

Ioan. Gerſonius Tractatu, An, & quomodo appellare liceat?

CAPVT II.

De ſenſu, quo Patres Conſtantienſes ante & poſt trium obedientiarum vnionem Decreta ſeſſionis quintæ ſuſceperint?

QVAMVIS plures fuerint de auctoritate Concilij opiniones, ob quas ſeſſio-

ſione quartâ & quintâ motæ ſunt difficultates illæ, quas hucuſque ex Actis & Geſtis Conſtantienſis Concilij indicauimus, ſolam tamen opinionem ſextam Concilio placuiſſe, & multipliciter factam ac practicatam fuiſſe, voluit Ioannes Gerſonius, cuius ſententiam his verbis probandam ſuſcepit Edmundus Richerius lib. 2. Hiſtoriæ Conciliorum Generalium, capite 3.

Edmundus Richerius.

„De cauſâ Ioannis XXIII. ijſdem ſeſſionibus quartâ & quintâ Patres cauent, ne „Ioannes XXIII., quem pro vero & indubitato Pontifice agnoſcebant, totum „Concilium, vel partem Concilij, hoc eſt, „perſonas eidem Concilio adhærentes interturbet, vel aliò traducat ipſo inuito „Concilio, hocque eſt primum exemplum „praxeos Decretorum de Concilij auctoritate ſupra Papam . . die 2. Maij in 7. „actione formulæ citationis contra Ioannem Papam Concilio parêre detrectantem, & contra Hieronymum Pragenſem „inſtruuntur. Hocq; eſt ſecundum exemplum praxeos Decretorũ quartę & quintę ſeſſionis contra Pontificem . . decimâ „actione, die 14. Maij pronũtiatur ſententia „ſuſpenſionis ab Officio Papali contra Io-

„an-

„annem XXIII., hocq; eſt tertium exemplum praxeos auctoritatis Concilij ſupra „Papam . . . duodecimâ ſeſſione, die 29. „Maij Patres ſententiam diffinitiuam aduerſùs Ioannem pronuntiant, illumque „velut notorium Simoniacum, bonorum „Eccleſiæ dilapidatorem, & notoriè ſcandalizantem Eccleſiam ſuis deteſtabilibus „atque inhoneſtis vitâ, moribus &c. condemnant, & à Papatu atque omni eius „adminiſtratione ſpirituali & temporali „priuant atque deponunt . . . Et hìc occurrit quartum monimentum praxeos „auctoritatis Concilij ſupra Papam.„

Hucuſque Richerius clarè ſupponens, Ioannem XXIII. à Patribus Conſtantienſis Concilij pro certo, & indubitato Pontifice habitum fuiſſe, & conſequenter quidquid Conſtantienſe Concilium contra eum ſtatuit, pro ſuperioritate Concilij facere. Idem omninò ſupponit Ioannes Launoius in varijs litteris de Conſtantienſi Concilio ſcriptis, cuius veſtigia hìc, vt vbique in Tractatu ſuo hiſtorico ſolet, inſecutus eſt D. Maimbourg, qui finit caput 23. non ſemel, ſed ſæpiùs affirmans, quòd Concilium Conſtantienſe numquam dubitarit,

quin

quin Ioannes XXIII. eſſet verus Papa: Verùm quamuìs Concilium Conſtantienſe initio Ioannem pro Pontifice habuerit, non tamen pro certo & indubitato ab alijs obedientijs haberi debuiſſe, iudicauit: ſi enim Concilium Conſtantienſe Ioannem XXIII. pro certo & indubitato Pontifice ab omnibus habendũ eſſe duxiſſet, cur igitur quibuſdam eum pro tali initio eiuſdem Concilij habentibus, & à nemine iudicari poſſe aſſerentibus, Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracenſis in cedulâ per Philippum Labbeum ex Manuſcripto Codice Capranicenſi in Appendice Conſtantienſis Concilij publicatâ oppoſuit hanc primam concluſionem? *Licèt Concilium Piſanum fuerit legitimè ac canonicè conuocatum, ritè & canonicè celebratum, & duo olim contendentes de Papatu iuſtè & canonicè condemnati, & electio Domini Alexandri V. fuerit canonicè & ritè facta, & dicta electio ab illis, qui fuerunt in dicto Concilio, fuerit legitimè, & canonicè accepta, prout hac omnia tenet obedientia Domini noſtri Papæ Ioannis XXIII. tamen duæ obedientiæ duorum contendentium probabiliter tenent contrarium, in quâ opinionum di-*

Petrus de Alliaco Card. Camerac. in cedula initio Conſtant. Concilij publicata, & per Philippum Labbeum in Appendice ad idem Concilium edita.

uer-

uerſâ, & aduerſâ veritate non ſunt minores difficultates Iuris & Facti, quàm ante Concilium Piſanum erat de Iuſtitiâ duorum contendentium.

Secundò, ſi nemo dubitare potuit de Ioanne XXIII. quin certus & indubitatus Papa exiſteret, cur igitur Ioannes Cardinalis Raguſinus arma Gregorij XII., cuius Nuntius exiſtebat, in valuis Monaſterij Auguſtinianorum Conſtantiæ publicè appendiſſet, & Ioannis XXIII. ſequacibus ea de nocte auferentibus, magna illa animorum contentio exorta fuiſſet inter Patres Concilij, de quâ teſtatur Regeſtum Actorum Conſtantienſium in duobus Codicibus Manuſcriptis: *Cùmque ſuper affixione & appenſione dictorum armorum, & deletione, ſiuè amotione eorumdem inter congregatos in Concilio oriretur diſceptatio, mandatum eſt, Prælatos, & alios, qui ad Concilium venerunt, congregari ſuper hoc. Die Martis 20. Menſis Nouembris congregatis Reuerendiſſimis in Chriſto Patribus Dominis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus numero decem & octo, Prælatis, Procuratoribus Dominorum, Magiſtris, & alijs in Sacro Conſtantienſi*

Regeſtum Actorũ Conſtant. ex 2. Manuſcriptis Codicibus.

Concilio exiſtentibus in Aulâ inferiori Palatij Apoſtolici pro causâ ſupradictâ, cùm ſuper ea per vnum ex Dominis Cardinalibus propoſitio fieret, variæ inter eos fuêre ſententiæ: alijs aſſerentibus arma prædicta appendi ſiuè affigi potuiſſe, & per conſequens, ex quo deleta fuerant, reponi debere; & huius ſententiæ fuerunt Dominus Feltrenſis & Concordienſis Epiſcopi, & plures alij: alijs verò aſſerentibus ſupradicta arma in locis prædictis in obedientiâ Domini noſtri Ioannis Papæ XXIII. conſtitutis appendi ſiuè affigi non potuiſſe, & per conſequens, ex quo deleta fuerant, reponi non debere; & huius ſententiæ fuit D. Patriarcha Gradenſis, & alij, qui plures quàm alteri ſententiæ adhæſerunt, dicentes, niſi Angelus Corrario perſonaliter veniat, ipſius arma ibidem non debere depingi. Verum quidem eſt, nihil tunc à Concilio deſuper ſtatutum fuiſſe: notanda tamen ſunt verba Regeſti Conſtantienſis Concilij, ex quibus habemus, nullatenùs dubitatum fuiſſe, quin Gregorius XII. arma Pontificia affigere potuiſſet in valuis Monaſterij, ſi perſonaliter Conſtantiam veniſſet, & quæſtionem ſolummodo fuiſſe de Ioanne:

eius

eius Nuntio. Quinimò plures Patres arma Gregorij rectè à Nuntio appendi potuiſſe ſuſtinuerunt. Vnde manifeſtò conſtat, Ioannem XXIII. pro certo & indubitato Pontifice ab omnibus agnoſci non debuiſſe, cùm Gregorij arma Pontificia in Diœceſi & præſentiâ Ioannis XXIII. à Gregorio vel eius Nuntio iuxta communem ſententiam appendi potuerint.

Tertiò, ſi numquam Conſtantiæ dubitatum fuit de Pontificatu Ioannis XXIII. cur igitur Ioanni Dominici Nuntio Gregorij ſupradicto publicũ ingreſſum cum pileo rubeo facere cupienti in plenâ Congregatione anno 1415. die 4. Ianuarij coram Ioanne XXIII. aliqui licentiam illam concedendam eſſe aſſeruerunt? Alij quidem *aſſeruerunt*, inquit Regeſtũ Conſtantienſe, *licentiam Fratri Ioanni Dominici concedendam, cum capello rubeo ingrediendi; & huius ſententiæ fuit Reuerendiſſimus D.D. Petrus tituli S. Chryſogoni Presbyter Cardinalis Cameracenſis, & quidam alij*. Et cur igitur ſententia iſta Petri de Alliaco præualuit, & iuxta eam dicto Ioanni permiſsũ fuit tamquam Cardinali cum pileo rubro Conſtantiam *Regeſtum ſuprà.*

ingredi? *Die namque Martis 22. Menſis Ianuarij*, teſte Regeſto, *D. Frater Ioannes Dominici tituli S. Marci Presbyter Cardinalis Raguſinus vt Cardinalis, & cum capello rubeo medius inter Dominos Ducem Bauariæ, & Ducem Bigæ, ac D. Ioannes electus Conſtantinopolitanus in habitu Prælati cum capello nigro ſic in obedientiâ Gregorij nominati, ſequentibus eos Dominis Wormacienſi, Spirenſi, & Werdenſi Epiſcopis in obedientiâ dicti Gregorij perſiſtentes, qui omnes prædictis Legatis dicti Gregorij extra Conſtantiam obuiauerunt, Ciuitatem Conſtantiæ ſunt ingreſſi, in Conuentuque Eremitarum S. Auguſtini, qui pro habitatione Gregorij & ſuorum aſſignatus fuerat, collocati ſunt.* Ita Regeſtum de Ioanne Dominico, quem Gregorius XII. primò Archiepiſcopũ Raguſinum, poſteà an. 1408. 2. Iunij Cardinalem creauerat, in quo gradu numquam receptus fuit à Piſano Concilio, vel ab electo ibidem Alexandro V. eiuſque Succeſſore Ioanne XXIII. qui vltimus omni conatu impedire tentabat, ne Conſtantiam tamquam Cardinalis ingrederetur; quod dùm Synodus Conſtantienſis permiſit,

ſit, indicauit, ſe Ioannem XXIII. pro vnico, certo, & indubitato Pontifice non habuiſſe. Ne autem, quæ de pileo rubro hucuſque dicta ſunt, D. Maimbourg in dubium reuocet, conſulere poteſt Codices ſuos Manuſcriptos Bibliothecæ Victorinæ, quos huic veritati teſtimonium perhibere reperiet.

Plura adiungi poſſent de mente Patrum Conſtantienſium, niſi de eâ ex Actis ſeſſionis decimæ quartæ clariùs conſtaret, quàm vt in dubium reuocari poſſet. Cùm enim Gregorius XII. ſeſe pro Pontifice gereret, & antequam de Pontificatu cederet, remotâ à Concilio Ioannis præſidentiâ nouam conuocationem Concilij fieri debere contenderet, non dixit Concilium, Gregorium pro Pſeudopontifice habendum eſſe, ſed quomodo ſi dubius Pontifex eſſet, & Concilij conuocatio ad ipſum ſpectare potuiſſet, Patres in publicâ ſeſſione *dictam conuocationem, auctorizationem, & confirmationem in quantum ad Gregorium pertinet, & attinet eis, admiſerunt*, & ceſſionem Pontificatus communi omnium conſenſu acceptarunt; vt manifeſtum ſit, eos Ioannem pro vnico & in- *Acta Conſtantienſis Concilij typis edita ſeſſ. 14.*

du-

dubitato Pontifice non habuiſſe, ſed potiùs pro dubio, quem licèt iuxtà ſententiam nunc communiter receptam Concilium Generale iudicare potuerit, tunc tamen Patres Conſtantienſes illo ſolo titulo iudicare auſi non ſunt, quòd plures tenerent ſententiam, quæ Pontificem etiam dubium à Concilio Generali ob ſolam hęreſis cauſam iudicari poſſe ſuſtinebat.

Neq; id negare poteſt D. Maimbourg, cùm ipſemet admiſerit ad finem cap. 23. Tractatus hiſtorici, pag. 264. „plures negare, quòd Concilium Vniuerſale poteſtatem habeat iudicandi de Pontifice, qualiſcumque ille ſit, niſi in causâ hæreſis. „ Hoc enim loco cùm Auctor iſte loquatur de dubio Pontifice, eum fateri neceſſe eſt, ſuſtinuiſſe plures Theologos vel Scriptores Eccleſiaſticos, quòd Concilium Generale nequidem dubium Pontificem iudicare poſſit. Illam ſententiam ego Diſſertatione 2. Patribus Concilij Piſani placuiſſe oſtendi: probaui namque ex Actis illius Concilij, non ſuffeciſſe Patribus, quòd ob dubia Facti & Iuris ignoraretur, quis ex duobus contendentibus pro vero Papâ habendus eſſet; ſed

D. Maimbourg pag. 264. Pluſieurs meſme nient, qu'il l'ait peut faire hors du cas d'hereſie, le proces à vn Pape quel qu'il ſoit.

ſed inſuper diſcuti feciſſe, an ſchiſmatis nutritores verique hæretici cenſeri deberent, vt eos illo titulo Papatu excidiſſe ſententiâ Synodicâ declararent. Veſtigia autem Patrum Piſanorum inſequi voluerunt Patres Conſtantienſis Concilij, de quibus referunt Geſta hucuſque inedita, quòd inter alios articulos accuſationis Ioannis XXIII. inſeruerint & illum, quòd fouiſſet, foueretque ſchiſma & hæreſim, vt ſic manifeſtum fieret, etiam plures iſtius ſententiæ fuiſſe in Conſtantienſi Concilio, quòd nequidem tempore ſchiſmatis de Papa dubio iudicari poſſet, niſi hæreſeos crimen accederet.

Additur quidem in Geſtis Conſtantienſis Concilij, quòd poſt lectionem ſupradicti articuli in publico Patrum congreſſu ſurrexerit Cardinalis Sancti Marci, & expreſsè monuerit: *Quòd attenderet Concilium, quod Procurator Concilij propoſuerat, vt in citatione proponebatur, crimen hæreſis, & fautorij ſchiſmatis, & alia quædam, de quibus non conſtabat.* Quòdque ex eâ Cardinalis admonitione articulus hæreſeos omiſſus fuerit in ſententiâ contra Ioannem XXIII. à Concilio Conſtan-

Geſta Conſtant. Concilij ex quatuor Manuſcriptis Codicibus.

ſtantienſi latâ : hoc tamen nihil facit ad probandam ſuperioritatem Concilij ſupra certum & indubitatum Pontificem. Cùm enim Concilium Ioannem pro indubitato & certo Pontifice non haberet, ipſeque de Papatu cum duobus alijs, vt ſuprà monſtrauimus, contenderet, eum tamen inuitum & reluctantem deponere auſum non fuit Conſtantienſe Concilium, ſed poſtquam à Cardinale S. Marci notatum fuerat, non conſtare de hæreſeos crimine, ſtatim *Rex* Romanorum, *Cardinales, & Deputati, pluresque alij tractauerunt materiam, quòd Papa conſentiret ſententiæ ſuæ depoſitionis, & ex abundanti renuntiaret.* Ita Geſta Conſtantienſis Concilij hucuſque inedita, in quibus adiungitur, *ordinatum* fuiſſe, quòd *Cardinales de Vrſinis, Cameracenſis, de Thalanco, Saluciarum, & Florentinus irent ad Papam*, ad perſuadendum ſupradicta, eoſq; iuiſſe, & Papam conſenſiſſe in formulâ cedulæ ſibi oblatæ, quâ ſeſe determinationi Concilij ſubijciebat, eiuſq; ſententiam ſeſe ratificaturum, comprobaturum, & acceptaturum promittebat. Neque ſatis fuit Concilio, quòd ante ſententiam Ioannes

Ex ijſdem quatuor Manuſcriptis Codicibus.

XXIII.

XXIII. prædicta promiſerat, ſeque de Papatu ceſſurum obtulerat, ſed & poſt ſententiam *Concilium miſit ad Papam* (inquiunt Geſta ſuprà laudata) *& Papa ſententiæ acquieuit, & ex abundanti renuntiauit in formà prædictæ cedulæ ſuprà ſcriptæ.*

Ex ijſdem Manuſcriptis Codicibus.

Et ex his videre poteſt D. Maimbourg, quid Patres Conſtantienſes poſt ſeſſionem quintam ſenſerint de poteſtate coactiuâ Concilij ſupra Pontificem. Si enim Papam dubium tempore ſchiſmatis deponere auſi non fuerint, niſi ipſo conſentiente, approbante, & de iure ſuo cedente, dicendine ſunt, vnicum, verum, & indubitatum Pontificem coactiuæ Synodorum poteſtati ſubijcere, & hoc ſenſu ſecundum ſeſſionis quintæ Decretum firmare voluiſſe? Affirmat quidem D. Maimbourg, qui capite 25. id probare conatur argumentis Baſilëenſium, quæ hic refutarem, niſi mentem Patrum Conſtantienſium ex ſolis ijs, quæ in Synodo ipſorum facta ſunt, inueſtigandam ſuſcepiſſem. Relictis itaq; argumentis Baſilëenſium, quibus Eugenius IV., pluresque illorum temporum Viri grauiſſimi reſponderunt, ad Concilium

X Con-

Conſtantienſe redeo, quod poſt trium obedientiarum vnionem numquam auſum fuit Decretum ſecundum ſeſſionis quintæ de vnico, vero, & indubitato Pontifice interpretari.

Vnum ex præcipuis fundamentis, quo hanc veritatem comprobaui, deſumptum erat ex Geſtis Conſtantienſis Concilij hucuſque ineditis, in quibus refertur, quòd poſt trium obedientiarum vnionem magna animorum contentio exorta fuerit de reformatione Eccleſię in Capite & in membris, Natione Germanicâ & Rege Romanorum volentibus eam fieri ante electionem vnius, veri, & indubitati Pontificis; reliquis verò Nationibus cum Sacro Cardinalium Collegio volentibus fieri poſt electionem eiuſdem. Additur in ijſdem Geſtis, Nationem Germanicam tandem conſenſum prębuiſſe de eligendo ante reformationem Pontifice, dummodò à Concilio expediretur *aſſecuratio & cautio per Decretum irritans, quòd poſt electionem Papæ fieret reformatio ante coronationem Papæ, & adminiſtrationem aliquam.* Cùmque ad hanc Nationis Germanicæ petitionem fuiſſent factæ diuerſæ formæ

Quatuor Manuſcripti Codices.

De-

Decreti, *eis finaliter reſponſum fuit, quòd Papa electus ligari non poteſt.* Ex quibus omnibus vltima prȩſertim verba notanda duxi, quòd ex illis non difficilè colligeretur, longè aliam tunc fuiſſe mentem Patrum Conſtantienſium de auctoritate veri & indubitati Pontificis, quam Orbi Catholico obtrudere conati ſunt nonnulli Baſilëenſium ſequaces. *Eadem Concilij Geſta.*

„Enimuerò, inquiebam, ſi Concilium „ſeorſim ſumptum ſit ſupra vnicum & „legitimum Pontificem, & de legitimo „Pontifice intelligenda ſint Decreta ſeſſio- „nis quintæ ſuperiùs allata, vt Baſilëen- „ſes voluerunt, cur quæſo Conciliũ Con- „ſtantienſe hæc Decreta in præſenti lo- „cum habere noluit? Cur non renoua- „uit, Pontificem obedire debere Concilij „Decretis, adeò vt, qui obedire contempſe- „rit, debitè puniatur? Cur his funda- „mentis innixum non iudicauit, electio- „nem Pontificis in caſu contumaciæ irri- „tandam? Nihil horum tentauit Conci- „lium, quia aliena fuerunt à mente Pa- „trum Conſtantienſium, vnde reſponſum „eſt: *Papa electus ligari non poteſt.* Quan- „do Decreta ſeſſionis quintæ ab vnâ obe- *In Diſſertatione mea cap. 2.*

„dientiâ edita fuerunt, tres erant de Pa-
„patu contendentes, & illa ad liberiùs
„obtinendam vnionem ſtatuta ſunt: quan-
„do verò agebatur poſt ſeſſionem trigeſi-
„mam octauam de Decreto irritante, ſer-
„mo erat de vnico, & indubitato Pontifi-
„ce, quem etiam ante coronationem li-
„gari non poſſe reſponſum eſt. Memo-
„riâ ſcilicet repetebant Patres Conſtan-
„tienſis Concilij illud antiquorũ effatum,
„quòd qui ſummam poteſtatem ligandi
„& ſoluendi à Chriſto Domino accepe-
„rat in Petro, ita alios iudicet, vt de illo
„nemo mortalium ſententiam ferat, ideò-
„que *Papa electus ligari non poſſit*. Hoc
„à Patribus Conſtantienſibus datum re-
„ſponſum, nemo in hunc vſque diem ty-
„pis edidit, & quia illud aliaque plura
„ignorauit Orbis Catholicus, opinio Ba-
„ſilëenſium apud nonnullos præualuit, ad
„quam euertendam vel hoc ſolum teſti-
„monium ſufficit.

Hæc cùm clarè mentem meam expri-
mant, intelligere tamen noluit D. Maim-
bourg, qui pag. 293. inquirit, quid velim
cum magno hoc myſterio, petitque, „An
„putem ex hoc reſponſo deduci, quòd
„cre-

D. Maimbourg pag. 293. Pretend il donc par là, que nous

„credendum ſit, Papam legitimè electum, „vt erat S. Sylueſter, non teneri ſubſcribere Decretis Concilij Oecumenici, ſicut „fuit Concilium Nicœnum? „ Tùmque adiungit: „ Nonne videt, quòd pro eruendo vero ſenſu horum verborum, illa referenda ſint ad quæſtionem, de quâ „agebatur: An nimirùm poneretur in „Decreto, quòd Papa proximè futurus teneretur reformare Eccleſiam ante ſuam „coronationem, & adminiſtrationem ali„quam, & deberet dari bona cautio, pro„ut Natio Germanica petebat? De qui„bus meritò reſponſum fuit, quòd Ponti„fex adſtringi non poterat ad rem tam in„dignam Maieſtate Papali, neque taliter „ligandus erat, vt ipſi auferretur poteſtas „gubernandi Eccleſiam, quam habet de „Iure Diuino ratione ſui Primatus eo ipſo „momento, quo canonicè electus eſt Pe„tri Succeſſor. „ Ita D. Maimbourg, qui de mente meâ dubitat, de quâ dubitandum non erat, & exemplum Concilij Nicœni obijcit, quod nihil omninò ad rem facere viſum mihi fuit.

Non agitur enim hòc loco de auctoritate directiuâ Conciliorum Generalium,

ſoions obligez de croire, qu'un Pape legitimement eleu, comme l'eſtoit Saint Sylveſter, n'eſt pas obligé de ſouſcrire aux Decrets d'un Concile Oecumenique, comme l'eſtoit celuy de Nicée? . . . Mais ne voit il pas, que pour avoir le veritable ſens de ces paroles, il les faut appliquer au ſuiet, dont il s'agiſſoit: ſçavoir, ſi l'on mettroit dans le Decret, que le Pape, qu'on alloit elire, ſeroit obligé de faire la reformation avant ſon couronnement, & meſme avant qu'il puſt avoir aucune part au gouvernement de l'Egliſe, & d'en donner bõne caution, comme la Nation Germanique le demandoit? Sur quoy l'on eut raiſon de dire, qu'on ne pouvoit obliger un Pape à une choſe ſi indigne de la Maieſté Pontificale, ni le lier tellemẽt, qu'on luy oſte le pouvoir, qu'il a de droit Diuin,

de gouverner l' Egliſe, en vertù de la Primautè, des le moment, qu'il eſt canoniquement eleù Succeſſeur de Saint Pierre.

an nimirùm Concilium, cui Pontifex per ſe vel per Legatos pręeſt, vt S. Sylueſter per Oſium Cordubenſem Epiſcopum, & Vitum, ac Vincentium. præfuit Nicœno, habeat auctoritatem ſtatuendi leges, illiſque, ſi ad bonum Eccleſiæ neceſſariæ ſint, non ſolùm in conſcientiâ ſubſcribere, ſed & eas exequi teneatur Summus Pontifex? Sed agitur de auctoritate coactiuâ Conciliorum Generalium, & quæritur, an illa Iudicium aſſumere poſſint ſupra verum & indubitatum Pontificem, & caſu quo reus iudicetur, ab ijs corrigi poſſit, & deponi? Hoc enim eſt, quod Concilijs Generalibus non competere ex hâc antiquorum regulâ indicaui: „Quòd qui ſummam poteſtatem ligandi & ſoluendi à „Chriſto Domino acceperat in Petro, ita „alios iudicet, vt de illo nemo mortalium „ſententiam ferat. „ Non agitur itaque hoc loco de poteſtate directiuâ, ſed coactiuâ, quam Natio Germanica ipſi Conſtantienſi Concilio ſupra futurum Pontificem tribuere volebat: non ſolùm enim petebant Germani, vt ederetur Decretum, quo futurus Pontifex reformare deberet Eccleſiam ante coronationem ſuam, & admi-

miniſtrationem aliquam, ſed etiam quòd à Concilio daretur cautio per Decretum irritans, quo Pontifex in caſu inobedientiæ Papatu priuaretur. Et de hoc vltimo præſertìm reſponſum fuiſſe indicaui, *quòd Papa electus ligari non poterat*. Cùm enim reſponſum hoc datum fuiſſe perhibeatur, poſtquam non vna forma Decreti, quâ Pontifex nouiter eligendus ad reformandam Eccleſiam teneretur ante adminiſtrationem aliquam, ſed plures formæ Decreti factæ eſſent, quibus Pontifex teneretur ſub pœnâ depoſitionis reformare Eccleſiam in Capite & in membris, nullum dubium eſſe poteſt, quin Patres Conſtantienſes ideò reſponderint, Papam electum ligari non poſſe, quia Decreto irritante, quod Natio Germanica per modum cautionis petierat, Romanum Pontificem poſt electionem ligari non poſſe iudicabant.

Neque obeſt, quòd hoc reſponſum datùm fuerit in particularibus Nationum congregationibus: quamuìs enim putet D. Maimbourg, prædicto Nationum reſponſo ſatisfieri poſſe, ſi dicatur inhęrendũ non eſſe ijs, quæ apud Nationes acta ſunt,

ſunt, ſed illis, quæ in ſeſſionibus conciliariter definita fuerunt: tali tamen reſponſione dicta mea potiùs confirmantur, quàm conuelluntur. Præterquàm enim quòd pleraque in ſeſſionibus publicis ſtatuta ex ijs, quæ in congregationibus ante acta ſunt, interpretationem accipiant, ſupradicta in Nationum congregationibus quoad Decretum irritans reſponſa ex ipſis Decretis, quæ in ſeſſionibus publicis conciliariter definita ſunt, confirmari poſſunt. Morem itaque D. Maimbourg geramus, & à particularibus Nationum congregationibus ad ſeſſionem quadrageſimam progrediamur.

Extat ſeſſione quadrageſimâ Conſtantienſis Concilij, Decretum à quinque Nationibus conciliariter editum his verbis: *Sacroſancta Generalis Synodus Conſtantienſis in Spiritu Sancto legitimè congregata, Vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ſtatuit & decreuit, quòd futurus Romanus Pontifex per Dei gratiam de proximo aſſumendus, cum hoc Sacro Concilio, vel deputandis per ſingulas Nationes, debeat reformare Eccleſiam in Capite & in membris, & Curiam Romanam ſecundùm æqui-*

Decretum Concilij Conſtantienſis de reformatione, ſeſſ. 40.

æquitatem & bonum regimen Eccleſiæ, antequam hoc Concilium diſſoluatur. Quòd hoc Decretum occaſione eorum, quæ geſta fuiſſe diximus, editum fuerit, adeò certum eſt, vt D. Maimbourg in Tractatu ſuo hiſtorico id negare nequiuerit: „ In „ Decreto, inquit, quod hâc de re conci„ liariter factum eſt ſeſſione quadrageſi„ mâ, Papa eo modo non ligatus fuit, quo „ Germani propoſuerant. „ In quibus verbis duo ſunt, quę Auctor iſte fatetur: Primum, quòd memoratum Decretum ſit illud ipſum, de quo ante ſeſſionem quadrageſimam à Natione Germanicâ actũ erat. Secundum, quòd Papa à Concilio eligendus, eo modo ligatus non fuit, quo Natio illa propoſuerat. Quod vltimum ex Decreti verbis patet, cùm in eo non reperiatur pęna depoſitionis, quam futuro Pontifici Eccleſiam reformare detrectanti Natio Germanica imponi volebat. Quòd ſi D. Maimbourg petat, cur hâc ſaltem in parte Patres Conſtantienſis Concilij non ſatisfecerint Nationi Germanicæ, & iuxtà ſecundum Decretum ſeſſionis quintæ de poteſtate coactiuâ Conciliorum non ſtatuerint, quòd Pontifex proximè eligendus

D. Maimbourg cap. 25. pagina 295. Dans le Decret, qui ſe fit après cela *Conciliariter* en la ſeſſion quarantième, on ne lia point de la ſorte le Pape, comme les Allemans l' avoient proposè.

deberet reformare Eccleſiam ante finem, Concilij, & caſu quo ſtatutum hâc de re implere contemneret, legitimæ pœnitentiæ ſubijceretur, & Pontificatu priuaretur, ſeù debitè puniretur? Nonne admittere debebit, quòd Decretũ ſeſſionis quintæ hìc locum non habere iudicarint Patres Conſtantienſes, quia agebatur de vnico, vero, & indubitato Pontifice, qui cogi non poterat, ideòq; ſeſſione quadrageſimâ Decretum ediderint ſine vllâ coactionis mentione ſuprà allatum?

Quòd autem hæc fuerit ſententia Patrum Conſtantienſium, ex pluribus alijs locis conſtat, ac prȩſertìm ex capitulo *Frequens* ſeſſione trigeſimâ nonâ, in quo pro veris & indubitatis Pontificibus Concilia Generalia ſtatuto tempore conuocare nolentibus nullam pœnam imponunt, nullam omninò mentionem coactionis faciunt, prout tamen faciunt in ſecundâ parte eiuſdem Decreti, quæ de ſchiſmatis tempore agit, in quâ circa Pontifices illo tempore viuentes pœnam etiam priuationis Papatus conſtituunt. Hȩc totidem ferè verbis in Diſſertatione meâ notaueram, quæ ex Actis ab ipſis Baſilëenſibus

com-

compilatis, & ex Conciliorum collectionibus vbique terrarum editis conſtant, ex quibus numquam probari poterit, quòd Patres Conſtantienſes poſt trium obedientiarum vnionem pro legitimo Pontifice extra tempus ſchiſmatis Eccleſiam gubernante pœnam aliquam ſtatuerint, quamuìs ad hoc non ſemel ſed pluriès incitati fuerint.

CAPVT III.

Quòd Decreta ſeſſionis quintæ de ſuperioritate Concilÿ intellecta à Martino V. confirmata non ſint.

QVO'D Martinus V. bis confirmauerit Decreta ſeſſionis quintæ, duobus in locis vrget D. Maimbourg, ac primò quidem capite 21. parùm poſt medium, ſecundò verò capite 24. circà initium, vbi ſcribit: „Iam oſtendi, quòd „Martinus V. bis ſolemniter approbauerit „Decreta. Semel, quando ſtatuit peti ab „illis, qui ab hæreſi conuertuntur, num „probent ſine exceptione omne illud, „quod probat Concilium, & num con-„dem-

D. Maimbourg cap. 24. p. 265. I'ay deja fait voir, que Martin V. les auoit ſolennellement approuvez deux fois: l'une en ordonnant, qu'on demande à ceux, qui reviénent de l'here-

„demnent omne illud, quod damnat? Et „rursùs ſeſſione vltimâ, vbi declarat, ſe „approbare, & inuiolabiliter obſeruare „velle omnia Decreta, quę in hoc Concilio „edita ſunt circà materiam fidei, &, ſicut „ſe exponit nouo vocabulo, *Conciliariter*.

Quæ Auctor iſte hoc loco obijcit de interrogandis ijs, qui ab hæreſi reuertuntur, capite 21. probat ex eo articulo: *Vtrùm credant, quòd illud, quod Sacrum Concilium Conſtantienſe Vniuerſalem Eccleſiam repræſentans approbauit & approbat in fauorem fidei, & ad ſalutem animarum, quod hoc eſt ab vniuerſis Chriſti fidelibus approbandum & tenendum: & quod condemnauit, & condemnat eſſe fidei vel bonis moribus contrarium, hoc ab eiſdem eſſe tenendum pro condemnato, credendum, & aſſerendum*. Verùm vbinam quęſo hìc habetur, quod dixit ſupra D. Maimbourg, ab hęreticis, qui reuertuntur ad Religionem Catholicam, petendũ eſſe, *Num probent ſine exceptione omne illud, quod probat Concilium*? Agitur ſupradicto articulo de ſtatutis Concilij in fauorem fidei ad ſalutem animarum, adeòque non de omnibus Decretis Conci-

ſie, s'ils n'approuvent pas ſans exception, tout ce, qu'aprone ce Concile, & s'ils ne condamnent pas tout ce, qu'il condamne: & l'autre en la derniere ſeſſion, où il declare, qu'il approuve & veut obſerver inviolablement tous ces Decrets, qu'on a faits dans ce Concile en matiere de foy, & comme il s'exprime par un noueau mot, *Conciliariter*.

cilij, multò minùs de Decretis ſeſſionis quintę, quę ad materiam fidei non ſpectant. Deinde etiamſi ſupponeremus tamquam ad fidem ſpectantia per vnam obedientiam deciſa fuiſſe, quæ de auctoritate Conciliorum ſeſſione quintâ ſtatuta ſunt, non ſequeretur, illa hoc articulo per Martinum confirmata fuiſſe. Non ſolùm enim dicitur, quæ Concilium *approbauit*, ſed additur, *& approbat*, vt conſtaret, non agi de omnibus Decretis quocumq; tempore editis, ſed de ſolis illis Decretis, quę poſt trium obedientiarum vnionem, ſiuè tunc, cùm hoc interrogatorium emanabat, à Concilio approbabantur, qualia non erant Decreta ſeſſionis quintæ in ſenſu Baſilëenſium, vtpotè quæ Concilium tunc non probaſſe conſtat.

Plura ſunt, quæ pro huius veritatis elucidatione ſuperiori capite adduximus; ſed contemnendum non eſt, quod ex capitulis reformationis ad inſtantiam Nationis Germanicæ propoſitis, & ex reſponſo à Martino V. & alijs Nationibus ad ea dato deſumitur. Cùm enim Natio Germanica fruſtrà petijſſet *Decretum irritans in formâ*, vidiſſetq; Decretum ſecundum

ſeſ-

ſeſſionis quintæ de poteſtate coactiuâ non intelligi de vnico, vero, & indubitato Pontifice ſtatutum Concilij de reformandâ Eccleſiâ adimplere nolente, curauit inter octodecim articulos reformationis à Concilio vnà cum futuro Pontifice decidendos hunc quoque apponi: *Propter quæ & quomodo Papa poſſit corrigi & deponi.* Ad quem articulũ rectè obſeruarunt Cardinales ab Eugenio Papâ IV. deputati, dùm Galliæ Legatis Decretum ſecundum Conſtantienſe ſeſſionis quintæ in ſenſu Baſilëenſium obijcientibus reſponderunt: *Quòd Patres de Conſtantiâ non videntur habuiſſe illum erroneum ſenſum de poteſtate Conciliorum, quem habuerunt Baſilëenſes, & practicauerunt.* Rationem adiungunt: *Quòd cùm omnes obedientiæ ſimul Conſtantiæ conuenirent, decreuerunt in ſeſſione trigeſimâ ſextâ †, quòd Papa cum Concilio haberet declarare, propter quæ & quomodo ipſe poſſet corrigi.* Ac ſi dixiſſent Cardinales, ex prædicto articulo de Nationum conſenſu futuri Pontificis iudicio reſeruato conſtare, quòd poſt trium obedientiarum vnionem Concilium non inhæſerit Decreto ſecundo ſeſſionis quintæ

Cardinales ab Eugenio IV. Deputati.

† 36. in Manuſcriptis, eſt 40. in editis.

tæ in ſenſu Baſileënſium, ac ſi totiès Pontifex corrigi & deponi potuiſſet, quotiès Generalis Concilij Decretis obedire contemneret.

Manifeſtiùs conſtat de plurium Nationum ſententiâ ex reſponſo ad prædictum articulum poſt Martini V. electionem dato. Quamuìs enim inter edita à Philippo Labbeo ex Codice Capranicenſi quindecim reformationis capita nullum reperiatur, quod huic articulo correſpondet; nullatenùs tamen dubitandum eſt, quin inter reformationis capita reperiri debeat. Cùm enim ad omnes fermè articulos reformationis reſponſum datum reperiatur in capitibus à Philippo Labbeo editis, cur quæſo ad maximi momenti articulum de correctione Pontificiâ reſponſum omiſſum fuiſſet? An fortè quòd Martinus V. dignatus non ſit ad articulum Sedis Apoſtolicæ auctoritati à Germanis oppoſitum vel verbum reſpondere? Sic tamen eſt, quòd Natione Germanicâ poſt electionem Martini V. in aduiſamentis de reformatione hactenùs ineditis vrgente hunc articulum, Martino V. integrum non fuerit, eum ſub ſilentio præterire, ideòque

Martinus V. & plures Nationes in reſponſo ad articulum de poteſtate coactiua.

reſponderit: *Non videtur, prout nec viſum fuit in pluribus Nationibus, circà hoc aliquod nouum ſtatui vel decerni.* Extat hoc Martini reſponſum in duobus Codicibus Manuſcriptis antiquis, quorum vnus in Bibliothecâ Vaticanâ, alter in Palatinâ aſeruantur, vt duo variarum Regionum Manuſcripta hâc in re conueniant, & veritati teſtimonium perhibeant. Hęc autem ſi Richerius vidiſſet, numquam ex articulo, *Propter quæ, & quomodo Papa poſſit corrigi & deponi*, argumentũ pro ſenſu Patrum de ſuperioritate Concilij deduxiſſet.

Tam certò autem hoc teſtimonium ſenſui illi aduerſatur, vt cùm in Diſſertatione Antuerpienſi id propoſuiſſem, D. Maimbourg in Tractatu ſuo hiſtorico illud prætermittere maluerit, quàm referendo præiudicium aliquod cauſæ ſuæ afferre. Omiſsâ proinde hâc de re mentione, ad alia confugit, & reſponſum Martini V., quo ſeſſione quadrageſimâ quintâ Concilij Decreta in materiâ Fidei conciliariter facta approbat, vrgere voluit. Dicit itaque, Martinum V. etiam Decreta ſeſſionis quintæ confirmaſſe, dùm ſeſſione quadrageſimâ quintâ omnia & ſingula in

materiâ Fidei conciliariter facta his verbis probauit: *Quòd omnia & ſingula determinata, concluſa, decreta in materiâ fidei, per præſens Sacrum Generale Concilium Conſtantienſe conciliariter tenere, & inuiolabiliter obſeruare volebat, & numquam contrauenire quoquo modo, ipſaque ſic conciliariter facta approbat & ratificat, & non aliter, nec alio modo.*

Martinus V. ſeſſione 45. Concil. Conſtantien.

En verba Martini ex ſeſſione quadrageſimâ quintâ Conſtantienſis Concilij, quibus innititur ſecundum argumentum D. Maimbourg ad monſtrandum, quòd ab eodem Pontifice probata, ſeù confirmata fuerint Decreta Conſtantienſis Synodi ſeſſionibus quartâ & quintâ circà auctoritatem Conciliorum edita. Verùm nonne videt Auctor iſte, Martinum V. ibi ſolummodò agere de Decretis ad materiam fidei ſpectantibus, ſeù de articulis Ioannis Wicleff, Ioannis Hus, Hieronymi de Praga, & Boëmorum, qui in ſeſſionibus publicis conciliariter damnati erant tamquam hæretici? Hos enim Martinus V. ſeſe pro damnatis habere ſignificat, confirmans & probans Decreta in materiâ fidei Conſtantiæ edita, non verò De-

creta ſeſſionis quartæ & quintæ de poteſtate Eccleſiaſticâ, quòd illa ſub materiâ fidei non comprehenderentur, & à Patribus Conſtantienſibus pro articulis fidei edita non fuerint. Et hoc eſt, quod in Diſſertatione Antuerpiæ editâ non ex infirmis aut ſuppoſititijs monimentis, ſed ex Actis ipſius Conſtantienſis Concilij probaueram: in ijs enim ſeſſione quintâ refertur, quòd electus Poznanienſis publicauerit Decreta ſupradicta *per modum conſtitutionum Synodalium*. Et poſt illorum aliorumque Decretorum publicationem adiungitur, quòd idem Poznanienſis legerit *quædam aduiſamenta in materiâ fidei, & ſuper materiâ Ioannis Hus detenti per Concilium, & quodam Ioanne Wicleff ibidem ſubiuncta*. Appellabam hìc oculos eruditorum, ſicut & iterùm appello, vt Acta Conſtantienſis Concilij typis deſcripta peruoluant, mecumque obſeruent, ipsâ ſeſſione quintâ, in quâ Decreta publicata ſunt, differentiam factam fuiſſe inter nonnulla, quæ *per modum conſtitutionum Synodalium* publicata ſunt, ac alia, quæ ad *materiam fidei* ſpectabant, & publicanda dicebantur. Quæ ſub nomine

Acta Conſtantienſis Concilij ſeſſione 5.

con-

conſtitutionum Synodalium intelligenda erant, dicuntur duo priora Decreta, de quibus in præſenti agimus. Quæ ad *materiam fidei* ſpectabant, dicuntur articuli Ioannis Wicleff, & Hus. Ex quibus certò conſtat, quòd ipſum Conſtantienſe Concilium Decreta ſeſſionis quintæ ſub materiâ fidei non comprehenderit, & conſequenter Martinus V. ſeſſione quadrageſimâ quintâ probando *omnia & ſingula in materijs fidei conciliariter determinata, concluſa, & decreta*, non confirmârit Decreta ſeſſionis quintæ de poteſtate Eccleſiaſticâ *per modum conſtitutionum Synodalium* dumtaxàt edita.

Poſſem pluribus rationibus hanc veritatem confirmare, & in quonam conſtitutiones Synodales à Decretis fidei differant, oſtendere, niſi in comperto eſſet, conſtitutiones nihil aliud eſſe quàm leges, quarum publicatio ſpectat ad Legiſlatorem; Decreta verò fidei eſſe dogmata, quorum deciſio pertinet ad Doctorem. Concilium autem ſeſſione quintâ non publicauit duo priora Decreta per modum dogmatum in materiâ fidei, ſed per modum conſtitutionum Synodalium, vt Acta Conſtantien-

ſis Concilij in terminis aſtruunt, & ipſe Ioannes Gerſonius negare non potuit, vtpotè qui in ſermone pro *Viaggio Regis Romanorum* coram Patribus Concilij de Decretis illis opinionem ſuam hoc modo retulit: *Conſcribenda*, inquit, *prorsùs eſſe mihi videtur in eminentioribus locis, vel inſculpenda per omnes Eccleſias ſaluberrima hæc definitio, lex, vel regula.* Quibus verbis Decreta per modum legum ſtatuta fuiſſe, Gerſonius ipſe agnouiſſe videtur.

Ioannes Gerſonius in ſermone pro Viaggio Regis Romanorum.

Quando igitur Martinus V. ſeſſione quadrageſimâ quintâ declarauit, ſe probare omnia & ſingula in materiâ fidei conciliariter determinata, concluſa, & decreta, non intendit probare Decreta ſeſſionis quintæ, ſed omnia & ſingula circà articulos Wicleffi, Hus, Hieronymi Pragenſis, & Boëmorum Conſtantiæ in ſeſſionibus publicis ſtatuta; imò ſi rem funditùs examinemus, articulum quoquè Ioannis Parui de occidendo tyranno ſeſſione decimâ ſeptimâ publicatum confirmauit, vtpotè quem ſolum in Bullâ ſuâ confirmatoriâ, ſicut poſteà videbimus, ex Decretis ad fidem pertinentibus omiſerat.

Cùm

Cùm enim Legati Regis Poloniæ ſeſſione quadrageſimâ quintâ inſtitiſſent pro damnatione famoſi cuiuſdam libelli Ioannis à Falckenberg, quem, teſte Martino Cromero Varmienſi Epiſcopo libro 18. de rebus geſtis Polonorum, dictus Ioannes *à Cruciferis ſubornatus in Wladiſlaum Regem, & in omne Polonum nomen conſcripſerat*, & *in quo*, teſte Ioanne Gerſonio in Dialogo Apologetico pro Conſtantienſi Concilio hactenùs inedito, *agebatur de occiſione omnium Polonorum faciendâ abſque lege, vel ordine, ipſis nec auditis, nec defenſis:* Martinus V. videns tumultum inter plures exortum fuiſſe, quia librum illum ſeſſione vltimâ conciliariter damnare nolebat, *cùm multi varia dicerent*, & aliqui damnatum à Patribus Ioannis Parui errorem renouandum fore, niſi Pontifex libellum Ioannis à Falckenberg cenſurâ publicâ proſcriberet, aſſererent, Martinus *reſpondendo ad prædicta* declarauit, *ſe omnia & ſingula in materiâ fidei per Conſtantienſe Concilium conciliariter tenere, & inuiolabiliter obſeruare velle, ipſaque ſic conciliariter facta approbauit & ratificauit*, vt conſtaret, à ſe quoque confirma-

Martinus Cromerus lib. 18. de geſtis Polonorum.

Ioan. Gerſon. in M. S. Dial. Apologetico pro Conſtantienſi Concilio.

Acta Conſtantienſis Concilij ſeſſione 45.

ri Decretum Conſtantienſe circà propoſitionem Ioannis Parui de non occidendo tyranno; quod Decretum, quia Martinus ſpecialiter antea non approbauerat, aliqui ab eo non confirmari credebant. Et hæc quidem de ijs, quæ Martinus V. ſeſſione quadrageſimâ quintâ auctoritate Apoſtolicâ ex Concilij Conſtantienſis Decretis in materiâ fidei editis approbauit, ac ratificauit.

Addidit autem idem Pontifex eâdem ſeſſione quadrageſimâ quintâ hanc clauſulam: *Et non aliter, nec alio modo*, quâ ſignificauit, à ſeſe quædam Decreta improbari, de quibus nunc inquirendum eſt, quænam illa eſſe poſſint. Vt autem ingenuè fatear, nullũ mihi vmquam dubium fuit quin aliqui Scriptores hìc verè annotarint, à Martino in primis hoc loco reiectum fuiſſe Nationum & Cardinalium Decretum de damnando in ſeſſione publicâ libello Ioannis à Falckenberg, vtpotè quod licèt in materiâ fidei eſſet, non tamen conciliariter in ſeſſione publicâ confirmatũ erat. Non tamen placet, quod poſt Richerium D. Maimbourg voluit, hanc clauſulam ſolummodò ad reijcien-

dam

dam damnationem libelli Ioannis à Falckenberg per Martinum V. adiectam fuiſſe. Sicut enim occaſione libelli Ioannis à Falckenberg prudentiſſimus ille Pontifex non ſolùm confirmauit Decretū Conſtantienſe contra articulum Ioannis Parui, quem prędictus libellus renouare videbatur, ſed omnia & ſingula in materiâ fidei conciliariter facta à ſeſe approbari ſignificauit: ita occaſione eiuſdem libelli idem Martinus non ſolùm reiecit ſtatutum à Nationibus & Collegio Cardinalium de damnando in ſeſſione publicâ libello Ioannis à Falckenberg, ſed terminis generalioribus vſus eſt, & alia quędam vel ad materiam fidei non ſpectantia, vel non conciliariter edita ſeſe reprobare indicauit. Vnde Illuſtriſſimus Apamëenſis Epiſcopus Spondanus ſcribit, Martinum V. non ſolùm reſpondiſſe ad petitionem Legatorum Poloniæ, ſed eâ occaſione ſignificaſſe, quæ Concilij Decreta auctoritate Apoſtolicâ confirmaret, quænam verò reprobanda duceret. Audiendus eſt Auctor ille ad annum 1418. vbi agens de petitione Legatorum Regis Poloniæ, & Martini ad eam reſponſo: „Putamus, inquit, prędictorum *Spondanus ad annum 1418.*

„Nun-

„Nuntiorum petitionem de induſtriâ, „Martini nutu ad vltimam ſeſſionem re-„ſeruatam, vt eâ occaſione ſignificaret, „quæ Concilij Decreta ipſe auctoritate „Apoſtolicâ ac supremâ probaret, quæ „verò non: ne ſi antea quidquam de ijs „agere voluiſſet, murmur aliquod tumul-„tumúe in Patribus excitaret, ob ea, quæ „ambiguè decreta fuiſſent de auctoritate „Concilij ſupra Pontificem, & de pote-„ſtate reformandi Eccleſiam tam in Ca-„pite quàm in membris: quas abſolutè, „vt ſonare videntur, ſumptas (de quo di-„ctum eſt ſuperiùs) nullo modo Marti-„nus agnoſcere aut approbare voluit, vt-„potè contrarias exiſtimatas & praxi an-„tiquioris Eccleſiæ, & collatæ à Chriſto „Domino Petro, eiuſque Succeſſoribus au-„ctoritati ac poteſtati; ipſique demùm „naturæ rei, quâ Caput debet membra „regere, non regi à membris.„

Hæc eruditiſſimus ille Apamëenſis in Galliâ Epiſcopus, qui Manuſcriptos Con-ſtantienſis Concilij Codices Pariſijs in Bi-bliothecis Chriſtianiſſimi Regis, & Sancti Victoris aſſeruatos ſedulò peruoluit, ex quibus indicia aliqua habere potuit de

ijs, quæ hoc loco de infirmatis à Martino V. Decretis memoriæ tradidit. Vnum autem præ cæteris obſeruandum eſt, quòd Auctor ille in hiſtoriâ Conſtantienſis Concilij tantopere à D. Maimbourg laudatâ notarit, quòd non ſolùm Decretũ ſecundum ſeſſionis quintæ de auctoritate coactiuâ Conciliorum, ſed & clauſula primi Decreti de Reformatione Eccleſiæ Dei in Capite & in membris à Martino V. improbata fuerint. Hęc enim mirum in modum conſonant Manuſcriptis Codicibus à me repertis, quos D. Maimbourg tamquam vitioſos aſpernandos eſſe contendebat.

Non ignorabat Martinus V., quantâ animi conſtantiâ Franciſcus Cardinalis Zabarella ſeſe oppoſuerat articulo, quo Conſtantienſi Concilio tribuebatur auctoritas reformandi Eccleſiam in Capite & in membris. Memoriâ retinebat, quàm grauiter plerique Cardinales cum Regis Galliæ Oratoribus contra Decreta ſeſſionis quintæ proteſtati erant. Optimè nouerat, quot contentiones poſt trium obedientiarum vnionem in Concilio excitatæ fuerant, ne fieret reformatio Eccleſiæ ante electionem

vnius, veri, & indubitati Pontificis. Oculatus teſtis extiterat iurgiorum, rixarum, & periculorum; quæ Cardinales ſubierant, vt materiam reformationis futuri Pontificis iudicio reſeruarent. Oblitus non erat reſponſi, quod Nationi Germanicæ, petenti Decretum irritans per modum cautionis de fiendâ per Pontificem reformatione, datum fuerat, *quòd Papa electus ligari non poteſt*. Præſens fuerat, quando Concilium auctoritate coactiuâ abſtinuerat in Decretis ſuis legitimum Pontificem ſpectantibus. Non multũ temporis tranſiuerat, quo ante ſeſſionem quadrageſimam tertiam ad articulum ſecundum *de reformationibus Sedis Apoſtolicæ*, & articulum octauum *de Officijs Cancellariæ ac Pœnitentiariæ* reformandis, ne verbum quidem Nationibus & Patribus Concilij reſponderat, quia ad ipſos reformationem in Capite, ſeù Curiâ Romanâ ſpectare non credebat. Mente tenebat datum eodem tempore à ſe & pluribus Nationibus reſponſum ad articulum Germanorum, *propter quæ, & quomodo Papa poſſit corrigi & deponi?* Quòd nimirùm nihil eâ de re, quia nouitatem ſapiebat, ſtatui deberet.

Et

Et ne quiſquam ſequentibus temporibus ex Decretis ſeſſionis quintæ probandum ſuſciperet, legitimum Pontificem corrigi vel deponi poſſe, ſeſſione quadrageſimâ quintâ ex petitione Legatorum Regis Poloniæ occaſionem cepit, vt obſeruat Spondanus, exponendi mentem ſuam de eorum inualiditate, dixitque ſe auctoritate Pontificiâ tunc non probare, quæ aliter quàm in materiâ fidei concilialiter acta erant, vt indicaret, Decretum primum ſeſſionis quintę de reformatione, & Decretum ſecundum de poteſtate coactiuâ tamquam aliter & alio modo facta à ſeſe neque probari, neque in auctoritatem recipi.

CAPVT IV.

Quòd Martinus V. confirmando Decreta Conſtantienſia, & declarando, quòd à Romano Pontifice appellare non liceat, poſitiuè propugnarit ſuperioritatem Pontificiam.

VIDIMVS ſuperiori Capite, quòd Martinus V. numquam in auctoritatem

recipere voluerit Decreta ſeſſionis quintę de ſuperioritate Concilij intellecta, ſed potiùs ea reiecerit, & quoties mentio de ijs facta eſt, ea à ſeſe improbari ſignificauerit: nunc videndum eſt, an auctoritatem ſuam ſupra Concilium nullo expreſſo teſtimonio comprobatam eſſe voluerit. In Diſſertatione meâ Antuerpienſi, cap. 3. circà finem paucis verbis indicaueram, Martinum V. bis oſtendiſſe, ſupremum ſibi in rebus fidei iudicium competere: primò, dùm à Concilio Conſtantienſi in publicis ſeſſionibus Decreta confirmatione ſuâ indigere monſtrauit: ſecundò, dùm in Conſiſtorio publico de non appellando à ſupremo Iudice Romano Pontifice Ieſu Chriſti in terris Vicario conſtitutionem edidit. Cùm autem D. Maimbourg aliqua hiſce obijcere voluerit, & quædam monumenta hùc ſpectantia, & nondùm edita, totiq; Orbi Catholico hoc noſtro tempore ignota ad manus meas peruenerint, rem eruditis gratiſſimam me facturum exiſtimaui, ſi hoc capite de ſingulis paulò fuſiùs agerem, & quàm clarè Martinus V. auctoritatem ſupra Concilia exercuerit, exponerem.

Vt

Vt autem à confirmatione Martini V. incipiam, cùm ex eâ validiſſimum argumentum deſumi poſſit prò ſuperioritate Pontificiâ, id ipſum debilitare conatus eſt D. Maimbourg cap. 24. aſſerens: „Quòd „numquam antiqua Eccleſia cognouerit „aliam approbationem, aut confirmatio-„nem Conciliorum à Romanis Pontifici-„bus factam, quàm conſenſum ipſorum, „quem illi æquè ac alij (nimirùm Epiſco-„pi) dare tenebantur.„ Dicit, ſe id alibi monſtraſſe, capite nimirùm 17. eiuſdem Tractatus hiſtorici, vbi S. Sylueſtri, Leonis Magni, & Martini I. verba adducit, vt probet, confirmationem nihil aliud eſſe quàm ſubſcriptionem aut ſuffragiũ à Romano Epiſcopo æquè ac alijs Epiſcopis, vt ſuprà ab Auctore audiuimus, præbendum, ita vt in Martini V. poteſtate ſitum non fuerit, Decretis Conſtantienſibus aſſenſum ſeù ſuffragium ſuum denegare. Aliud quid addit Richerius in Hiſtoriâ Conciliorum Generalium lib. 2. c. 4. §. 26. ex Bullâ Martini V. contra errores Ioannis Wicleff, „Quæ, inquit, decimum ter-„tium monimentum praxeos auctoritatis „Concilij ſupra Papam nobis exhibet,

D. Maimbourg pag. 279. On n'a jamais connû dans l'anciẽne Egliſe d'autre approbation & confirmation des Cõciles par les Papes, que le cõſentement, qu'eux meſmes eſtoient obligez d'y donner auſſy bien, que les autres.

Richerius in Hiſtoria de Concilio Conſtantienſi.

„quo-

„quoniam Martinus omnia & ſingula de „Cõcilij conſenſu & approbatione gerit.

Loquitur Richerius de Bullâ Martini V., quæ incipit: *Inter cunctas Paſtoralis curæ ſollicitudines*, quam Baſilëenſes in ſuâ compilatione Actis Conſtantienſibus ſubiecerunt, & reliqui ſubinde Conciliorum Collectores eodem modo poſt ſeſſionem quadrageſimam quintam ediderunt; vnde plurimorum & communis error irrepſit, quòd hæc ſit Bulla confirmatoria Martini V. de articulis Ioannis Hus, & Hieronymi de Pragâ à Concilio Conſtantienſi damnatis. Verùm cùm ſedulò hanc Martini Bullam peruoluiſſem, eamq; pro hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus à Martino V. Sacro approbante Concilio editam fuiſſe annotaſſem, cenſui Bullam illam Martini confirmatoriam non eſſe, nec poſt Acta ſeſſionis quadrageſimæ quintæ edi debuiſſe. Extat Bulla illa non ſolùm *omnibus Inquiſitoribus inſcripta*, vt eam exhibet Philippus Labbeus in ſuâ collectione, ſed & alijs particularibus, vt habet Tomus VIII. diuerſorum Martini V. qui in Archiuo Apoſtolico aſſeruatur, in quo eadem illa Bulla reperitur cum hoc ti-

Bullã Martini V. ad Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Inquiſitores hæreticę prauitatis in Regionibus Bohemiæ, Poloniæ, & alijs Germaniæ Prouincijs.

titulo & ſubnotatione: *Martinus &c. Venerabilibus Fratribus Salzeburgenſi, Gneznenſi, & Pragenſi Archiepiſcopis, ac Olomucenſi, Luthomuſlenſi, Bambergenſi, Miſnenſi, Patauienſi, Wratiſlauienſi, Ratiſponenſi, Cracouienſi, Poznanienſi, & Nitricenſi Epiſcopis, nec non dilectis filijs electis, ac Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis, per Salzeburgenſem, Gneznenſem, Pragenſem, Olomucenſem, Luthomuſlenſem, Bambergenſem, Miſnenſem, Patauienſem, Wratiſlauienſem, Ratiſponenſem, Cracouienſem, Poznanienſem, & Nitricenſem Ciuitates & Diœceſes, & alibi vbilibet conſtitutis, ad quos præſentes litteræ peruenerunt, ſalutem &c. Inter cunctas Paſtoralis curæ ſollicitudines, quibus &c. Datum Conſtantiæ octauo Kal. Martij anno primo.* Reperitur quoquè ibidem cum ſequenti inſcriptione: *Martinus &c. Venerabilibus Fratribus Cantuarienſi, Eboracenſi Archiepiſcopis, ac Londonienſi, Roffenſi, Ciceſtrenſi, Wintonienſi, Oxonienſi, Lincolnienſi, Bathonienſi, Wellenſi, Salesberienſi, Wyngermenſi, Herfordenſi, Conuentienſi, Lichefeldenſi, Norwicenſi, Clienſi, Meneuenſi, Aſſauenſi, Laudauenſi,*

Eadem Bulla ad Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Inquiſitores Angliæ.

ſi, Bauigorenſi, Dunelmenſi, Carleolenſi, & Candidetaſe Epiſcopis, nec non dilectis filijs Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis per Cantuarienſem, & Eboracenſem Prouincias, ad quos præſentes litteræ peruenerint, ſalutem &c. Inter cunctas Paſtoralis curæ ſollicitudines &c. Datum Conſtantiæ octauo Kal. Martij anno primo.

Ex varijs huius Bullæ titulis conſtat in primis, eam factam fuiſſe pro Inquiſitoribus hęreticę prauitatis in Poloniâ, Angliâ, alijſque locis, vbi Wicleffi, & Hus, ac Hieronymi Pragenſis hæreſes tamquam venena ſerpebant: vt mirum non ſit, quòd Bulla illa, cùm executoria eſſet, *Sacro approbante Concilio* à Martino V. edita dicatur. Conſtat ſecundò, editam fuiſſe non poſt finem Concilij, vt communiter ex eo creditur, quòd poſt ſeſſionem quadrageſimam quintam legatur, ſed 8. Kal. Martij anno Pontificatus Martini primo, dùm Concilium nondum ſeſſionem quadrageſimam tertiam celebrarat, vt inter ſeſsionem quadrageſimam ſecundam, quæ 28. Decembris anno 1417., & ſeſsionem quadrageſimam tertiam, quæ 21. Martij anno 1418. celebratæ ſunt, collocanda ſit: 8. enim

8. enim Kalendæ Martij, quæ in diem 22. Februarij incidunt, inter vtrumque diem, quibus ſeſſiones quadrageſima ſecunda & tertia habitæ fuerunt, mediæ ſunt.

Cùm autem ex hâc obſeruatione manifeſtum fiat, Bullam Martini V. confirmatoriam in Actis deſiderari, opportunè omninò accidit, quòd peruoluens proximis hiſce diebus Regeſtum variorum Martini, aliud quærendo, aliud repererim. Incidi namque præter ſpem omnem in Bullam Martini longè à ſuperiori diuerſam, vtpotè quæ incipit: *Martinus &c. Ad perpetuam rei memoriam. In eminentis Apoſtolicæ dignitatis ſpeculâ ſuperni diſpoſitione conſilij conſtituti inter ſollicitudines alias innumerabiles noſtris humeris incumbentes, aſſiduâ curâ reuoluimus, & in votis noſtris gerimus deſiderantes, vt fides Catholica, quæ Chriſtianæ religionis firmiſſimum eſt fundamentum, noſtris proſperetur temporibus, ac à contagioſis hæreticorum dogmatibus, quibus illam quaſi tenebroſi fumi caligine obfuſcare ſatagunt, conſeruetur, hæreticaque prauitas de finibus fidelium extirpetur, &c.* Præmittit in illâ Bullâ Martinus V. quæ contra errores

Bulla Martini V. confirmatoria Decretorum in materia fidei, ex Manuſcripto Regeſto authentico.

Ioannis Wicleff, & Hus, ac Hieronymi de Pragâ à Ioanne XXIII. in Concilio Romano anno Pontificatus eius tertio decretaſ uerant, duaſq; Conſtitutiones eiuſdem Ioannis, quarum vna à Labbeo edita eſt Tomo XI. Conciliorum, altera hucuſque lucem non vidit, exhibet: deinde ſtatuta Conſtantienſis Concilij circa propoſitiones Wiccleffi, & Hus, nec non errorem Bohemorum de Communione ſub duplici ſpecie, de verbo ad verbum inſerit, concludens his verbis: *Nos igitur declarationes, Decreta, diffinitiones, reprobationes, mandata, inhibitiones, ſtatuta, nec non condemnationes, & ſententias, ſupraſcripta rata habentes, & grata, illaque auctoritate Apoſtolicâ ex certâ ſcientiâ tenore præſentium confirmantes, & præſentis ſcripti patrocinio communientes, ſupplentes quoquè omnes defectus, ſi qui forſan propter ſolemnitates Iuris in procedendo non ſeruatas interuenerint in eiſdem, volumus etiam, & eâdem auctoritate decernimus, quòd declarationes, diffinitiones, reprobationes, mandata, inhibitiones, ſtatuta, nec non condemnationes, & ſententiæ, præinſerta plenam vim, plenumque robur*

&

& vigorem per omnia habeant, & ad ea vbilibet probanda hæ noſtræ litteræ plenè ſufficiant, quandocumque & vbicumque eas ſiuè in Iudicio, ſiuè alibi exhiberi contigerit, vel oſtendi. Nulli ergo &c. Noſtræ approbationis, ratificationis, communitionis, ſuppletionis, voluntatis, & conſtitutionis infringere &c. Si quis &c. Datum Conſtantiæ 8. *Kal. Martij, Anno primo.*

Atque hæc eſt Bulla Martini V. confirmatoria, quæ hactenùs typis deſcripta non fuit, omneſque noſtri ſæculi peritos in hunc vſque diem latuit, ex quâ non ſolùm refutantur, quæ Richerius obiecit, ſed quæ & ipſe D. Maimbourg ſuperiùs de confirmatione Pontificiâ ſcripſit. Vt enim à Richerio incipiam, edita eſt hæc Bulla à Martino V. octauo Kal. Martij, dùm litteras executoriales ad Inquiſitores hæreticæ prauitatis ſuprà memoratas eodem die tranſmitteret. Edidit autem Martinus hanc Bullam nomine proprio, nullâ Concilij mentione factâ, quòd per illam Romani & Conſtantienſis Conciliorum contra hæreticos ſtatuta auctoritate Apoſtolicâ confirmaret, adeò vt ex verâ Bullâ confirmatoriâ non habeatur mo-

numentum praxeos auctoritatis Concilij ſupra Papam, ſed potiùs contrarium, auctoritatis nimirùm Pontificiæ ſupra Concilium: ad Superiorem enim ſpectat *approbare, ratificare, confirmare, communire Decreta, & ſupplere defectus* inferiorum, prout Martinus V. hâc Bullâ ſe de Decretis Patrum Conſtantienſium facere in terminis aſſerit. Et hinc quoquè patet, quid dicendum ſit de obſeruatione D. Maimbourg, quâ confirmationem Pontificiam cæterorum Epiſcoporum ſubſcriptionibus æquiparare non dubitauit, & huic antiquorum traditionem conſonam eſſe, aſſerere auſus fuit.

Martinus V. in Bulla ſuprà.

Quàm iniurioſa namque ſit Sedi Apoſtolicæ hęc auctoritatis eius interpretatio; quàm aliena à mente Eccleſiæ hæc ſupremæ Pontificiæ confirmationis eneruatio; non ex vno, ſed ex pluribus antiquitatis monumentis, quæ ab ipſo D. Maimbourg adferuntur, probari poſſent. Non ſic enim iudicarunt Epiſcopi Concilij Arelatenſis Primi, quando ſtatutum de vno Paſchatis die vbique terrarum obſeruando ad Syluestrum I. Romanum Pontificem retulerunt, vt iudicio ipſius probatum

per

per maiores Imperij Romani Diœceſes publicaretur. Non ſic tenuerunt ſexcenti triginta Orientales Epiſcopi Chalcedone congregati, quando canonem 28. de ſecundo honoris gradu Sedi Conſtantinopolitanæ tribuendo ad Leonem I. retulerunt, vt illum auctoritate Apoſtolicâ probaret, & tamquam *Caput membrorum ſtatuta* confirmaret, ac roboraret. Neque ſic de auctoritate ſuâ iudicauit Leo & re & nomine Magnus, dùm ſolus canoni 28. Chalcedonenſi obſtitit, eumque, quia auctoritate Apoſtolicâ ſtatutus non fuerat, reiecit, & nullius roboris eſſe monſtrauit. Hæc erat de auctoritate Sedis Apoſtolicæ circa Synodicorum Decretorum confirmationem traditio venerandæ antiquitatis, hæc conſtans & indubitata ſententia religioſæ poſteritatis.

Concilium Arelatenſe I.

Concilium Chalcedonenſe.

Vt enim omittam Sacroſanctum Tridentinum Concilium, quod *antiquorum veſtigijs* inſiſtens Acta ſua ad Romanum Pontificem tamquam Supremum Eccleſię Iudicem retulit, ad ipſum Conſtantienſe Concilium accedo, quod poſt trium obedientiarum vnionem ſignificauit, Romanum Pontificem adſtringi non potuiſſe

Pius IV. in Bulla confirmatoria Concil. Trident.

De-

Decretis in materiâ fidei à ſe editis, niſi poſtquàm illa ſupremâ Sedis ſuæ auctoritate approbaſſet. Cùm enim Patres Conſtantienſes ſeſſione quadrageſimâ ederent profeſſionem fidei, quam Romani Pontifices iuxtà antiquam conſuetudinem ante conſecrationem emitterent, inter omnia Concilia Generalia, quæ Decreta in materiâ fidei per totam Eccleſiam recepta ediderant, vnum Conſtantienſe omiſerunt, cùm tamen plura de fide, quàm vllum aliud Concilium ſtatuiſſet: quâ re Patres Conſtantienſes innuere voluerunt, ſe futurum Pontificem adſtringere non potuiſſe ad Decreta fidei in Concilio ſtatuta, niſi Sedis Apoſtolicæ iudicio fuiſſent priùs confirmata. Ne autem quiſquam de Decretis Conſtantienſibus in materiâ fidei editis dubitaret, electus à tribus obedientijs in Summum Pontificem Martinus V. voluit poſt ſeſſionem quadrageſimam ſecundam Decreta fidei auctoritate ſuâ Apoſtolicâ comprobare, prout fecit Bullâ confirmatoriâ ſuperiùs memoratâ. *Illâ*, inquit, *auctoritate Apoſtolicâ ex certâ ſcientiâ tenore præſentium confirmantes, & præſentis ſcripti patrocinio communien-*

Martinus V. in Bulla confirmatoria.

nientes, ſupplentes quoquè omnes defectûs, ſi qui forſan propter ſolemnitates Iuris in procedendo non ſeruatas interuenerint in eiſdem. Et poſtquam Martinus ſolâ auctoritate Pontificiâ hoc modo Decreta Conſtantienſia in materiâ fidei probauerat; tunc nomine ſuo, conſentiente Concilio, Decreta à Concilio edita & à ſe probata ad cunctos hæreticæ prauitatis Inquiſitores tranſmiſit, vt iuxtà illorum tenorem contra Wicleffiſtas, & Huſſitas agerent: quod nihil planè contra ſuperioritatem Pontificiam facit.

Ne autem vllum omninò dubium reſtet de mente Martini V. circa auctoritatem Pontificis ſupra Concilium; adiungenda ſunt, quæ occaſione Polonorum in Conſiſtorio publico de non appellando à Sedis Apoſtolicæ iudicio ſtatuit. Vtque res tota à ſuâ origine repetatur, cùm Conciliũ ſeſſione decimâ tertiâ elegiſſet Commiſſarios tam ex Collegio Cardinalium, quàm ex Nationibus *ad audiendum & examinandum cauſas hæreſum & errorum in fide Catholicâ & moribus, vndecumque habuiſſent & haberent originem*; accidit, quòd Regis Poloniæ Legatus Ni- *Geſta Conſtantienſis Concilij.*

co-

colaus Gneznenſis Archiepiſcopus acceptum à Doctoribus & Studioſis Pariſienſibus libellum famoſum, *quem Ioannes à Falckenberg in Wladiſlaum Regem, & in omne Polonum nomen conſcripſerat*, ad deputatos Iudices detulerit, Auctorem in tetrum carcerem includi fecerit, & à Iudicibus Conſtantienſis Concilij libellum cum omni debitâ ſolemnitate & maturitate damnari curauerit. Antequàm itaque Martinus V. in Pontificem eligeretur, ſingulæ Nationes & Sacrum Cardinalium Collegium ſeorſim concluſerant, ordinauerantque, quòd dictus libellus tamquam hæreticus in ſeſſione publicâ per Sacroſanctum Concilium Conſtantienſe publicè damnaretur, ſeù damnatus nuntiaretur, vnde poſt electionem Martini V. aliquotiès inſtiterunt pro publicâ iſtius libelli condemnatione. Vbi autem viderunt, à Martino V. 8. Kal. Martij, ſeù die 22. Februarij, anno 1418. hæreſes Ioannis Wicleff, & Ioannis Hus, ac Bohemorum de Communione ſub duplici ſpecie proſcriptas, ac de ijs dumtaxàt ad Epiſcopos Poloniæ, alioſque hæreticæ prauitatis Inquiſitores litteras datas fuiſſe, veriſimile eſt,

Martinus Cromerus Varmienſis Epiſcopus lib. 18. de rebus geſtis Polonorum.

Acta Conſtantienſis Concilij ſeſſione 45. tam edita, quàm Manuſcripta.

eſt,eos nondũ quidem tunc appellaſſe, ſed de appellando ad futurum Concilium cum pluribus locutos fuiſſe, idq; ad Martini V. aures perueniſſe. Hâc autem occaſione idem Pontifex Decretum edidit de non appellando à Romano Pontifice, de quo audiendus eſt Ioannes Gerſonius in Dialogo Apologetico pro Conſtantienſi Concilio, qui appellationis Polonorum meminit, quaſi iam interiecta fuiſſet: *Pro parte Dominorum Polonorum interiecta eſt tandem appellatio ad futurum Concilium. Cui appellationi cùm reſpondendum eſſet, lata eſt, vt dicitur, in Conſiſtorio generali & publico, quod vltimò Conſtantiæ celebratum eſt, minuta quædam ſub formâ Bullæ . . . continebatque, in nullo caſu licere appellationem à Papa facere, nec eius iudicium in cauſis fidei declinare.* Quæ hìc adfert Ioannes Gerſonius ex aliorum relatione, in Tractatu ſuo *Quomodo, & an liceat à Summo Pontifice appellare, ſeù eius iudicium declinare*, tamquàm rem ſibi compertam & indubitatam exhibet. Abſolutè enim affirmat, quòd Martinus V. in ſuâ conſtitutione *Ad perpetuam rei memoriam* factâ & promul-

Ioannes Gerſonius in Dialogo Apologetico pro Conſtantienſi Cõcilio.

gatâ in Cõſiſtorio generali celebrato Conſtantiæ 6. Idus Martij, Pontificatus ſui anno primo decreuerit: *Nulli fas eſt à Supremo Iudice, videlicet Apoſtolicâ Sede, ſeù Romano Pontifice Ieſu Chriſti Vicario in terris appellare, aut illius iudicium in cauſis fidei (quæ tamquam maiores ad ipſum & Sedem Apoſtolicam deferendæ ſunt) declinare.*

Martinus V. in Conſtit. Ad perpetuam rei memoriam *de non appellando ad futurum Concilium 6. Idus Martij edita.*

Teſtatur Ioannes Gerſonius in eodem illo Tractatu, Decretum hoc occaſione Polonorum editum fuiſſe, & ipſe D. Maimbourg cap. 24. illud occaſione appellationis ab ijſdem Oratoribus interpoſitæ prodijſſe affirmat, vt Martinus V. neque clariùs, neque expreſſiùs mentem ſuam de Sedis Apoſtolicæ ſupra Concilium auctoritate exponere potuerit: id quod adeò manifeſtum fit ex verbis Martini V. à Gerſonio allatis, vt hìc Auctori noſtro aqua hęſerit, & cùm ad pleraque alia à me allata reſpondere conatus fuerit, ad Decretum illud ſeſe nihil habere, quod opponeret, re ipsâ ſignificarit. Quamuìs enim Auctor noſter fingat, facilem eſſe reſponſionem, dicatque: „ Facillimè reſponderi „ poteſt dicendo id, quod centies reſpon-

D. Maimbourg pag. 275. Il eſt bien aisè de luy repondre ce

„ ſum

„ſum eſt; & cui contradici nequit, quòd „hæc & ſimilia verba intelligi debeant de „omnibus Eccleſijs particulariter ſum-„ptis, de omnibus Epiſcopis, Archiepiſco-„pis, Metropolitanis, Primatibus, & Patri-„archis, à quorum iudicio ad Romanum „Pontificem appellare licet, ita vt nemi-„ni appellare permiſſum ſit ad iudicium „alicuius ex ipſis à ſententiâ Romani Pon-„tificis, qui ipſorũ ſuperior eſt, non quidem „quando adunati ſunt in Concilio Vni-„uerſalem Eccleſiam repræſentante, ſed „quando particulariter ſumuntur.„ Hæc tamen reſponſio adeò infirma eſt, vt Lector non niſi oculis indigeat, ad falſitatem illius ex Actis Concilij detegendam. Non enim agebatur à Legatis Poloniæ de Epiſcopis particulatim ſumptis, ſed in Concilio adunatis. Appellare volebant non ad Patriarchas, Primates, Metropolitanos, & Epiſcopos toto Orbe diſperſos, ſed in Concilio Vniuerſali congregatos. Cùm autem horum occaſione editum fuerit à Martino V. Decretum de non appellando à Romani Pontificis iudicio, vt ipſe D. Maimbourg fatetur, quâ ratione negare poteſt, ſupradicto Martini Decreto prohi-

qu'on a repondù cent fois, & ſans replique, que ces paroles & autres ſemblables ſe doivent extendre par rapport à toutes les Egliſes priſes chacune en particulier, à tous les Eueſques, les Archeueſques, les Metropolitains, les Primats, & les Patriarches, du iugement de chacun deſquels on peut appeller au Pape, ſans qu'on puiſſe appeller a pas un d'eux du iugement du Pape, qui eſt leur Superieur, non pas, quand ils ſont aſſemblez en Corps dans un Concile Vniuerſel repreſentant tout l'Egliſe, mais quand on les prend chacun en particulier.

bitam fuiſſe appellationem ad Generale Concilium?

Martinus V. Verba illius Pontificis nimìs manifeſta ſunt, quàm vt in dubium reuocari poſſint: *Nulli fas eſt, à Supremo Iudice, videlicet Apoſtolicâ Sede, ſeù Romano Pontifice Ieſu Chriſti Vicario in terris appellare*. Appellationem à Romano Pontifice interdicit Martinus V., & rationem quoquè adiungit, quòd nimirùm Pontifex ſit Ieſu Chriſti in terris Vicarius, adeòque diuinitùs ouili Eccleſiæ præpoſitus, & *Supremus*, vt vocat ibidem, *Iudex* conſtitutus. Hæc ſunt verba, quibus clariora deſiderari non poſſunt, & quæ adeò Ioannis Gerſonij ſcriptis aduerſa ſunt, vt erroris ea conuicerint, ac Auctorem in interpretandis ſeſſionis quintæ Decretis longè à Martini V. mente hucuſque alienum fuiſſe monſtrarint. *Ioannes Gerſonius.* Neque id latuit Gerſonium, qui Tractatum, *Quomodo, & an liceat à Summo Pontifice appellare*, contra Martini Conſtitutionem edidit, & Decretum illud Pontificium ex aduerſo cum Synodalibus Conſtitutionibus anno 1415. ſexto Aprilis Conſtantiæ editis pugnare, totis viribus probare contendit.

Cùm

Cùm autem Synodales Conſtitutiones illæ, ſint ipſa duo priora Decreta ſeſſione quintâ de poteſtate Eccleſiaſticâ ſine communi deliberatione contrà-proteſtantibus Cardinalibus & Regis Galliæ Oratoribus edita, & Ioannes Gerſonius ea de ſuperioritate Concilij intellecta per Martini V. Conſtitutionē infirmata fuiſſe clariùs probauerit, quàm vt ipſe D. Maimbourg id pertinaciter negare auſus ſit, adiungit Auctor iſte: „Quòd ſi D. Schelſtrate his non „obſtantibus velit, quòd Martinus V. hâc „Conſtitutione condemnet & abſolutè „prohibeat omnem appellationem ad V„niuerſale Concilium, reſpondebitur ipſi „ſine vllâ difficultate, quòd etiamſi ita eſ„ſet, Conſtitutio illa nullam vim ſortire„tur, quia facta non fuit *Conciliariter*, „neque *Sacro approbante Concilio*, neque „cum conſenſu Eccleſiæ, quæ numquam „voluit, in omni caſu prohibitam eſſe „appellationem à Papâ ad Concilium.„ Verùm quàm vanum ſit hoc effugium, vel me tacente, quiſque facilè percipiet. *Conſtitutio illa*, inquit D. Maimbourg, *facta non eſt Conciliariter*, *neque Sacro approbante Concilio*: Sed quid inde? Sequi-

D. Maimbourg pag. 276. Et ſi M. Schelſtrate veut non obſtant tout cela, que le Pape par cette Bulle condāne & defend abſolument tout appel au Côcile Vniuerſel, ce que pourtant elle ne dit point, on luy repondra ſans peine, que, quand cela ſeroit, elle n'auroit point du tout de force, par ce qu'elle n'a point eſtè faite *Conciliariter*, & *Sacro approbante Concilio*, ni auec le cōſentement de l'Egliſe, qui nâ jamais pretendu, qu'on ne puiſſe en certains cas appeller du Pape au Concile.

quiturne ex eo, Conſtitutionem illam à Martino V. factam non fuiſſe, vel Decreta ſeſſionis quintæ ab eo non fuiſſe reprobata? Conſtitutio in Conſiſtorio publico die 2. Martij anno 1418. præſentibus Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus à Martino V. Conſtantiæ edita fuit, cùm omnes Patres in eâdem Ciuitate aderant, qui in nullâ ex ſequentibus ſeſſionibus ſe Martini Decreto oppoſuerunt, quin potiùs illud ipſum Actis ſeſſionis quadrageſimæ quintæ inſeri paſſi ſunt. Cùm enim ſeſſione quadrageſimâ quintâ finis imponendus eſſet Concilio, & Oratores vidiſſent, nihil circà damnationem libri Ioannis à Falckenberg ibidem publicandum fore, *rem nouam Legati Regis auſi*, inquit Martinus Cromerus Warmienſis Epiſcopus lib. 18. de geſtis Polonorum, *ad futurum Concilium, quod in decimum annum indicebatur, prouocarunt*. Agunt de hâc appellatione Acta Concilij tam edita quàm inedita, omnium autem fuſiſſimè Protonotarij Conſtantienſis Concilij in compilatione à ſe factâ, in quâ referunt, quòd cùm *nonnulli multum dicerent, & tumultum facerent*, Martinus V. impoſito omnibus ſilen-

Martinus Cromerus lib. 18. de geſtis Polonorum.

Acta Conſtantienſis Concilij à quatuor Protonotarijs conſcripta ſeſſ. 45.

len-

lentio dixerit *reſpondendo ad prædicta*, *quòd omnia & ſingula Decreta Conſtantienſis Concilij approbabat & ratificabat, quæ in materiâ fidei conciliariter ſtatuta erant, non autem alio, neque alio modo.* Quo reſponſo prudentiſſimus ille Pontifex, vt oſtendimus ſuprà, ſignificabat, quęnam Decreta confirmabat, quæ auctoritate Apoſtolicâ probare nolebat. Ac de Decreto in primis contra propoſitionem Ioannis Parui Conſtantiæ edito, quod Martinus in Bullâ ſuâ confirmatoriâ omiſerat, & contra quod Ioannes à Falckenberg in famoſo ſuo libello apertè ſentire viſus erat, ſatis ſuperque oſtendit, illud ipſum à ſe probari ac confirmari, quia conciliariter in materiâ fidei concluſum, determinatum, & ſtatutum erat. De ipſo autem libello non ſolùm hâc crudeliſſimâ hæreſi, ſed multis quoque alijs erroribus referto, ob quos Sacrum Cardinalium Collegium & omnes Nationes illum damnarant, & in ſeſſione publicâ damnandum ſtatuerant, clarè oſtendit, ſeſe Decretum Nationum, & Collegij Cardinalium noluiſſe in auctoritatem admittere. Vnde cùm Paulus Voladimiri vnus ex O-

ra-

ratoribus Polonis vellet proſequi appellationem, eamque ex quâdam cedulâ legere cœpiſſet, *fuit ipſi* per D. Auguſtinum de Lance Fiſcalem & Aduocatum Conſiſtorialem *de mandato Domini noſtri Papæ, vt idem Auguſtinus aſſeruit, ibidem coram eodem Domino noſtro ſtantem impoſitum ſilentium ſub pœna excommunicationis, quo quidem ſilentio impoſito, idem Paulus tacuit, &c.* Hæc ipſius Conſtantienſis Concilij Protonotarij in Actis publicis ex mandato eiuſdem Concilij conſcriptis, ex quibus in primis patet, Martinum V. ſe ſuperiorem oſtendiſſe Collegio Cardinalium, & cunctis Nationibus, Sanctum Conſtantienſe Concilium integrantibus. Secundò patet, ſe ſuperiorem feciſſe Patribus non ſolùm ſeorſim ſiuè nationaliter, & extra ſeſſionem publicam, ſed etiam ſimul, ſiuè in ſeſſione conciliariter ſtatuentibus: Martinus enim appellationem à Sedis Apoſtolicæ iudiciô ad Concilium Vniuerſale prohibens, Ne quidem Iudicio conciliari ſe ſubiectũ oſtendit, quinimò, teſte Gerſonio, Romanum Pontificem pro ſupremo in materijs fidei Iudice, à quo ad Concilium Vniuerſale

Acta Conſtantienſis Concilij ſuprà.

ap-

appellare non licet, palàm aſſeruit. Vnde ſeſſione quadrageſimâ quintâ Polonis appellationem à iudicio ſuo ad futurum Concilium interponere volentibus non ſolùm obſtitit, ſed quod caput eſt, in ipſo Conſtantienſi Concilio, in ſeſſione publicâ, coram Sacro Cardinalium Collegio & cunctis Nationibus appellationem Polonorum reprobauit, & ſilentium ipſis ſub pœnâ excommunicationis impoſuit, & prætermiſsâ damnatione libelli Ioannis à Falckenberg finem Conſtantienſi Concilio, quod poſt trium obedientiarum vnionem Vniuerſale euaſerat, impoſuit.

Quòd itaque Martinus V. à tribus obedientijs Conſtantiæ in legitimum Pontificem electus numquam approbarit Decreta ſeſſionis quintæ de ſuperioritate Concilij intellecta, ſed ea illo ſenſu improbarit, ac infirmarit, colligitur ex Actis & Geſtis Concilij, quorum fidem in dubium reuocare non licet, & probatur ex Scriptore coætaneo Ioanne Gerſone, cuius teſtimonium Eccleſiæ Gallicanæ ſuſpectum eſſe nequit. Ex hoc enim Auctore totiès à D. Maimbourg laudato, totiès Sedis Apoſtolicæ auctoritati oppoſito conſtat, quòd

Martinus V. declarans, illicitum eſſe à Sedis Apoſtolicæ iudicio appellare, improbarit Decreta ſeſſionis quintæ de ſuperioritate Concilij intellecta. Probat id Gerſonius in Tractatu, *An, & quomodo appellare liceat*, vbi Decretum Martini *de non appellando*, hanc ob cauſam totis viribus impugnat. Cæterùm non Concilij, ſed Sedis Apoſtolicæ auctoritas ſuprema eſt in terris, vtpotè ad quam etiam à Concilijs appellare, teſte Gelaſio I., ſemper permiſſum fuit, & à quâ ne quidem ad Concilium, teſte Martino V., appellare vmquàm licebit. Romanus igitur Pontifex tamquam ſupremus Eccleſiæ Iudex poteſtatem habet, ſupra quam in terris Chriſtus Dominus nullam aliam conſtituit. Hæc Martini V. mens eſt, hoc iudicium, hæc ſententia Actis ipſis inſerta: ita vt, ſi Concilium Conſtantienſe iuxtà interpretationem Baſilëenſium hactenùs fuerit Eccleſiæ Gallicanæ Palladium, iuxtà ſenſum Martini V. futurum ſit ſupremæ auctoritatis Apoſtolicæ Præſidium & Propugnaculum.

ACTA
ET GESTA
CONSTANTIENSIS CONCILII
AD SENSVM ET AVCTORITATEM

DECRETORVM

DE POTESTATE ECCLESIASTICA

SESSIONIBVS

QVARTA ET QVINTA EDITORVM

SPECTANTIA

EX PLVRIBVS MANVSCRIPTIS

INDVBITATAE FIDEI CODICIBVS

PRO MAIORI PARTE

NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITA.

EX TRIBVS MANVSCRIPTIS CODICIBVS

ACTA CONSTANTIENSIS CONCILII

A PROTONOTARIIS EIVSDEM COMPILATA CONTINENTIBVS.

IN nomine Sanctæ & Indiuiduę Trinitatis. Hic Liber continet Ordinationes, Statuta, Conſtitutiones, Decreta, & alia Acta & Geſta in Generali Conſtantienſi Concilio Præſidente Sanctiſſimo in Chriſto Patre & Domino Noſtro Domino Ioanne Diuinâ Prouidentiâ Papa Vigeſimo Tertio. Recollecta, viſa, & ordinata per nos Protonotarios, Notarios, & Scribas infraſcriptos ad id per eumdem Dominum noſtrum Papam ipſo approbante Concilio deputatos. Sub an-

Titulus Actorum Conſtantienſium à quatuor Protonotarijs eiuſdem Concilij compilatorum.

nis

nis Domini, Indictione, Pontificatu, Menſibus, & diebus inferiùs annotatis.

Decretum primum ſeſſionis quartæ.

Primum Decretum ſeſſionis 4. ex compilatione ſupradicta.

ET primò, quòd ipſa Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata Generale Concilium faciens Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cuiuſcumque ſtatus, vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti ſchiſmatis.

EX DVOBVS MANVSCRIPTIS CODICIBVS REGESTVM CONSTANTIENSIS CONCILII CONTINENTIBVS.

I.

De ijs, quæ ſpectant ad receptionem Legatorum Gregorij XII.

Anno 1414. *die* 19. *Nouembris.*

Legati Gregorij XII. obtinent Domum in Ciuitate Conſtantienſi & affigunt arma Pontificia ante duas valuas eiuſdem, quæ noctu a-

DIE Lunę 19. Menſis Nouembris cùm Frater Ioannes Dominici dictus Cardinalis Raguſinus, qui pro parte Angeli Corrarij dicti Gregorij ad Concilium deſti-

ſtinatus per plures dies in Rmeck diſtante de Conſtantiâ per quatuor, & in Albora diſtante per tria milliaria moram traxerat, miſiſſet ad Oratores Regis Romanorum Conſtantiæ exiſtentes, & ad Magiſtrum Ciuium & Conſules Ciuitatis eiuſdem, vt Domus pro ſuâ habitatione ſibi aſſignaretur: prædicti Conuentum Heremitarum Sancti Auguſtini, qui pro habitatione Angeli Corrario deputatus fuerat, pro ipſius Fratris Ioannis Dominici habitatione eius Nuntio, qui pro hęc venerat, aſſignarunt. Nuntius verò arma dicti Angeli Corrario dicti Gregorij in duabus valuis Conuentus ipſius affixit, quædam in papyro, & quædam appendit in poſte, quæ ſequenti nocte deleta & amota fuerunt. Cùmque ſuper affixione & appenſione dictorum armorum, & deletione ſiuè amotione eorumdem inter congregatos in Concilio oriretur diſceptatio, mandatum eſt Prælatos, & alios, qui ad Concilium venerunt, congregari ſuper hoc.

monentur, ob quod diſceptatio orta eſt inter Patres Concilij.

20. *Nouembris anni* 1414.

Die Martis 20. Menſis Nouembris congregatis Reuerendiſſimis in Chriſto Patri-

Congregatio Prælatorum & Car-

dinalium, ſuper amotioné armorũ Gregorij XII. & quidnam Patres ea de re iudicarint.

bus Dominis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus numero decem & octo, Prælatis, Procuratoribus Dominorum, Magiſtris, & alijs in Sacro Conſtantienſi Concilio exiſtentibus in Aulâ inferiori Palatij Apoſtolici pro causâ ſupradictâ, cùm ſuper eâ per vnum ex Dominis Cardinalibus propoſitio fieret, variæ inter eos fuêre ſententiæ: alijs áſſerentibus arma prædicta appendi ſiuè affigi potuiſſe, & per conſequens ex quo deleta fuerant, reponi debere; & huius ſententię fuerunt Dominus Feltrenſis & Concordienſis Epiſcopi, & plures alij: alijs verò aſſerentibus, ſupradicta arma in locis prædictis in obedientiâ Domini noſtri Papæ Ioannis XXIII. conſtitutis appendi, ſiuè affigi non potuiſſe, & per conſequens ex quo deleta fuerant, reponi non debere; & huius ſententiæ fuit Dominus Patriarcha Gradenſis, & alij, qui plures quàm alteri ſententiæ adhæſerunt, dicentes, niſi Angelus Corrario perſonaliter veniat, ipſius arma ibidem non debere depingi. Super hoc tamen, & ſuper eo, quod in ſecundâ ſeſſione 17. Menſis Decembris celebrandâ fiendum erat, quod etiam pro-

po-

poſitum fuerat, dixerunt congregati, ſe velle deliberare.

Initio Ianuarij anni 1415.

Vltimò petit Dominus Rex per Concilium ſibi conſuli accelerato reſponſo, quid aut qualiter reſpondere debeat Nuntijs Angeli Corrario ad petita in ſcriptis, & in præſenti cedulâ, quam V. P. aſſignari mandauit deſignata, vt ſuprà in alio ſolio & fine alterius marginis.

Petit Rex Romanorum à Patribus conſilium, an Legatis Gregorij XII. ſaluũ conductum tribueret, & Ioannem Dominici cum capello rubeo tamquã Cardinalem Conſtantiam ingredi permitteret, & quidnam Patres his de rebus ſenſerint.

Ex quâ quidem cedulâ variæ inter Dominos ſententiæ & diſceptationes ortæ ſunt. Alij quidem aſſeruerunt, ſaluum conductum liberum ijs eſſe dandum, & licentiam Fratri Ioanni Dominici concedendam, cum capello rubeo ingrediendi: & huius ſententiæ fuit Reuerendiſſimus Dominus D. Petrus tituli Sancti Griſogoni Presbyter Cardinalis Cameracenſis, & quidam alij. Alij verò aſſeruerunt, quòd nedum licentia cum capello rubeo ingrediendi Conſtantiam tribuenda erat prædicto Fratri Ioanni Dominici, imò ne ipſe ſuus Collega, nec Oratores Petri de Lunâ audiendi erant, & per conſequens ſaluum conductum eis dari non debere, maximè

cùm per reſponſiones Petri de Lunâ, & Angeli Corrario factas eidem Domino Regi Romanorum non conſtaret de aliquâ bonâ intentione ipſorum ad vnionem Eccleſiæ Sanctę Dei, imò per eorum reſponſiones præſumi poterat, quòd Oratores prædicti non veniebant niſi ad cauillandum, ſubterfugiendũ, & tergiuerſandum, ac impugnandum Sacrum Concilium Piſanum: nec erat conueniens, quòd vnus, qui erat ſchiſmaticus & hæreticus, & ab Eccleſiâ præciſus, videlicet Frater Ioannes Dominici admitteretur vt Cardinalis in loco Concilij: & huius ſententiæ fuit Reuerendiſſimus Dominus D. Antonius tituli Sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis de Challant. Quamquàm autem variæ ſuper prædictis eſſent ſententiæ, pro maiori tamen parte in hoc conuenerunt, quòd ſaluus conductus petitus eis dari deberet: nihil tamen illo manè ſuper hoc concluſum extitit propter varias opiniones & ſententias congregatorum.

22. *Ianuarij eiuſdem anni* 1415.

Ioannes Dominici ingreditur Cõſtantiam cum capello rubeo tam-

Die Martis 22. Menſis Ianuarij Dominus Frater Ioannes Dominici tituli Sancti

Mar-

Marci Presbyter Cardinalis Raguſinus vt Cardinalis, & cum capello rubeo medius inter Dominos Ducem Bauariæ & Ducem Bigæ, ac Dominus Ioannes electus Conſtantinopolitanus in habitu Prælati cum capello nigro ſic in obedientiâ Gregorij nominati, ſequentibus eos Dominis Wormacienſi, Spirenſi, & Verdenſi Epiſcopis in obedientiâ dicti Gregorij perſiſtentes, qui omnes prædictis Legatis dicti Gregorij extra Conſtantiam obuiauerant, Ciuitatem Conſtantiæ ſunt ingreſſi, in Conuentuque Heremitarum Sancti Auguſtini, qui pro habitatione Gregorij, & ſuorum aſſignatus fuerat, collocati ſunt.

quam Cardinalis & Ioannes electus Conſtantinopolitanus cum capello nigro tanquam Prælatus.

I I.

De ijs, quæ ſpectant ad Decretum primum ſeſſionis quartæ.

28. *Martij anni* 1415.

Eâdem die poſt Veſperas Reuerendiſſimi Patres Domini Iordanus Epiſcopus Albanenſis de Vrſinis, ac Guilielmus tituli Sancti Marci Presbyter, & Amedeus Sanctæ Mariæ Nouæ Diaconus de Salucijs, qui fuerant pro parte Sacri Collegij ad Do-

Cardinales à Sacro Collegio ad Ioannem miſſi redeunt Conſtantiam, & eodem die de ſero altercatio habita eſt, cuius etiam meminit Theod. de Niem in vita Ioannis XXIII.

Dominum noſtrum Papam Legati deſtinati, nec non Alamannus tituli Sancti Euſebij Piſanus, atque Antonius tituli Sanctæ Cæciliæ de Challant Presbyteri, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales rediuerunt à Domino noſtro Papâ in Schaffusâ morante: fueruntque omnes de eorum reditu valdè contenti ſperantes quòd bona noua portarent, propter quorum reditum ſeſſio, quam in craſtinum Nationes facere deliberauerant, prorogata eſt, quatuorque ex prædictis Cardinalibus illo ſero cum Domino Rege & alijs Cardinalibus, qui Conſtantiæ remanſerant, ac Deputatis Nationum in Concilijs tempore longo fuerunt; Dominus autem Cardinalis de Vrſinis labore itineris fatigatus intereſſe non potuit. Dixeruntque prædicti quatuor Cardinales, quòd in craſtinum bona noua de ſincerâ intentione Domini noſtri Papæ referrent. Quibus reſponſum eſt pro parte ibidem exiſtentium, quòd ſi bonam intentionem haberet ipſe Dominus noſter Papa, non feciſſet mandatum Curialibus, quòd ſub pœnâ excommunicationis, priuationis Beneficiorum & Officiorum eum infrà ſex dies ſequi deberent,

berent. Quibus replicatum eſt, quòd ſuper hoc prouideri poterat, attento quòd terminus nondum erat elapſus, & ipſi Domini Cardinales ſuper hoc mandatum habebant: hâc tamen replicatione non obſtante illo ſero inter eos altercatio facta fuit.

28. *Menſis Martij anni* 1415.

Referunt Cardinales, quæcumq; à Ioanne XXIII. obtinuerant pro bono vnionis, quæ parùm accepta fuere Nationibus, apud quas tumultuosè concluſum, quòd illis non obſtantibus fieret ſeſſio 4.

Die Iouis 28. Menſis Martij conuenientibus in Palatio Epiſcopali Conſtantienſi Domino Rege Romanorum, Dominis Cardinalibus, Nationibus, & Oratoribus Regum, & Principum, Dominorum, ac Vniuerſitatum, Reuerendiſſimus Pater Dominus Cardinalis Piſanus nomine aliorum ſuorum Collegarum, & pro parte Domini noſtri Papæ Ioannis XXIII. expoſuit, qualiter Dominus noſter Papa paratus erat conſtituere ſuos Procuratores omnes & ſingulos Dominos Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ad renunciandum Papatui in omnibus caſibus cedulæ vltimò per ipſum factæ. Ita quòd, ſi tres ex eis ad inuicem concordarent liberè cedere, poſſent & ipſo nolente cedere. Et ſimiliter volebat conſtituere octo Prælatos

tos ex Nationibus, dummodò Nationes 32. Prælatos nominarent: ita quòd tres ex dictis octo Prælatis, ſi ad inuicem concordauerint, cedere poſſint. Item, quòd Dominus noſter Papa ſtabit propè Conſtantiam per vnam vel duas dietas vſque ad deliberationem Concilij. Item vult, quòd Concilium non diſſoluatur, donec habeatur perfecta vnio in Eccleſiâ Sanctâ Dei. Item, quòd locus iſte Concilij non mutetur ſine deliberatione Concilij. Super quibus omnibus dictus Dominus noſter Papa paratus erat Apoſtolicas Bullas dare. Fuit etiam petitum pro parte Domini noſtri Papæ per dictum Dominum Cardinalem Piſanum, quòd daretur bona ſecuritas Domino noſtro Papæ de ſuâ perſonâ non offendendâ, & de non mouendo guerram contra Ducem Auſtrię; & ſi hæc duo non fierent, nulla prędictarum oblationum diceretur facta fuiſſe. Quæ omnia tamquam † ludicria & fictè pro parte Domini noſtri Papæ oblata per Dominum Regem Romanorum, & alios ibidem aſtantes reputata fuerunt; fuitque ibidem vnanimiter vociferatum: His non obſtantibus fiat ſeſſio, fiat ſeſſio: propter quæ

† *ludicra*

quæ tam ipsâ die, quàm die Veneris ſequenti altercationes maximæ fuerunt inter Dominos Cardinales & Nationes.

29. *Menſis Martij anni* 1415.

Cùm ſtatuiſſent Nationes, excepta Italica, ſeſſionem quartam celebrare in craſtinum, & capitula de poteſtate Eccleſiaſtica edere, plura pro parte Ioannis XXIII. offeruntur à Cardinalibus, & quòd ad ſeſſionem venirent dummodò capitula de poteſtate Eccleſiaſtica non ederentur.

Die Veneris 29. Menſis Martij cùm prædictæ tres Nationes, videlicet Germanica, Gallicana, & Anglicana deliberaſſent ſeſſionem celebrare in craſtinum, & capitula, quæ volebant in eâ ſtatuere, Domini Cardinales in Palatio Epiſcopali Conſtantienſi conuenientes habitâ inter ſe deliberatione obtulerunt Domino Regi ibidem cum eis conuenienti pro parte Domini noſtri Papæ vltrà ſupradicta infraſcriptas oblationes, quòd Dominus noſter Papa paratus erat, ipſum Regem vnà cum Dominis Cardinalibus Procuratores ad renunciandum Papatui conſtituere, ita quòd ſi duo ex Dominis Cardinalibus ſimul cum ipſo Domino Rege concordarent, Papatui cedere, poſſent ipſo nolente cedere. Item, paratus erat ipſe Dominus noſter Papa Curiam ſuam † ſine deliberatione Concilij hinc transferre. Item obtulerunt dicti Domini Cardinales, quòd ipſi parati erant ſeſſioni in craſtinum celebrandæ in-

† *adde* : *en*

intereſſe, dummodò non fierent, neque ſtatuerentur alia capitula, niſi capitula infraſcripta, quibus ſic oblatis Dominus Rex receptis capitulis infraſcriptis dixit, ſe iturum ad Nationes in Clauſtro Sancti Franciſci congregatas, & cum eis prædicta capitula conferre velle, & eis poſteà reſpondere.

Nouus Ioannis XXIII. receſſus fugientis à Scafſuſa.

Eâdem die venit nouum de Scaffusâ Conſtantiam, qualiter Dominus noſter Papa timens, ne Dominus Rex Caſtrum Scaffuſæ obſideret, inde horâ nonâ ante Meridiem nullo Cardinali ſociatus cum paucis ex ſuâ familiâ ſub ductu Ducis Auſtriæ receſſerat, & versùs Friburgum perrexerat.

Rex Romanorum operam adhibet, vt Nationes capitula de poteſtate Eccleſiaſtica ſeſſione 4. omittant.

Eâdem die horâ tardâ Dominus Rex à Nationibus ad dictos Cardinales rediens retulit, quòd Nationes ſuper infraſcriptis capitulis tantùm in ſeſſione ſtatuendis non potuerant concordare. Sed obtinuerat ab eis, quòd ſeſſio vſq; ad horam decimam prorogaretur, & in craſtinum vſque ad illam horam viderent, ſi poſſent ad inuicem concordare.

30. *Menſis Martij anni* 1415.

Geſta Cōſtantienſis Concilij in 4. Codicibus Manuſcriptis habent

Die Sabbati, quæ fuit dies Sabbati ſancti, penultima Menſis Martij, horâ ſeptimâ

mâ ante Meridiem conuenientibus in Palatio Epiſcopali Conſtantienſi Domino Rege Romanorum, Dominis Cardinalibus, & Nationibus, fuit plurimùm ſuper infraſcriptis, & alijs capitulis altercatum. Vniuerſitas etiam Pariſienſis multum inſtitit apud Regem, ne contra Ducem Auſtriæ moueret guerram, dicentes, quòd ſi guerra moueretur, dubitandum erat, quòd Concilium † non diſſolueretur. Sed Rex ſe durum in hoc ſemper exhibuit: & tandem Domini Cardinales cum Nationibus ſuper ipſis capitulis non valentes concordare, fuit incepta Miſſa pro ſeſſione celebranda. Tunc Dominus Rex iterùm ad Dominos Cardinales ingreſſus eſt, & habito cum eis aliquali colloquio, Domini Sancti Marci, & Florentinus Cardinales cum ipſo Rege exeuntes, primam Capellam Eccleſiæ Conſtantienſis ſunt ingreſſi, iuſſeruntque ad ſe vocari Deputatos Nationum iam in Choro paratos exiſtentes pro ſeſſione celebrandâ; quibus venientibus habita fuit non modica diſceptatio inter Dominum Regem, Dominos Cardinales, & Deputatos Nationum ſuper capitulis prçlibatis: & tandem Diuino Flamine inſpi-

hoc die: Quia Cardinalibus adhuc non fuerat plenè aperta materia agendorum in illa ſeſſione, nec etiam Ambaſſiatoribus Regis Franciæ, præfati Cardinales, & Ambaſſiatores erant deliberati non intereſſe in ſeſſione. Et licèt Rex multum inſtaret apud Cardinales, quòd intereſſent, tandẽ cùm iam Prælati ſederent in Concilio cum Mitris, & Pluuialibus, Rex tractauit cum Cardinalibus, & per eius medium, adhibito quodam moderamine in illa ſeſſione, Cardinales conſenſerunt intereſſe, & fecerunt, quòd etiam interfuerint Ambaſſiatores Regis Frãcorum, cum quibus Cardinales ſe coniunxerunt, & illi cũ Cardinalibus.

† *dele* non

 ran-

rante in vnam ſententiam conuenerunt, quòd tantùm capitula infraſcripta in dictâ ſeſſione ſtatuerentur. Fuit ergo dicta ſeſſio de conſenſu & voluntate Domini Regis, & omnium Dominorum Cardinalium in Conſtantiâ exiſtentium, quatuor Nationum, & Oratorum Regum & Principum celebrata, & omnes Cardinales in Conſtantiâ exiſtentes, qui non erant infirmitate grauati, interſuerunt: cui ſeſſioni Reuerendiſſimus in Chriſto Pater Dominus Iordanus Miſeratione Diuinâ Epiſcopus Albanenſis Cardinalis de Vrſinis præſedit, & Reuerendus Pater P. Dominus Ioannes Patriarcha Antiochenus Miſſam celebrauit. Quâ finitâ Reuerendiſſimus in Chriſto Pater Dominus F. Miſeratione Diuinâ Sanctorum Coſmæ & Damiani Diaconus Cardinalis Sacro Conſtantienſi approbante Concilio legit capitula infraſcripta.

Quarta ſeſſio.

Præfatio ſeſſionis quartæ.

In Nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. Hęc Sancta Synodus Conſtantienſis & Generale Concilium faciens pro extir-

tirpatione præſentis ſchiſmatis, & vnione ac reformatione Eccleſiæ Dei in Capite & in membris fiendâ ad laudem Omnipotentis Dei in Spiritu Sancto legitimè congregata, ad conſequendum faciliùs, ſecuriùs, vberiùs, ac liberiùs vnionem ac reformationem Eccleſiæ Dei, ordinat, diffinit, ſtatuit, decernit, & declarat, vt ſequitur:

Et primò, quòd ipſa in Spiritu Sancto legitimè congregata Generale Concilium faciens Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cuiuſcumque ſtatus vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quę pertinent ad fidem & extirpationem dicti ſchiſmatis. *Primum Decretum ſeſſionis 4.*

Item, quòd Dominus noſter Ioannes Papa XXIII. Romanam Curiam, & Officia publica illius, ſeù illorum Officiarios de hâc Ciuitate Conſtantienſi ad alium non mutet, [*&c. vt Decreta in editis ſeſſione quartâ, poſt quæ immediatè legitur in Regeſto:*]

In

Quæ eadem ſeſſione 4. exhibita ſunt à Cardinalibus, & inter ea vnum, quòd Nationes ſuſpenderent ad tempus materias, Quæ magnas habent difficultates, & maturam exigunt deliberationem.

In Concilio Conſtantienſi exhibita penultimâ Martij videlicet die Sabbati ſancti.

Sequuntur quædam prouiſiones vtiles pro accelerandâ vnione, quas offerunt Domini Cardinales, qui ſunt hìc, ſe curaturos, vt fiant per Dominũ noſtrum Papam.

Primò, quòd Dominus noſter dabit Bullam, quòd hoc Concilium non diſſoluetur, nec mutabitur ab iſto loco, ſine conſilio Concilij.

Item, quòd Domini de Concilio faciant formam procuratorij, & ipſi Cardinales facient, quòd Dominus noſter acceptabit in omnem caſum, quo tenetur cedere ſecundùm cedulam ſuper hoc confectam.

Item, quòd Concilium eligat conſtituendos in Procuratores in certo numero de ſingulis Nationibus vſque ad 30. vel 40., de quibus Dominus noſter eliget octo vel duodecim, quos conſtituet vltra Dominum Regem Romanorum, & Dominos Cardinales, quos etiam conſtituet Procuratores ſecundùm formam alterius cedulæ traditæ per Dominos Cardinales, quos etiam conſtituet vltra Dominum Regem Romano-

no-

norum & Dominos Cardinales, quos etiam conſtituet Procuratores ſecundùm formam alterius cedulæ traditæ per Dominos Cardinales ſingulis Nationibus: & erit forma, quòd ex Dominis Cardinalibus tres vel duo cum Domino Rege Romanorum, & ex prædictis de Concilio tres de tribus Nationibus, qui etiam ſine Cardinalibus poterunt exequi ceſſionem.

Item, quòd oblata per quinque Dominos Cardinales pro parte Domini noſtri, quæ data ſunt in cedulâ vt ſuprà, ſi videntur aliqua addenda, vel corrigenda, reddunt ſe certos, & ita habent à Domino noſtro, quòd ipſe etiam approbabit, & Bullas ſuper eis dabit.

Item, de Curiâ Romanorum offerunt ſe prouidere per modum aliàs dictum taliter, quòd per hoc non præiudicabitur Concilio.

Item, promittent Domini Cardinales, qui ſunt hìc, quòd ſi contingat caſus mortis Domini noſtri Papæ, non eligent alium, vſquequò videatur, an per viam ceſſionis aliorum ſuperuiuentium poſſit dari pax Eccleſiæ: & ſi videretur Concilio vtiliter, quòd aliquis eligeretur, obligabunt

eum

eum ad viam ceſſionis procurandam, & faciendam in omnibus, prout obligatus eſt Dominus noſter cum conſtitutione Procuratorum in ſimili formâ.

Item, interim quouſque videatur, an per viam ceſſionis poſſit dari pax Eccleſiæ, non conſentietur, quòd creentur noui Cardinales.

Item generaliter offerunt, quòd omnia, quæ deliberabit Concilium eſſe vtilia & opportuna ad expeditionem vnionis ſupradictæ, procurabunt per Dominum noſtrum Papam expediri etiam ſub Bullâ.

Præmiſſis attentis videtur attendendum circà prædicta, quæ directè reſpiciunt ad vnionem Eccleſiæ, ſuſpenſis ad tempus alijs materijs, quæ habent magnas difficultates, & maturam exigunt deliberationem.

Nota.

Item, videtur omninò prouidendum de ſecuritate Domini noſtri ante ceſſionem, & poſt, & promiſſione ſtatus ſui poſt ceſſionem.

Item de Guerris, quòd ceſſent.

I I I.

Ea, quæ ſpectant ad ſeſſionem quintam.

Die 6. Aprilis 1415.

Die Sabbati ſextâ Menſis Aprilis, cùm per priùs inter Dominos Cardinales, & Nationes altercatum fuiſſet ſuper correctione & emendatione capitulorum in præcedenti ſeſſione ſtatutorum, tandem ordinatum & concluſum eſt, quòd ſupradicta capitula modo infraſcripto corrigerentur. Conuenientibus itaque dictâ die Glorioſiſſimo Principe Domino Sigiſmundo Romanorum & Hungarorum Rege ſemper Auguſto, Reuerendiſſimis Dominis Cardinalibus Conſtantiæ exiſtentibus, cæteriſque Principibus, Prælatis, Regum, Principum, ac Dominorum Oratoribus, & Procuratoribus, & alijs in Sacro Conſtantienſi Concilio exiſtentibus in Eccleſiâ Cathedrali Conſtantienſi, pręmiſsâ per Dominos Cardinales, & Oratores Regis Franciæ proteſtatione in Camerâ Paramentorum Palatij Conſtantienſis ſecretè factâ, quòd propter ſcandalum euitandum ad ſeſſionem ibant, non animo conſentiendi

Adduntur in Regeſto quædam alia, quæ Geſta in quatuor MMSS. Codicibus his verbis breuiter exhibent: poſt ſeſſionem 4. Fuit per Cardinalē Florentinum ſuper hoc cum aliquibus Deputatis aliqualiter diſputatum: finaliter Concilium voluit ex integro dictas diffinitiones ad longum iterùm in alia ſeſſione pronuntiari. Et fuit facta ſeſſio die Sabbati poſt Paſcha, quæ fuit ſexto Aprilis, in qua ſeſſione iterùm maior pars Cardinaliũ faciebat difficultatem intereſſendi: omnes tamen pręter infirmos poſteà venerunt ad ſeſſionem, & præſente Rege Romanorum in Imperialibus inſignijs, Præſidente Cardinale de Vrſinis Epiſcopo Albanenſi, & celebrauit Miſſam Archieſcopus Rhemenſis. Fuerunt pronuntiatæ diffinitiones ſequẽtes per electum Poznanienſem Polonum, quia Cardinalis Florentinus illas

noluit pronuntiare.

his, quæ audiuerant in ipsâ ſtatui debere, maximè quòd Dominus noſter Papa, & alij in Concilio exiſtentes in plenâ ſecuritate fuerant, quorum plura ſtatuta non ſunt, ſed ad ſeſſionem aliam reſeruata: tandem quinta ſeſſio celebrata eſt, Reuerendiſſimuſque in Chriſto Pater Dominus Iordanus Epiſcopus Albanenſis Cardinalis de Vrſinis in ipsâ ſeſſione præſedit, & Reuerendus in Chriſto Pater Dominus Andreas Laſchari electus Poznanienſis poſt finitum Officium pronuntiauit capitula infraſcripta:

Quinta ſeſſio.

In Nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. Hęc Sancta Synodus Conſtantienſis Generale Concilium faciens pro extirpatione præſentis ſchiſmatis, & vnione, ac reformatione Eccleſiæ Dei in Capite & in membris ad laudem Omnipotentis Dei in Spiritu Sancto legitimè congregata ad conſequendum faciliùs, ſecuriùs, vberiùs, & liberiùs vnionem, & reformationem Eccleſiæ Dei ordinat, diffinit, ſtatuit, decernit, & declarat, vt ſequitur.

Et

Et primò declarat, quòd ipſa in Spiritu Sancto legitimè congregata Generale Concilium faciens, & Eccleſiam Catholicam repræſentans poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cuiuſcumque ſtatus, vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem præſentis ſchiſmatis, & generalem reformationem Eccleſiæ Dei in Capite & in membris. *Duo Decreta de poteſtate Eccleſiaſtica.*

Item declarat, quòd quicumque cuiuſcumque ſtatus, etiamſi Papalis exiſtat, &c. [*vt in editis ſeſſione quintâ*.]

EX QVATVOR MANVSCRIPTIS CODICIBVS GESTA CONSTANTIENSIS CONCILII CONTINENTIBVS.

I.

De querelis Cardinalium, apud Nationes interpoſitis, quòd ſine ipſorum deliberatione poſt ſeſſionem ſecundam cuncta in Concilio peragerentur.

Die 2. Maij 1415.

CARDINALES autem licèt pręſentes in ſeſſione fuerunt, numquam illam *Seſſione ſeptima aguntur quædam contra Ioannem XXIII. in-*

conſiliis Cardinalibus, qui ſe contemptui haberi conqueruntur.

formam viderant, eodem enim die circà horam ſeptimam de mane fuit data eis copia ad deliberandum ſuper illâ, cùm iam plures Prȩlati ſederent, & immineret relatio nouorum fienda Regi & Deputatis Nationum in Sacriſtiâ, in quâ relatione præſentes fuêre, nec poterant illam formam videre, cùm ſtatim factâ relatione peruentum eſt ad ſeſſionem, quæ iam parata erat: & ita penè in omnibus Decretis Concilij factum eſt, Cardinalibus ita arcto & breui tempore oſtenſa ſunt Decreta iam concluſa in Nationibus, vt non fuerit in eorum poteſtate ſuper illis ſufficienter deliberare, imò in magnum contemptum habiti ſunt.

Fruſtra petierunt ſuffragium in ſeſſionibus publicis à Nationũ ſuffragijs diſtinctum.

Plures conqueſti ſunt Cardinales de contemptu, & finaliter petiuerunt, quòd cùm eſſent in Concilio quatuor Nationes, vna Angliæ, in quâ non erant viginti capita, de quibus tres ſolùm Prælati, & Cardinales eſſent ſexdecim, & alij futuri, de quibus plures magni & inſignes Doctores, propter dignitatem Collegij habeant vocem & auctoritatem tantam, ſicut Natio Anglicana. Quod fuit recuſatum, & dictum, quòd venirent ad ſuas Nationes,

ita

ita quòd nullam habent auctoritatem.

I I.

De ſententia contra Ioannem XXIII.

14. *Maij* 1415.

Concilium tentauit damnare Ioannem tamquam ſchiſmaticum & hæreticum, quæ crimina probata non fuiſſe, monet Cardinalis Sancti Marci.

Quâ ſententiâ lectâ ſurrexit Cardinalis Sancti Marci, qui audiuerat in legendo, quòd Concilium declarabat notoria crimina propoſita per Procuratorem Concilij contra Papam, & ſuper illis tamquam ſuper notorijs procedendum, & dixit, quòd attenderet Concilium, quòd Procurator Concilij propoſuerat, vt in citatione continebatur, crimen hæreſis & fautoriæ ſchiſmatis, & alia quædam, de quibus non conſtabat. Neque idem Cardinalis credebat illa eſſe notoria, eratque periculum ita decernere, & ob hoc poſtmodùm illa ſententia correcta fuit in formâ præſcriptâ.

Poſt hæc proceſſum eſt ad examinationem teſtium per Commiſſarios propter Cardinalem Sancti Marci, qui grauiter ægrotabat, & ægrotauit per menſem.

Rex, Cardinales, & Deputati Nationum cum pluribus Patribus a-

Inter hæc Rex, Cardinales, & Deputati, pluresque alij tractauerunt materiam, quòd

gunt de obtinendo conſenſu Ioannis XXIII., & quòd renuntiaret Papatui.

quòd Papa conſentiret ſententiæ ſuæ depoſitionis, & ex abundanti renuntiaret, & fuit ordinatum, quòd aliqui Cardinales, videlicet de Vrſinis, Cameracenſis, de Thallanco, Saluciarũ, & Florentinus irent ad Papam, qui erat detentus in Oppido Sellę ad duo milliaria, non tamen ex parte Concilij, ſed Collegij ad perſuadendum ſibi contenta in dictá cedulâ. Qui iuerunt: & Papa conſenſit in formâ cedulæ, cuius tenor ſequitur.

Die 24. Maij 1415.

Ioannes XXIII. requiſitus à quinque Cardinalibus ad eum miſſis, ſe acquieturũ ſententiæ Concilij eamque ratificaturũ promittit.

Anno Domini 1415. Indictione 8. die 24. Menſis Maij in Oppido Sellæ Conſtantienſis Diœceſis Dominus Ioannes Papa XXIII. auditis Reuerendiſſimis Patribus Dominis Cardinalibus, ſcilicet de Vrſinis, Cameracenſi, de Thallanco, Saluciarum, & Florentino ibidem in præſentiâ ipſius Domini Papæ conſtitutis, qui ad eum ex parte Collegij venerunt, & per eumdem Dominum Papam lectâ quâdam cedulâ, quæ fuit aduiſata ſuper modo procedendi ad ſententiam in inquiſitione, quam formauit Sacrum Concilium Conſtantienſe contra ipſum Dominum Papam,

di-

dixit atque reſpondit, qualiter miſerat ad dicendum certis Prælatis dicti Sacri Concilij per Venerabiles Fratres Fratrem Vitalem Tolonenſem, & Fredericum Auguſtenſem Epiſcopos, atque dilectum filium Magiſtrum Fiton Sarisberienſem Canonicum, quòd volebat, & prȩſentialiter vult in omnibus ſtare, & ſe conformare omni ordinationi, deliberationi, & determinationi dicti Sacri Concilij; quòdque ſic, vt præfertur, miſit ad dicendum, vt dictis Dominis Cardinalibus dicit, ſpondet, & promittit prompto corde, animoque volente, quòd facere vult bonâ fide; & in caſu, quo † Prȩlati dicto Sacro Concilio, quòd ipſe Dominus Ioannes cedat Papatui, paratus eſt ſtare iuxtà deliberationem & voluntatem dicti Sacri Concilij, & in his omnem ſecuritatem ſibi poſſibilem vult dare, quòd numquam per ſe vel per alium directè vel indirectè veniet contra ipſam ceſſionem. Porrò ſi omninò dictum Sacrum Concilium voluit procedere ad ſententiam, ſcilicet amouendo eumdem Dominum Ioannem à Papatu, affirmat, quòd non vult reclamare, nec reclamabit contrà dictam ſententiam proferendam, quin imò

† aliquid deeſt, ſic tamen habetur in M. SS. Cod.

imò ipſam ratificabit & approbabit, & eamdem acceptabit, & in quantum in ſe fuit, confirmabit, & omni modo, viâ, & formâ, quibus meliùs & vtiliùs dicto Sacro Concilio videbitur expedire. &c.

Ego Ioannes Papa XXIII. prælibatus prædicta per alium de mandato meo ſcripta approbo, confirmo, ac ſpontè & liberè volo adimplere cum effectu, & ad robur præmiſſorum manu propriâ me ſubſcripſi.

Die 20. Maij 1415.

Poſt ſententiam depoſitionis ſeſſione 12. lectam Concilium miſit ad Ioannem, qui illi acquieuit, & Papatui renuntiauit.

Quâ ſententiâ lectâ Concilium miſit ad Papam detentum in Oppido Cellæ, & Papa ſententiæ acquieuit, & ex abundanti etiam renuntiauit in formâ prædictæ cedulæ ſupraſcriptæ.

III.

De vnione obedientiæ Gregorij XII. ſeſſione duodecimâ factâ.

Die 4. Iulij 1415.

Ioannes Dominici Legatus Gregorij XII. vnit ſe Concilio, ſed præmiſſa noua eius conuocatione,

Cardinalis Raguſinus ſurrexit, & factâ honeſtâ præfatione cum themate, Quis eſt hic? & laudabimus eum, fecit enim mirabi-

bilia in vitâ ſuâ, quod applicuit Domino ſuo, & tandem auctoritate Domini ſui Gregorij iſtud Concilium conuocauit, & auctorizauit, ac omnia in eo exinde gerenda, prout in cedulâ quam legit, cuius tenor talis eſt:

quam nomine Patrum Conſtantienſium acceptauit Archiepiſcopus Mediolanenſis.

Quia Sanctiſſimus Dominus noſter Gregorius Papa XII. audiuit, & intellexit, atque multipliciter eſt informatus de celebri formâ huius Sanctæ Congregationis pro Generali Concilio Conſtantienſi in Chriſti nomine congregatę: idcircò idem Dominus noſter auidus Eccleſiaſticę vnionis & reformationis, ac extirpationis hæreticæ prauitatis commiſſionem fecit, prout in eius litteris nunc lectis dignoſcitur contineri. Cuius quidem commiſſionis & mandati vigore in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, auctoritate ipſius Domini noſtri, quantum ad eum ſpectat, vt prędicta ſancta vnio, reformatio, ac hæreticæ prauitatis extirpatio, Deo auctore, meliorem ſortiantur effectum, & vt ſub diuerſorum profeſſione Paſtorum deſcendentes Chriſtiani in vnitate Sanctæ Matris Eccleſiæ, & caritatis vinculo coniungantur; iſtud Sacrum Concilium Generale conuo-

Nota quòd Obedientia Gregorij nõ habuit Concilium Conſtantienſe pro Vniuerſali.

Hh co,

co, & omnia per ipſum agenda auctorizo, approbo, & confirmo iuxtà modum, formam, & prout in litteris dicti Domini noſtri nunc lectis pleniùs continetur.

Conſequenter Concilium per organum Archiepiſcopi Mediolanenſis ſtantis altè in pulpito cum quatuor Prelatis quatuor Nationum dictam conuocationem & auctorizationem admiſit, prout in cedulâ, quam legit, cuius tenor ſequitur. Et reſponderunt quatuor Prælati, quòd quatuor Nationibus placet; & Cardinalis Oſtienſis pro Collegio Cardinaliũ, Placet. Et hoc nunc primò reſponſũ eſt ex parte Cardinalium.

EX REGESTO

IN DVOBVS CODICIBVS MANVSCRIPTIS.

De vnione Obedientiæ Benedicti XIII.

I.

Epiſtola Franciſci Narbonenſis Epiſcopi ad quinque Cardinales de vnione initâ cum obedientiâ Benedicti XIII.

Epiſtola Narbonenſis Epiſcopi, qua ſignificat, mediante vnione

REuerendiſſimi Patres, & Domini pręcipui. Pręmiſsâ recommendatione, poſt-

poſtquam vltimò V. R. P. ſcripſi, ſuperuenerunt hìc Ambaſſiatores Dominorum Regum Caſtellæ, Aragonum, & Nauarræ, ac Comitum Fuxi: eo quia à Domino Petro de Lunâ nihil vtile, & efficax pro pace Eccleſiæ potuit obtineri, nec amore, nec terrore; ideò per eos apertus fuit alius modus perueniendi ad optatum, videlicet eiectio ipſius à Sede Petri, & obedientiæ ſuæ vnio cũ noſtrâ. Et tandem poſt multas altercationes ad hęc hodie conuentum fuit, & concordatum, quòd certis modis & temporibus litteræ conuocationis noſtræ & ſuæ Obedientiarum ad Sacrum Concilium Conſtantienſe fient. Die autem dictæ conuocationis adueniente, ad quam ſui Anticardinales citabuntur, etiam ad electionem futuram faciendam, dicti Domini Reges, & alij eis adhęrentes in Conſtantienſi Sacro Concilio ſe vnient: ita quòd ibidem per Dei gratiam erit Vniuerſalis Synodus totius Chriſtianitatis, quâ vnione ſic factâ per ipſum Sacrum Concilium ſic formatum & vnitum, citabitur Dominus Petrus de Lunâ, vt ibi compareat die certâ ceſſionem realem facturus, ad quam de Iure Diuino & humano tene-

cum obedientia Benedicti XIII. Concilium Conſtantienſe futurũ Vniuerſale totius Chriſtianitatis.

tur. Quòd ſi non venerit,vel veniens non ceſſerit, per ſententiam Vniuerſalis Concilij deijcietur, cui ſententiæ ſua Obedientia parebit; & ſic ſine grege remanebit. Deinde fiet electio vnionis Summi Pontificis; & ſic erit vnum ouile & vnus Paſtor: prout hæc omnia, & quædam alia ſecreta & multùm vtilia pro dicto negotio per Dominum Conradum de Suſato in Sacrâ paginâ Magiſtrum harum portitorem, qui in omnibus vtpotè Ambaſſiator Sacri Concilij interfuit, plenè ſcire poterunt P. V. R. quibus totum tractatum per extenſum miſiſſem, ſed decentiùs mihi viſum eſt, quòd per Dominos meos Legatos Sacri Concilij illùc redeuntes, qui pro certo cum Sereniſſimo Principe Domino Romanorum Rege labores verè magnos & multos, & quandoque dolores ſuſtinuerunt, vobis oſtendatur, & omnia referentur, quàm per alium mittatur in eorum aliqualem offenſionem. Altiſſimus vos conſeruare dignetur. Scriptum Narbonæ 13. Decembris.

I I.

Inſtrumentum Concordatorum Narbonæ:

Ex Inſtrumento concordatorum. Capitula ſequentia per Sereniſſimum Do-

Dominum Romanorum Regem, & Dominos Legatos Concilij Conſtantienſis ſic per eius Obedientiam nuncupati ab vnâ parte, & Dominos Ambaſſiatores Dominorum Illuſtriſſimorum Regum, & Potentium aliorum Dominorum Principum Obedientiæ Domini Benedicti Papę XIII. ſic etiam per eorum Obedientiam nuncupati ab alterâ pro vnione in Sanctâ Dei Eccleſiâ conſequendâ concordata extiterunt cum Dei adiutorio modo infraſcripto.

Narbonæ ſuper vnione cum Obedientia Benedicti XIII an. 1415. inita, Primum Capitulum de noua conuocatione Concilij, quòd ijſdem ferè verbis extat in Actis Cōcilij ſeſſione 20.: vbi ab omnibus Patribus iureiurando confirmatum fuit.

Primò, quòd conuocatio fiat per Prælatos, cæteroſque Viros Eccleſiaſticos in dicto Concilio Conſtantienſi ſic per eius Obedientiam, vt præfertur, nuncupato exiſtentes, & congregatos de Regibus, & Principibus prædictis, Cardinalibus, & Prælatis, cæteriſque Viris de Obedientiâ dicti Domini Benedicti Papæ XIII. ſic etiam per eius Obedientiam (vt præfertur) nuncupati, qui ad Generale Concilium debent, & ſunt conſueti vocari per litteras opportunas dictorum Dominorum de Concilio Conſtantienſi, quæ emanent ab eis ſub nominibus generalibus, & ſub denominatione tituli dignitatum, ſiuè nomi-

minum appellatiuorum, ſine expreſſione proipriorum nominum, vel propriarum dignitatum ſecundùm formam hìc concordatam, & inferiùs ante ſecundum capitulum inſertam: & quòd dictæ litteræ dirigantur nedùm ad Dominos Reges, Principes, & Cardinales, ſed ad alios quoſcumque Prælatos Obedientiæ prędicti Domini Benedicti: & quòd dicti Domini Reges, & Principes ipſius Obedientię ſumant onus faciendi præſentari dictas litteras conuocatorias cuilibet in Regno & Principatu ſuo Prælatis ſuæ ditionis; & ſpecialiter Dominus Rex Aragonum ſumat onus faciendi præſentari dictas litteras conuocatorias Regibus, & Principibus dictę Obedientiæ iſta capitula firmantibus: & quòd in dictis litteris conuocatorijs præfigatur terminus ad intereſſendum in Ciuitate Conſtantienſi pro vniendo ſe, & faciendo Concilium Generale vnà cum alijs ibidem congregatis, trium Menſium computandorũ à die præſentationis dictarum litterarum fiendæ Domino Regi Aragonum in Perpiniano ſi fuerit, vel aliàs in Ciuitate Barchinonæ ſi fuerit præſens vel abſens; & in caſu abſentiæ ſufficiat præſen-

ſentari litteras antedictas Vicario Regio, vel Conſiliarijs dictæ Ciuitatis, aut maiori parti eorumdem. Et vice verſâ, quòd præfati Domini Reges, & Principes proximè dictę Obedientię Domini Benedicti facient litteras conuocatorias ad prænominatos Prælatos, cæteroſque Dominos de Concilio Conſtantienſi ſimiles litteris conuocatorijs ab illis de Concilio vt pręfertur, emanandis, vel per ſuos Ambaſſiatores, & Procuratores mittendos ſufficienti poteſtate ſuffultos, ibidem in Conſtantiâ congregatos conuocabunt, hoc addito, & etiam intellecto, quòd litterę conuocationis mittantur ad Dominum Regem Aragonum ſexaginta numero; ſcilicet viginti, quæ dirigantur ad Sereniſſimum Dominum Regem Caſtellæ, & Prælatos Regni ſui, & aliæ viginti, quæ dirigantur ad Sereniſſimum Dominum Regem Aragonum, & Siciliæ, & Prælatos Regnorum ſuorum, & decem, quæ dirigantur ad Illuſtriſſimum Dominum Regem Nauarræ, & Pręlatos ipſius, & quinque, quæ dirigantur Præpotenti Domino Comiti Armeniaci, & aliæ quinque, quæ dirigantur Domino Comiti Fuxi, prout in eiſdem litteris dicitur

ſe-

Forma litterarũ ſine mentione Vniuerſalis Concilij, quæ inſerta eſt ſeſſione 22. ijſdem planè verbis, vt videri poteſt in Tomis Cõciliorum.

ſerioſiùs contineri. Forma autem litterarũ conuocationis prædictæ talis eſt: Miſeratione Diuinâ Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Prælati, & cæteri in Conſtantiâ Prouinciæ Maguntinenſis in Chriſti nomine congregati Illuſtri Principi Ferdinando Dei gratiâ Aragonum & Siciliæ &c. Regi Salutem, & Eccleſiaſticam vnionem feliciter intueri. Quamquàm miſericordiæ Domini neque menſuram ponere, neque eiuſdem tempora diffinire poſſumus, in dies tamen quos diligit, caſtigans compertum habemus flagellat, vt in tentatione prouentum faciat, & probatos ampliori retributione proſequatur. Ipſo ſiquidem permittente à 38. annis, & ampliùs populus eiuſdem peculiaris, qui Chriſtiano nomine gloriamur, afflicti fuimus peſtifero & execrabili ſchiſmate præſenti, cuius occaſione omnium penè benè viuendi modorum ſtatus confractus eſt. Vt ceſſaret Angelus percutiens, Altiſſimum exorauimus, & indefeſsè ad id ſudores noſtros & animos aptauimus, propitietur populo miſericors & miſerator Dominus deprecamur, & ſecundùm multitudinem

Cæ-

Cæli ac terræ corroboret miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe. Vnde, quamquàm varios perpeſſi fuerimus pro pace Eccleſiæ conſequendâ labores, & per anni circulum & vltrà, circa per 6. menſes vacauerimus, nondum venit dies Domini, in quâ pace frui optabamus, verùm ſperamus appropinquat in eius Auctore, quia arras ipſius reperimus. Nam Dom., qui Gregor. XII. in ſuâ Obedientiâ dicebatur, ſuâ ſponte ceſſit: ſic & Dom., qui Ioan. XXIII. dicebatur, facere voluit, atque fecit. Vt autem hoc idem faceret Dominus Petrus de Lunâ, qui Benedictus XIII. in ſuâ Obedientiâ nominatur, Legatos & Nuntios noſtros ad Serenitatem Veſtram, & ipſum cum Sereniſſimo Romanorum Rege, Venerabiles & Reuerendos Patres, & doctiſſimos Viros Archiepiſcopum Turonenſem, & alios Collegas deſtinaueramus. Qui quidem Dominus Petrus admonitus, rogatus, exhortatus, & requiſitus humiliter, aptè, debitè, & iuridicè ceſſionem per ipſum Iure Diuino pariter & humano, ac aliàs multipliciter debitam facere noluit, ſed hucuſque diſtulit, atque differt in totius Eccleſiæ ſcandalum ad populi

Nota, *quòd Ioannes XXIII. ceſſiſſe dicatur Pontificatui.*

Chriſtiani iacturam, & animæ ſuæ detrimentum: quam quidem ceſſionem vt faceret, per nos fuit dictus Dominus Petrus requiſitus pluriès, & per Principes, & Communitates notabiles Obedientiæ ſuæ. Idcircò vt filij pij Matri ſuæ compatientes nitimur, & quantum in nobis eſt, nisi fuimus pacem prædictam obtinere, & animos virtuoſorum Virorum ad hoc allicere, quatenùs in illo, qui eſt verus Eccleſiæ Sponſus, congregati vnà ſimul Matrem Eccleſiam diuiſam vniamus, & indecentia quęlibet, quę prędicti ſchiſmatis occaſione pullularunt, tollamus, & de medio auferamus. Hinc Serenitatem Veſtram obſecramus per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, per aſperſionem ſui pretioſiſſimi Sanguinis, & per pretium redemptionis noſtræ exoramus, requirimus, & monemus, quatenùs ob Dei reuerentiam ad tractandum ſuper infraſcriptis vnà nobiſcum veniatis, & ſubditos veſtros, qui poſſunt & debent Concilijs Generalibus intereſſe, quos vnà vobiſcum pręſentibus conuocamus, moneatis, inducatis, & eoſdem auctoritate à Deo vobis traditâ, quâ Poteſtatum culmina intra Eccleſiam Prin-

ci-

cipatus proprij decore tenetis, & de eâdem Domino reddituri eſtis rationem iuxtà diſpenſationis vobis creditæ modum, conuocetis, vt tali die &c. in Conſtantiâ compareant ob ſchiſma ſedandum, vnionem Eccleſiæ procurandam, reformationem ipſius Eccleſiæ tam in Capite, quàm in membris complendam, & deiectionem dicti Petri effectualiter faciendam ad electionem vnici Romani futuri Pontificis procedendum, & pro alijs cauſis & rationibus, quæ ad Generale Concilium de Iure pertinent, & ſpectant: per hoc enim populum, quem Chriſtus ſuo ſanguine pretioſo acquiſiuit, in vnum ouile ad gloriam æternam conſequendam aptaueritis, & debitum Deo & Eccleſiæ Matri Veſtrę reddideritis, æternæque retributionis premium conſequi poteritis. Datum &c.

EX GESTIS MANVSCRIPTIS.

I.

Teſtimonia Hiſpanorum, & Regis Scotiæ, quibus indicatur, Concilium illud ante vnionem Obedientiæ Benedicti Generale non fuiſſe.

Die 14. *Iulij* 1416.

Ex quatuor Manuſcriptis Codd. Litteræ Regis & Reginæ Caſtellæ ad Patres Conſtātienſes, quorum Cœtum non vocant Concilium Vniuerſale, ſed Quatuor Nationum Congregationem.

Die Martis 14 Iulij venit vnus Nuntius Regis, & Reginæ Caſtellæ, & attulit litteras eorumdem ad Congregationem quatuor Nationum in Conſtantiâ, ſic enim intitulantur litteræ, quæ die Mercurij ſequenti lectæ fuerunt apud Deputatos, & continebant, quòd dicti Rex & Regina receperant litteras dictæ Congregationis exhortatorias veniendi, vel mittendi Conſtantiam pro vnione Eccleſiæ, cui rei adhuc vacare non potuerant obſtante morte Regis Aragonum Tutoris Regis Caſtellę, qui Regnum Caſtellæ, & Regem gubernabat, ſed in proximo tempore mitterent ad Conſtantiam ſuos Nuntios ſolemnes ſuper intentione ipſorum Regis & Reginæ plenè inſtructos. Præfatę autem litterę lectę ſolùm fuerunt apud Deputatos, & non in Concilio, neque in Nationibus, & Collegio Cardinalium, quamquàm in Deputatis fuerunt aliqui Cardinales. Fuerunt dictis Regi & Reginæ reſcriptæ reſponſales litteræ nomine Concilij, & ſub Bullâ, non tamen expeditæ per Concilium . . .

In-

Legati Regis Aragonum nolunt ſe vnire Concilio Conſtantienſi, niſi poſt aduentum Legatorum Regis Caſtellæ.

Interim per menſem vſque ad finem Septembris eſt actum per aliquos Deputatos cum Legatis Regis Aragonum, quòd vellent ſe vnire cum Concilio, & cætera facere, quæ in capitulis præſcriptis concordatis Narbonæ continentur, quia Legati multis rationibus inſtiterunt, quòd expectarentur Legati Caſtellæ, & ſuper hoc inter partes per menſem diſceptatum, & nihil concluſum . . .

Iidem Legati Regis Aragonum offerunt ſe vnire, nolunt tamen agnoſcere Concilium eſſe Generale, neque agi de rebus ad Concilium Generale ſpectantibus ante aduentum Legatorum Caſtellæ.

Poſt hæc Legati Regis Aragonum dixerunt, quòd vellent ſe vnire Concilio, non tamen reputare eſſe Generale Concilium, neque agi de rebus Concilij Generalis, donec venirent Legati Caſtellæ.

Litteræ Proregis Scotiæ ad Congregationem in Conſtantia *datæ* 4. *Nouembris* 1416., *quas Nūtius attulit* 12. *Ianuarij* 1417.

Die Lunæ auditus eſt in loco ſeſſionis Nuntius miſſus ad Scotiam ad inuitandum & exhortandum Regem Scotiæ, qui tamen captiuus tenebatur à Rege Angliæ, (iam 12. vel circà annis detentus fuit) & Ducem Albaniæ Gubernatorem Regni ad mittendum ad hoc Concilium, & procurandam vnionem Eccleſiæ, & erat Nuntius de Ordine Prædicatorum Baccalaurius in Theologiâ Natione Scotus, & retulit litteras dicti Ducis Albaniæ Gubernatoris Scotiæ, quibus reuerenter, & per

ver-

Hic deeſt aliquid.

verba ſingularis numeri affectum habere ad vnionem Eccleſiæ, & ſe recommendat Concilio, quod vocat Congregationem in Conſtantiâ, & pollicetur ſe miſſurum Legatos cum plenâ poteſtate ad omnia, quæ ad vnionem Eccleſiæ pertinebunt. Forma verò litterarum talis eſt.

Reuerendiſſimi, Reuerendique Patres, Doctores egregij, ſpectabiles Domini, cæterique deuoti Viri pro vnione S. Matris Eccleſiæ in Ciuitate Conſtantienſi congregati, quorum omnium cor vnum, & anima vna in Domino. Qui igitur &c.

I I.

De proteſtatione, quam fecerunt Cardinales contra Decretum ſeſſionis decimæ quartæ de non eligendo ſine aſſenſu Concilij Pontifice.

Anno 1417.

† periculum

Vbi Nationes ceperant agere de materia reformationis, Cardinales ſtatim arripiunt materiam electionis, & ne obeſſet Decretum ſeſſionis 14. de non eligendo Pontifice

His diebus poſt eiectionem Petri de Lunâ, infra decem dies, Cardinales attendentes Conſtitutionẽ, Vbi † maius. de electione in 6. & alia Iura, & etiam Decreta Concilij ſuper electione Papæ hâc vice, per quæ Concilium decreuit electionem

nem fiendam modo, & formâ, loco, tempore, & materiâ per Concilium ordinandis, & pœnas terribiles imponit contrarium facientibus, ſuſpenditque omnia Iura poſitiua in illâ materiâ. Licèt dicti Cardinales non reputarent illa Decreta valere propter opiniones Doctorum ita dicentium; noluerunt tamen illa publicè impugnare, neque ſtatim vti Iure ſcripto in electione Papę: ſed deſiderantes, quòd electio fieret in concordiâ totius Concilij; quia tamen rerum euentus incertus eſt, & multa machinantur occultè in facto electionis, noluerunt tacitè, vel expreſsè renuntiare Iuri ſcripto. Propter quod fecerunt proteſtationes in omnibus Nationibus mitiores, quàm potuerunt, per quas poſſet Ius eorum conſeruari, & nullus de Concilio deberet exaſperari, aut commoueri: & fecèrunt in formâ ſequenti.

niſi cum conſenſu Concilij, contra Decretum illud proteſtantur apud omnes Nationes.

Proteſtatio Cardinalium.

Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales non volentes per infraſcripta, vel dicenda, reformationem Eccleſię impedire quomodolibet, vel differri, attendentes, de pręſenti Romanam Eccleſiam vacare, & apud om-

omnes vacari cenſeri, cuius diuturna vacatio damnoſa plurimùm, & periculoſa exiſtit, vniuerſumque populum Chriſtianum futurum Summum Pontificem ingentibus deſiderijs expectare, ſe paratos offerunt ad omnia facienda, quæ ipſis pro electione Romani Pontificis ſiuè de Iure ſcripto, ſiuè ex oblatione modi electionis per eos Sacro Concilio factâ, aut alias quocumque modo faciendâ incumbunt, & dicunt, quòd per eos non ſtat, neque ſtabit, quò minùs omnia illa debito tempore faciant, & illa facerent, ſi nulla eis fuiſſent & eſſent, prout fuerunt & ſunt oppoſita obſtacula, propter quæ illa faciendi non habent liberam facultatem, prout de Iure habere deberent. Et hæc dicunt & offerunt, ne quid eis negligentiæ, vel defectus circà electionem prædictam valeat imputari, aut præiudicium generari. Rogant autem & exhortantur, quòd ad reformationem prædictam taliter procedatur, quòd prætextu illius negotium electionis non impediatur, aut diù differatur. Et hæc ego Procurator dictorum Reuerendiſſimorum Dominorum Cardinalium, & illorum nomine veſtris Paterni-

nitatibus, & Dominationibus intimo, offero, exhortor, & rogo, & hæc intimarem toti Concilio, ſi poſſem illud reperire congregatum.

Dictam proteſtationem fecerunt in qualibet Natione per duos Cardinales, & Procuratorem, cum duobus Notarijs Nationis Italicæ: in Gallicanâ tamen fuit Notarius Ioannes Hucardi Notarius illius Nationis.

III.

Alia proteſtatio ex parte trium Nationum, ac etiam Collegij Cardinalium.

Die 11. *Septembris* 1417.

Audite hæc omnes gentes, auribus percipite, qui habitatis Orbem, & attendat vniuerſa fidelium Eccleſia, quæ iam quadraginta annis in deſerto ſchiſmatis & diuiſionis inter ſe ſub diuerſis Ducibus velut Eccleſię Capitibus manſit afflicta, quę cùm in hoc Sacro Generali Concilio Conſtantienſi terram promiſſionis intraſſe crederetur, & iam ſublatâ Capitum pluralitate monſtruosâ, membriſque corporis Ec-

Poſt varias altercationes pro Deputatis in materia electionis, Cardinales, & 3. Nationes hanc proteſtationem emiſerunt die 11. Septembris, eamque, non obſtante Germanorum, & aliorum Regi Romanorũ adhærentium tumultu, legit in Eccleſia Conſtantienſi Cardinalis Piſanus.

cleſiæ iam in vnum reductis, corpus ipſum Eccleſiæ per vnius Capitis aſſumptionem, vnici videlicet Paſtoris, & Vicarij Ieſu Chriſti perfectè reintegrari ſperet, & Sponſam Sponſi ſui thalamum introire quietis & pacis, oblatâque iam & apertâ viâ planâ per Dominos S. Romanę Eccleſiæ Cardinales, per quam verus & indubitatus Sponſus Eccleſiæ Chriſti Vicarius haberi poterat; videlicet quòd ad eligendum Summum Pontificem aliqui de ſingulis Nationibus cum Cardinalibus per Sacrum Concilium deputarentur, quorum tamen numerus Cardinalium numerum non excederet, & aliàs prout in cedulâ oblatâ ſuper hoc continetur. Ecce iam Sponſa lugente differtur, ecce nouę diſcordiæ, & ab illâ viâ planâ deuię ſuſcitantur. Licèt enim illa via per Dominos Cardinales omnibus in hoc Sacro Concilio Nationibus, & Congregationibus, quæ per Nationes fiunt, oblata extiterit, & tres Nationes Italiæ videlicet, Galliæ, & Hiſpaniæ, quæ faciunt multò maiorem & ſaniorem partem Concilij, & vltra dicti Domini Cardinales illam acceptauerint, & iuſtam, ſanctam, & ad perfectam vnionem

Romanus Pontifex Caput & Paſtor Eccleſiæ, ac Ieſu Chriſti Vicarius.

nem

nem Eccleſiæ efficacem reputauerint, & reputent: iſta tamen Natio Venerabilis Germaniæ ſuper hoc ſæpiùs interpellata reſpondere noluit, imò reſpondere iam tribus menſibus diſtulit. Conſiderantes autem præfati Sanctę Romanę Eccleſiæ Cardinales, qui pręfatam viam obtulerunt, & dictæ tres Italiæ, Galliæ, & Hiſpaniæ Nationes, & attendentes Eccleſiam apud omnes vacare, & iam diù vacauiſſe, quàmque ſit periculoſa, quàmque damnoſa Sedis Apoſtolicę, ac Vniuerſalis Eccleſiæ pręſens vacatio, & quòd propter communia & nota pericula, atque damna ſpiritualia, tamen maiora & periculoſiora his temporibus imminent, renouandi videlicet deterioris, & penè inſanabilis ſchiſmatis, cùm vulnus iteratum tardiùs ſanatur, eò maximè quòd Clerus, & populus nonnullorum Regnorũ, & Prouinciarum nondum ſolidè & clarè huic Sacro Concilio adhęſerint, ſed vt communiter fertur, expectant fiendæ electionis Summi Pontificis euentum, vt ſi electus fuerit canonicè, illi obediant, aliàs non. Nec non etiam, quòd quorumdam, qui eidem Concilio adhæſerunt, propter rumores diſcordiarum, &

Quàm damnoſum fuerit Sedi Apoſtolicæ, & Vniuerſali Eccleſię electionem vnius, veri, & indubitati Pontificis differre.

Quòd Clerus & populus nonnullorum Regnorum nondùm ſolidè Concilio adhæſerint, & plures ex ijs, qui adhæſerant, ob diſcordias in Concilio exortas cœperint de eius fide vacillare, & periculum fuerit, ne Romæ alius Pontifex crearetur.

quaſi impreſſionum, quas in eodem Concilio fieri audiunt, fides iam de eodem Concilio dicitur vacillare. Ob quæ iam ſcriptum & relatum eſt à pluribus Magnatibus, & alijs zelatoribus pacis & vnionis Eccleſiæ, in Italiâ plurimùm dubitari, ne in Vrbe Romanâ prætextu rumorum, & dilationis prædictorũ aliquis pro Summo Pontifice aſſumatur, cui forſan præmiſſis attentis tota Italia obediret. Attendendo etiam, quòd durante vacatione huiuſmodi Vrbs Romana, & totum eiuſdem Eccleſiæ patrimonium à tempore depoſitionis & renunciationis olim Ioan. XXIII. per Tyrannos occupantur. Vos pręfatam Venerabilem Nationem Germaniæ, ſingulaque eius ſuppoſita pluriès & inſtanter exhortati ſunt, & requiſiuerunt, quatenùs attentis prædictis periculis Eccleſiæ Sanctæ Dei, velletis per vos, vel Deputatos veſtros cum dictis tribus Nationibus Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, & Cardinalibus ſuper modo futuræ electionis, maximè de electoribus tractare, agere, & conuenire, vt ſuper hoc per Sacrum Concilium ordinato ad Summi Pontificis electionem procederetur tempore opportuno, quod

fa-

facere, & ſuper hoc reſpondere iam multis diebus diſtuliſtis, & non feciſtis, licèt aſſeratis, ſine veſtro conſenſu & ordinatione Concilij ſuper modo, formâ, loco, tempore, & materiâ ad dictam electionem non poſſe procedi, obſtantibus quibuſdam huius Concilij Decretis, quibus nos Hiſpanica Natio, etiamſi aliàs valida exiſterent, non ligamur.

Germanis tuentibus Decretum ſeſſionis 14. de non eligendo Pôtifice ſine conſenſu Concilij, reſpondet Natio Hiſpana, ſe illo Decreto non teneri, quiá non adfuerat, cùm ſtatueretur.

Et quia procedente tempore etiam prǫfata pericula atque damna ſemper augentur, & noſtris foribus aſſiſtunt, Nos Deputati ex parte & nomine 3. Nationum prædictarum, Italiæ, Galliæ, & Hiſpaniæ, atque Sacri dictorum Dominorum Cardinalium Collegij, & noſtro, ac omnium his adhǫrere volentium de præſenti vel in futurum, vos Nationem prędictam Germanię, & veſtra ſingula ſuppoſita exhortamur, & requirimus, iterùm ac tertiò monemus, exhortantur, requirunt, & monent tres Nationes, & Cardinales prædicti per viſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti, per aſperſionem ſui pretioſi Sanguinis, cuius pretio hanc ſuam redemit Eccleſiam, quæ iam eſt in tantis periculis conſtituta, velitis per vos, vel Deputatos aut deputandos

à vo-

à vobis cum alijs Nationibus, & Cardinalium Collegio, vel cum Deputatis aut deputandis ab illis de modo fiendæ electionis, & maximè de materiâ quantum ad electores celeriter, & ſine moræ diſpendio tractare, concurrere, conuenire, & concordare ad vitanda prædicta pericula, vt in tantâ concordiâ fiat electio, quòd in eâ concordet totus populus Chriſtianus.

Grauiſſima trium Nationum, & Collegij Cardinalium contra Germanos proteſtatio, qua omnia mala ipſis imputari debere affirmat, ſi Eccleſia ſine Capite maneret, & ſchiſma renouaretur.

Proteſtamur autem nomine quo ſuprà, & obteſtamur, proteſtantur & obteſtantur tres Nationes, & Cardinales prædicti Deum Patrem Omnipotentem, Filium, & Spiritum Sanctum, omnes Sanctos, ac Virtutes Cælorum inuocantes ſuper vos Cælum, & terram. Quòd ſi deinceps Eccleſiam ipſam Sanctã Dei pro carentiâ Summi Pontificis canonicè eligendi, ſeù prætextu dilationis, & moræ electionis ipſius, ſeù fiendæ ordinationis, modi electionis eiuſdem, aut aliàs detrimenta, aut damna aliqua, vel pericula in ſpiritualibus, vel temporalibus incurrat, nihil eiſdem tribus Nationibus, & Collegio Cardinalium, aut earum alteri, vel ſuppoſitis ipſorum, & ipſarum, ac his conſentientibus valeat imputari, ſed ſuper his ſint & habeantur

in-

inſontes; ſed vobis Nationi Germaniæ, & veſtris ſuppoſitis poſſit & debeat meritò imputari. Cùm ſi ante dictam prouiſionem Eccleſiæ de Paſtore, aut ſaltem modi electionis illius, ſuppoſitis huius Concilij Decretis, quibus omnia Iura circà electionem Summi Pontificis edita dicuntur eſſe ſuſpenſa, ex quo ſequeretur, Eccleſiam Dei eſſe ſine Capite, & ſine Lege, & ordinatione electionis Summi Pontificis, hoc Concilium caſu aliquo diſſoluetur, prout iam multæ cauſę timentur imminere, Eccleſia in periculo remaneret, quia vix numquam Summus Pontifex indubitatus poſſet haberi, quia vix congregaretur indubitatum Concilium deficiente Capite, ad quod pertinet conuocare.

Nota.

Concilium indubitatum non eſſe, niſi à Summo Pontifice conuocetur.

Proteſtantur etiam de proſecutione legitimâ ſuper damnis atq; detrimentis prędictis, & alijs aduerſùs illos, per quorum culpam contingerent, præſertim cùm ſecundùm plurium Doctorum Iuris Diuini & humani opiniones, talis moroſa dilatio procedendi in negotio electionis Papæ, præſertim ordinationis modi electionis eiuſdem ſine causâ rationabili, non caret ſcrupulo fautoriæ ſchiſmatis. Nullam autem

tem

Ratio Nationis Germanicæ, quòd ante electionem Pontificis debeat fieri reformatio, exploditur à tribus Nationibus, & Collegio Cardinalium, qui oſtendunt ex eodem fundamento, quòd priùs debeat agi de electione.

tem omninò cauſam, imò nec occaſionem habere videtur dicta Natio, & eius ſuppoſita differendi præmiſſa, nec vllam cauſam allegant, niſi quòd ante electionem fiat reformatio: quæ cauſa nulla eſt, quoniam & fieri reformationem dictę tres Nationes, & Cardinales volunt, & cupiunt, prout iam ad hoc ſuos cum cæteris Nationibus Deputatos dederunt, qui ad hoc agunt, & illis agentibus poteſt etiam eodem tempore agi de modo electionis Sũmi Pontificis, prout eidem Nationi ſæpè fuit expoſitum, & petitum. Prętereà ſi reformatio fienda eſt de deformatis; quæ maior eſt, & eſſe poteſt in corpore deformitas, quàm carere Capite, & Acephalum eſſe? Illa igitur prior tamquam magìs neceſſaria debet eſſe reformatio, quæ corpus ipſum ad Caput reformet, & informet; & contrarium aſſerere, vel facere, non videtur eſſe ſecurum. Allegant prætereà, quòd agere de modo electionis ante reformationem, eſſet contra Decreta Concilij, & Capitula Narbonæ concordata. Iſta, ſaluâ dicentium reuerentiâ, non ſunt in re: nulla enim Decreta contradicunt, imò volunt contrarium. In omnibus enim locis, vbi

Nota, Corpus Eccleſiæ etiam congregato Concilio Acephalum eſſe, ſi non ſit Papa.

Decreta Concilij & Capitula Narbonæ concordata volunt, quòd priùs agatur de electione, & vnà cum Pontifice fiat reformatio Eccleſiæ.

vel

vel Concilium, vel dicta Capitula de agendis in iſto Concilio loquuntur, ſemper præponunt vnionem, quæ vnio nec eſſet, nec dici poteſt perfecta, niſi Eccleſia vnum Caput Miniſteriale habeat, cui corpus Eccleſiæ vniatur. Duplex enim ſecundùm Sacros Doctores eſt vnio Eccleſiæ: vna membrorum inuicem, quæ iam creditur eſſe facta; * altera membrorum ad Caput, vt conſtituatur corpus integrum & perfectum, & iſta non eſt facta, igitur primo loco fienda. Prætereà ſi ex ordine litteræ Capitulorum Narbonenſium arguitur, proprium, & principale Capitulum illorum Capitulorum ſuper iſtâ materiâ, & quid, & qualiter eſſet agendum in iſto Concilio, ponit ordinem, quòd agatur de eiectione Petri de Lunâ, de electione Summi Pontificis, & de reformatione Eccleſiæ in Capite & in membris, & ita electio præponitur. Prætereà eâdem ratione priùs ageretur de reformatione membrorum, quàm Capitis, quia in eodem ordine ponuntur, quod vſque ad annum, imò ſine Summo Pontifice numquam eſſet factum, nec poſſe fieri videtur. Nec iuuare poteſt dilationem, quod dicitur, Sereniſ-

* *In vno Codice M. S. additur* licet dubia per prætacta remaneat

niſſimum Romanorum Regem, & aliquos Cardinales, & Prælatos alios, aut Doctores aliarum Nationum eidem Nationi adhærere: cùm ad præfatum Sereniſſimum Romanorum Regem præmiſſa tractare, aut differre non pertinet, cuius magìs intereſt pro ſuo honore electionem Summi Pontificis, quæ erit ſumma perfectio vnionis, accelerari, quàm tardari. Cardinales autem, atque Prælati, & alij, ſi qui illi Nationi in præfatâ dilatione adhærere dicuntur, certè non illi Nationi, ſed dicto Domino Regi adhærent, quem in ſuis votis ſequuntur, & illi aſſentiunt, & tamen pauciſſimi ſunt. De Cardinalibus enim ſunt ſolùm duo, qui licèt in toto prçſenti Cardinalium Collegio ſunt viginti quatuor, illi duo ſoli à cæteris, & tanto ac tam graui Collegio, in quo ſunt tanti Patres, ſe minùs honeſtè, ac magnâ eorum verecundiâ ſegregant; qui ſi partes tanti Collegij eſſe merentur, videant, ne turpes dici poſſint, quę ſuo non congruunt vniuerſo. Cæteri verò Prælati, & alij de tribus Nationibus, qui adhærere dicuntur, non illi Nationi adhærent, ſed vt præmittitur, dicto Domino Regi, & in rebus Eccleſiaſticis

Ad Regem Romanorum non pertinet tractare de his rebus, neque ipſius eſt differre materiam electionis.

Prælati, qui ſe electionis acceleratione opponebant, id ſolùm fecere ad gratificandum Regi Romanorum.

cis, & ſpiritualibus Regem ipſum, & eius vota relictis Prælatis, & perſonis Eccleſiaſticis pro ſuæ voluntatis libito ſequuntur, & aſſentiunt illi. Attento autem modo agendi in iſto Concilio per Nationes, & quòd vnuſquiſque ſtat in ſuâ Natione in eâ ſuper propoſitis dicturus ſententiam, ſingulariter & præſumptuosè incedentes ſe inhoneſtè à ſuis ſegregant Nationibus, nec debent alibi vllam vocem, vel auctoritatem habere, imò à dictis duabus Nationibus, de quibus nec membra, nec partes ſunt, repelli. Nulla igitur cauſa ſubeſt differendi tractatum ſuper modo futuræ electionis, qui ſi per prædictam Venerabilem Nationem vlteriùs plus debito differatur, proteſtamur nomine dictarum trium Nationum, & Collegij Cardinalium, & proteſtantur eædem Nationes, & Collegium de prouidendo Eccleſiæ Dei per remedia opportuna, maximè cùm præter Collegium Cardinalium, ad quod de Iure ſcripto magìs pertinet electionis prædictę materia, dictæ Nationes tres, & multò magìs cum dicto Cardinalium Collegio multò maiorem partem & ſaniorem huius Sacri Concilij faciunt, & maiorem

Collegium Cardinaliũ cùm tribus Nationibus faciunt maiorem & ſaniorem partem Concilij.

partem Vniuerſalis Eccleſiæ repręſentant.

I V.

Quænam hanc Proteſtationem conſecuta ſint.

Ex præmiſſis Congregationibus, lecturâ, & propoſitione Rex, & Natio Germanica plurimùm turbati fuerunt. Credebat enim Rex, quòd in illâ Congregatione* multa, multòque duriora fierent, quia credebat, quòd illæ duæ Nationes, & Cardinales vellent recedere, & plura alia, quę numquam cogitauerant, facere. Item fuit relatum Regi, & Nationi Germanicæ, quòd in illâ ſcripturâ, lecturâ, & propoſitione fuerant vocati Hæretici, & Schiſmatici, de quo nihil erat, quamquàm plures dicant, quòd cum ille Patriarcha Antiochenus & alij recederent de Eccleſiâ, & Congregatione, vnus dixit: Recedant Hæretici. Ex his multa machinamenta facta ſunt, & fuit ſecretè mandatum, & dictum pluribus Cardinalibus per ſuos amicos, quòd Rex habebat armatos, & diſpoſuerat capere principales Cardinales, & alios: & creditur eſſe verũ. Receſſerunt autem Legati Caſtellæ, & Na-

uar-

* *In M.S. Cod. addebatur*: Et lectura de die Sabbati.

Magna animorũ turbatio orta in Natione Germanica ex prædicta Proteſtatione.

uarræ præter aliquot Doctores, qui remanſerunt, ſed nulli ex illis potuerunt tranſire vltra vnum milliare, prohibiti per Regem vltra tranſire.

Poſt plura alia in ijſdem Geſtis ſequitur.

His diebus magnus terror & turbatio erat in Concilio: fama enim erat communis, & multi ſcientes de conſilijs Regis & adhærentiũ ſibi, dixerunt amicis, quòd Rex proponebat, & deliberauerat aliquandò capere omnes Cardinales, & poſteà reſtrinxit ad ſex; & conſequenter poſuit octo, & alios Prælatos, & illi erant de Notabilioribus proſcripti, vt ducerentur ad diuerſa loca. Sed Cardinales & alij, de quorum etiam proſcriptione dicebatur, conſtantes ſteterunt, nec obmiſerunt loqui & proſequi, quæ iuſta eis videbantur. Cauſa autem odij Regis in eos dicebatur, quòd Rex volebat habere Papam ad voluntatem ſuam, & illis ſtantibus non poterat.

Rex Romanorum deliberat de capiendis nonnullis Cardinalibus, & Prælatis, qui conſtantes ſteterunt in acceleradã materia electionis.

Et poſt alia.

Patriarcha Antiochenus, Archiepiſcopus Mediolanenſis, Epiſcopus Adrienſis, & duo

Car-

Nonnulli dimittunt Regem Romanorũ, & adhærent Collegio Cardinalium & tribus Nationibus.

Cardinales Bononienſis, & Senenſis, & alij de Galliâ & Italiâ, qui adhæſerant Regi, dimiſerunt Regem, & Rex dimiſit eos, & ſunt reuerſi ad ſuas Nationes, & obtulerunt Cardinalibus eſſe cum eis, qui fuerant hoſtes eorum. Antiochenus autem multùm viſus eſt adhęrere Cardinalibus, & in Congregationibus Deputatorum ingerebat ſe non deputatus, nec requiſitus: tentauit reſtitui Nationi ſuæ Gallicanæ, ſed nullus audebat proponere in Natione, ne contra eum clamaretur.

Regem Romanorũ dimittit etiã Natio Anglicana: vnde Natio Germanica petens cautionem de fienda reformatione poſt electionem Pontificis ſub pœna irritationis, pro reſponſo accepit, quòd Papa electus ligari non poteſt.

Rex autem, qui pro concordiâ Cardinalium credebatur velle accelerare materiam electionis, iterùm retroceſſit, & recepit materiam reformationis, & ſemper fuit in Concilio, magna controuerſia. Quatuor enim Nationes, Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, & Angliæ, quæ ad mandatum Regis Angliæ dimiſit in illâ materiâ Regem Romanorum, & Collegium Cardinalium, inſiſtebant accelerationi electionis; Rex & Natio Germaniæ, quòd reformatio præcederet. Et tandem dicta Natio petiuit aſſecurationem, & cautionem per decretum irritans, quòd poſt electionem Papæ fieret reformatio ante coronationem Papæ, & adminiſtrationem aliquam

quam: poſteà fuerunt factę diuerſæ formæ Decreti ad hoc: tandem fuit dictum, quòd Papa electus ligari non poterat. Et ſemper agebatur per Deputatos Cardinalium, & Nationum omnium de concordando Articulos reformationis. Sed pauci & vix poterant concordari: vna Natio volebat vno modo, alia alio; & diu fuit laboratum, & parùm actum.

His pendentibus venerunt noua, quòd Epiſcopus Vinctonienſis in Angliâ patruus Regis Angliæ erat in Vlmâ ad duas dietas de Conſtantiâ, & quòd ibat in Ieruſalē, & fuit per Anglicos ſignificatum Cardinalibus, & perſuaſum, quòd multū afficiebatur vnioni Eccleſiæ, & quòd ſcriberent ſibi, quòd veniret Conſtantiam, quòd faceret cum Rege Romanorum quidquid vellet; quod fecerunt. Rex etiam ſcripſit, & iuit ad illum Epiſcopus Lichefeldenſis, & adduxit eum Conſtantiam in habitu peregrini cum cruce, & ſic intrauit, & ſtetit in Conſtantiâ pluribus diebus: & iuerunt ſibi obuiàm Rex & tres Cardinales. Tractatum eſt per Cardinales, & Deputatos omnium Nationum, paucos tamen, cum Rege per medium illius Vinctonienſis, & finaliter deuentum ad hoc,

Mediante Epiſcopo Vinctonienſi Patruo Regis Angliæ concordia inita inter Nationes, quod pręmitteretur materia electionis, & ederetur Decretum de fienda reformatione per futurum Pontificem ſine vllius pœnæ mentione.

hoc, quòd daretur per Decretum Concilij in formâ infraſcriptâ cautio de fiendâ reformatione poſt electionem Papæ, & expedirentur capitula reformationis concordata per omnes Nationes, & darentur Deputati ad ordinandum modum electionis. Forma autem cautionis & Decreti prædictorum talis eſt.

Decretum editum ſeſſ. 40.

Sacro-ſancta &c. ſtatuit & decreuit, quòd futurus ſummus Pontifex per Dei gratiam, & pro primo aſſumendus cum hoc Sacro Concilio vel deputandis per ſingulas Nationes debeat reformare Eccleſiam in Capite & Curiâ Romanâ ſecundum æquitatem & bonum regimen Eccleſiæ, antequàm hoc Concilium diſſoluatur, ſuper materijs Articulorum, videlicet.

Tam ex MM. SS. quàm editis Codicibus Articuli Reformationis Iudicio ſummi Pontificis reſeruati.

30. *Octobris* 1417.

Articuli reformationis futuri Pontificis iudicio reſeruati, ad quos omnes preterquā

1. Primo de numero, qualitate, & Natione Dominorum Cardinalium.
2. Item de reformationibus Sedis Apoſtolicæ.

3. I-

3. Item de Annatis, & communibus ſeruitijs, & minutis.

ad Articulum 2. & 8. Martinus V. reſpondit, vt ex infrà dicendis conſtabit.

4. Item de Collationibus Beneficiorum, & gratijs expectatiuis.

5. Item de confirmationibus electionum.

6. Item de cauſis in Romanâ Curiâ tractandis vel non.

7. Item de appellationibus ad Romanam Curiam.

8. Item de Officijs Cancellariȩ, & Pœnitentiariæ.

9. Item de exemptionibus, incorporationibus tempore Schiſmatis factis.

10. Item de Commendis.

11. Item de fructibus medij temporis, &c.

12. Item de non alienandis bonis Romanæ Eccleſiæ.

13. Item propter quæ, & quomodo Papa poſſit corrigi, vel deponi.

14. Item de extirpatione Simoniæ.

15. Item de diſpenſationibus.

16. Item de prouiſione Papæ, & Cardinalium.

17. Item de Indulgentijs.

18. Item de Decimis.

Hoc adiecto, quòd factâ per Nationes deputatione prædictâ liceat alijs de licentiâ Papæ liberè ad propria remeare.

Ex duobus Manuſcriptis Codicibus, vno Bibliothecæ Vaticanæ, altero Palatinæ, Martini V. reſponſum ad articulos reformationis. Anno 1418. circa menſem Februarij.

De numero, & qualitate Dominorum Cardinalium, & modo promotionis eorum.

Correſpondet primo Articulo reformationis ſuprà.

Statuimus, vt deinceps numerus Cardinalium S. R. E. adeò ſit moderatus, &c. *vt apud Labbeum in Appendice Conſtantienſis Concilij ex Codice Capranicenſi, & in Diſſertatione meâ Antuerpienſi ex Manuſcriptis Codicibus in titulo indicatis.*

De prouiſionibus Eccleſiarum, Monaſteriorum, Prioratuum, dignitatum, & aliorum beneficiorum.

Articulis quarto, & quinto.

Sanctiſſimus D. N. Papa Martinus V. ſuper prouiſionibus Eccleſiarum, &c. *vt apud Labbeum.*

De

De Annatis rubricâ.

Pro ſuſtentatione Summi Pontificis, &c. *vt apud Labbeum.* *Articulo tertio.*

De cauſis tractandis in Romanâ Curiâ, vel extrà.

Cauſæ, quæ ad forum Eccleſiaſticum de Iure, &c. *vt apud Labbeum.* *Articulis ſexto & ſeptimo.*

De exemptionibus.

Attendentes, quòd à tempore obitus felicis recordationis Gregorij Papæ XI. &c. *vt apud Labbeum.* *Articulo nono.*

De Commendis.

Item Dominus Noſter Papa ordinauit, quòd &c. *vt apud Labbeum.* *Articulo decimo.*

De fructibus medij temporis.

Item Sanctiſſimus D. N. Papa fructus, & prouentus; &c. *vt apud Labbeum.* *Articulo vndecimo.*

De non alienandis, & alienatis rebus Eccleſiaſticis.

Volentes Eccleſiarum indemnitatibus prouidere, &c. *vt apud Labbeum.* *Articulo duodecimo.*

De quibus cauſis Papa &c.

Non videtur, prout nec viſum fuit in pluribus Nationibus, circa hoc aliquod nouum ſtatui, vel decerni. *Articulo decimo tertio, & nunc primùm ex MM. SS. Codicibus accedit.*

De Simoniacis.

Multæ propter Simoniacam prauita- *Articulo decimo quarto.*

tem olim ab Ioanne factæ ſunt Conſtitutiones, &c. *vt apud Labbeum.*

De diſpenſationibus.

Articulo decimo quinto. Quoniam Beneficia propter officia conceduntur, &c. *vt apud Labbeum.*

De prouiſione Papæ, & Cardinalium.

Articulo decimo ſexto. Romano Pontifici, & S. R. E. Cardinalibus pro illorum ſuſtentatione, &c. *vt apud Labbeum.*

De Indulgentijs fiat Decretum.

Articulo decimo ſeptimo. Cauebit D. N. Papa in futurum nimiam Indulgentiarum effuſionem, ne vileſcant, &c. *vt apud Labbeum.*

De Decimis, & alijs oneribus Eccleſiaſticis.

Articulo decimo octauo. Præcipimus & mandamus Iura, quæ prohibent, &c. *vt apud Labbeum.*

Ex Regeſto authentico variorum Martini V. eius Bulla confirmatoria Actorum contra hæreſes.

Die 22. Februarij 1418.

MArtinus &c. Ad perpetuam rei memoriam. In eminentis Apoſtolicæ dignitatis ſpeculâ ſuperni diſpoſitione con-

conſilij conſtituti inter ſollicitudines aliàs innumerabiles noſtris humeris incumbentes, aſſiduâ curâ reuoluimus, & in votis noſtris gerimus deſideranter, vt fides Catholica, quæ Chriſtianæ Religionis firmiſſimum eſt fundamentum, noſtris proſperetur temporibus, ac à contagioſis hæreticorum dogmatibus, quibus illam quaſi tenebroſi fumi caligine obfuſcare ſatagunt, conſeruetur, hæreticaque prauitas de finibus fidelium extirpetur, ne innoxij, & religione huiuſmodi inſigniti, huiuſmodi dogmatibus, inſtigante etiam ſatore malorum operum infici valeant, & inuolui. Sanè cùm dudùm damnatæ memoriæ Ioannes Hus de Bohemiâ, & Hieronymus de Pragâ hæreſum quondàm nefandæ memoriæ Ioannis Wicleff de Angliâ pertinacis Hæretici reprobi ſectatores puritatem atque ſplendorem ipſius Fidei, nec non immaculatam Eccleſiam Domini noſtri Ieſu Chriſti Sponſam vulpinâ calliditate per diuerſas doctrinas ſacrilegas, atque errores multifarios partìm inferiùs deſignatos obumbrare, ac Regni Bohemiæ, & partium illi vicinarum incolas inficere, eiſque peſtiferum virus inferre per

tem-

tempus & tempora nequiter in ſuarum, nec non incolarum prædictorum, ac aliorum animarum periculum, & ſcandalum plurimorum molirentur, Baldaſſar tunc Ioannes XXIII. in ſuâ Obedientiâ, de quâ partes illæ fuerant, nuncupatus, volens, prout ſuo incumbebat officio, huiuſmodi doctrinas, & errores è mundi limitibus euellere, & penitùs extirpare, habitis primitùs & præcedentibus diuerſis tam Auctoritate Apoſtolicâ, quàm nonnullorum Archiepiſcoporum in ſuis Concilijs, & locis inſignibus ſuper ijs proceſſibus in Cōcilio per eum tunc Romæ celebrato ad vlteriora procedens, Libellos, Volumina, Tractatus, Libros, ſiuè Opuſcula ipſius Ioannis Wicleff doctrinas, & errores huiuſmodi continentes, de quibus infrà fit mentio, condemnauit, mandans illos, & illa publicè concremari, diſtrictiùs etiam inhibendo, ne quis Chriſti nomine inſignitus, aliquem, vel aliquos, ſeù aliqua ex dictis Libellis, Voluminibus, Tractatibus, & Libris, ſiuè Opuſculis legere, exponere, docere, vel tenere, aut illis quomodòlibèt vti, vel illos niſi in ipſorum reprobationem allegare publicè, vel occultè au-

Ioannes XXIII. in Concilio Romano damnat hereſim Ioannis VVicleff.

auderet, ac vniuerſis ipſius Ioannis Wicleff tunc defuncti memoriam, quò minùs de hæreſi damnaretur, defendere volentibus tertiũ tunc expreſſum terminum aſſignauit, & etiam in Generali Conſtantienſi Concilio ad nonnullos alios actus ſuper præmiſſis proceſſit: ſubſequentes verò poſtquam ipſe Baldaſſar tunc Ioan. XXIII. dictæ Obedientiæ præeſſe deſierat, ad audientiam præfati Conſtantienſis Concilij crebris clamoribus deducto, quòd ſupradictus Ioannes Wicleff diuerſos, & inter alios Dialogum, & Trialogum per ipſum nominatos libros, atque Opuſcula, & Volumina compoſuerat, illaque ad ſui peruerſi erroris dilatationem publicè legenda expoſuerat, in quibus inter cętera quadraginta quinque damnabiles inſeruerat, & dogmatizauerat erroneos articulos, prout Ioannes Hus, & Hieronymus ſupradicti nonnullorum Potentum, etiam ſequacium dictorum errorum protectione ſuffulti legerent, & etiam dogmatizarent, ſimplicibus primò bonum vinum ponentes, paulatìm fel Draconis in calice Babylonis perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis contra ipſius Catholicæ Fidei verita-

Concilium Conſtantienſe, eiuſque Acta & Decreta cõtra VVicleffum, Ioannem Hus, Hieronymum de Praga

tatem procaciter inſtillando, ac ignorantes Dei iuſtitiam, & propriam gloriam inaniter quærentes ſtatuere, molliendo ſuper oleum ſermones ſuos, quibus tamquam iaculis corda vulnerabant infirmorum, linguas ſuas acuendo, vt immaculatos interimerent in occulto, ex quibus multa ſcandala, atque damna, & animarum pericula in Bohemiæ ſupradicto, & Angliæ Regnis ſunt ſecuta, prædictum Conſtantienſe Concilium, quia per diligentem Inquiſitionem ſuper hoc de eius mandato factam præmiſſa, & plura alia reperit fore vera atque notoria, idcircò prædictos per eumdem Baldaſſarem tunc Ioannem XXIII., vt præfertur, habitos proceſſus approbando eoſdem quadraginta quinque articulos, ac Dialogum, ac Trialogum prædictos, & quoſcumque alios Libros, Tractatus, & Opuſcula per eumdem Ioannem Wicleff conceptos atq; factos reprobauit, nec non illos, & illa, ac memoriam ipſius Ioannis Wicleff damnauit, ipſum fuiſſe & eſſe notorium & pertinacem hæreticum, ac in hæreſi deceſſiſſe, nihilominùs declarando, nonnullorum quoquè temerariam aſſertionem aſtruere

Tractatus, Opuſcula, & articuli Ioannis VVicleff damnata.

præ-

præſumentium Euchariſtię Sacramentum ſub vtrâque ſcilicet panis & vini ſpecie à fidelibus ipſis ſumendum ſimiliter reprobauit. Et deinde poſtquàm nutu Dei, cuius incomprehenſibilia ſunt iudicia, Ioannes Hus † etiam à nonnullis murmure gerebantur, aliquorum Potentũ ſæcularium ſaluo conductu ſuffultus perſonaliter venerat, ac Hieronymus prędicatus adductus fuerat, vt conſummarentur peccata illorum, ad Conſtantienſe Concilium: ſupradictum vtique Concilium ipſum, quia ex famâ publicâ ad eos deuenerat, Ioannem Hus, & Hieronymum prædictos præfatis erroribus eſſe implicatos, ipſos carcerali cuſtodiâ ſucceſſiuè mancipari, & ibidem tamdiù teneri fecerat, quouſque ſuper pręmiſſis veritas eluceret. Tandem cùm de prædictis eſſent ſententialiter conuicti, præfatum Conſtantienſe Concilium triginta erroneos articulos dicti Ioannis Hus, nec non quemdam libellum per ipſum compoſitum, & per eum de Eccleſiâ intitulatum, qui etiam inferiùs deſcribitur, ſimiliter reprobauit; ac eumdẽ Ioannem Hus Preſbyterum priùs caritatiuè monitum, vt errores ipſius prædictos, prout de iure face-

Articulus Bohemorum de Communione ſub duplici ſpecie Conſtantiæ damnatus.

† vt

Saluus conductus à ſolis Principibus ſecularibus Ioanni Hus, & Hieronymo de Praga datus, nullum fidei Catholicæ præiudicium generat.

Articuli & Opuſcula Ioãnis Hus damnata.

re tenebatur, ſolemniter & publicè abiuraret, & reuocaret, ipſo tamen in ſuâ pertinaciâ damnabiliter perſiſtente à ſuis Ordinibus degradatum, nudatum quoquè, & priuatum omni priuilegio Clericali, de crimine hæreſis condemnauit, & nihilominùs quòd ex quouis ſaluo conductu per quemcumque ſæcularem Principem conceſſo nullum Fidei Catholicæ, vel Iuriſdictioni Eccleſiaſticæ præiudicium generetur, declarauit: & ſubſequenter dictum Concilium præfatum Hieronymum Laicum Magiſtrum in Artibus in hæreſim errorum ſuorum, quos priùs ſimiliter caritatiuis monitis in Concilio ſupradicto publicè abiurauerat, & reuocauerat, prout infrà continetur, velut canis ad vomitum reprobâ temeritate relapſum, etiam de crimine hæreſis condemnauit. Verùm quia non ſine diſplicentiâ grandi nuper ad noſtrum peruenit auditum, quòd nonnulli Ioannis Hus, & Hieronymi prædictorum, quos ſæcularis Poteſtas propter eorum demerita, & peccata ignis incendio Iuſtitiâ exigente conſumpſit, reprobi ſequaces, & aſſeclæ in profundum malorum deſcendentes fidelium animas damna-

nabiliter ſaucíantes adhuc prædictas hæreſes ſequi, ac dogmatizare non ſine Diuini nominis offenſâ, & † opprobrium Fidei † ad
ſupradictæ conantur, in huiuſmodi animarum periculum, & ſcandalum plurimorum, & nimis graue exiſteret ad exterminationem prauitatis prædictæ non agere, quòd ipſius contagioſa enormitas agendum requirit: ideò ad Dei gloriam, & eiuſdem Fidei augmentum, prout ex debito nobis commiſſi officij incumbit, ſectam deteſtabilem, & præmiſſos ipſius execrandos errores, ne propagentur vlteriùs, & corda fidelium corrumpant, extirpare, errranteſque huiuſmodi in viam veritatis reducere, ac animas eorum Deo, ſuâ nobis cooperante gratiâ lucrifacere totis conatibus affectantes, præmiſſa omnia & ſingula, nec non ea, quorum tenores inferiùs deſcribuntur, & annotantur, ad publicam notionem cunctorum fidelium præſentium, & memoriam futurorum deduci volumus per præſentes, ne quiſquam affectatam, ſeù quamuis aliam valeat ignorantiam prætendere, ſeù quęlibet allegare, ſed potiùs certitudinaliter de ijs, quæ pro extirpatione huiuſmodi

hæreſum, & errorum tam Ioannis Wicleff, quàm Ioannis Hus, & Hieronymi prædictorum hactenùs geſta fuerunt, informentur; & in primis ſiquidem ſequuntur tenores litterarum præfati Baldaſſaris tunc Ioannis XXIII. ſuper condemnatione Librorum, & Opuſculorum Ioannis Wicleff per eumdem Baldaſſarem tunc Ioannem XXIII. in Concilio per eum Romę celebrato factâ, quarum videlicet condemnationis huiuſmodi gratioſę tenor eſt talis:

Prima Bulla Ioannis XXIII. data anno 1412. 2. Febr., quæ edita eſt à Labbeo Tomo XI. Concil. circa finem, & inferiùs integrè repetitur.

Ioannes Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. In Generali Concilio inter omnes Apoſtolicę Sedis inſtantias &c. . . . .
Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, Decreti, damnationis, reprobationis, iuſſionis, inhibitionis, ſtatuti, monitionis, & aſſignationis, infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum quarto Nonas Februarij, Pontificatus noſtri anno 3. Aliarum verò ſcilicet executoriarum

rum

rum, de quibus ſuprà proximè fit mentio, litterarum tenor talis eſt:

Secunda Bulla Ioannis XXIII. in Synodo Romana data an. 1412 die 8. Februarij, & nunc primum typis edita.

Ioannes Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabilibus Fratribus, Vniuerſis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filijs electis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, & alijs Eccleſiarum & Monaſteriorum Prælatis, ac Inquiſitoribus hęreticæ prauitatis, ad quos præſentes litteræ peruenerint, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Nuper in Generali Concilio, quod adhùc in Baſilicâ Principis Apoſtolorum de Vrbe pro reformatione, & confirmatione proſperi ſtatus Vniuerſalis Eccleſiæ celebratur, eodem approbante Concilio quoſdam Libellos, vel Tractatus quondam Ioannis Wicleff, ſeù per ipſum editos, inſcriptos, & intitulatos damnauimus, & reprobauimus, & alia fecimus, prout pleniùs continetur in noſtris inde confectis litteris, quarum tenor ſequitur in hæc verba:

Prima Bulla Ioannis ſuperiùs omiſſa, hic integrè ponitur.

Ioannes Epiſcopus Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. In Generali Concilio inter omnes Apoſtolicæ Sedis inſtantias, quas ad regimen Chriſtiani populi jugiter impendit, illa videtur

tur eſſe præcipua, vt cùm aliquam doctrinam ſuboriri ſenſerit, quæ oculos Diuinæ Maieſtatis offendere,& graue in ſe periculum animarum continere poſſit, eam, ne propagetur vlteriùs, & per eum mentes fidelium damnabiliter capiantur, mox ſtudeat extirpare. Cùm ergo in nonnullis mundi partibus quidam curioſi ea diſcere atque docere, non quæ ad animarum ſalutem & augmentum Fidei, ſed ad ſuum faſtum ampliandum, & Catholicæ Fidei ſubuerſionem cedunt, quoſdam Libellos, ſeù Volumina, vel Tractatus, & Opuſcula, quæ dicuntur Ioannis Wicleff (videlicet Dialogum, Trialogum, & alios plures Libros, quos præſentibus haberi volumus pro expreſſis, nomine dicti Ioannis Wicleff inſcriptos, & intitulatos) non ſolùm in Scholis frequentare, ſed etiam ad populum in ſermonibus exponere nitantur, in quibus Libellis, Voluminibus, ſeù Tractatibus, multa hæretica dogmata, multique continentur errores, & in fide minùs rectè ſonantes, per quos ſimplices & indocti à veritatis tramite deuiare, experti verò atque docti nimiùm ſcandalizari perhibentur, quæ ad noſtram, & huius Sacri

Con-

Concilij deducta ſunt publicam notionem: Nos, vt ex iniuncti nobis Paſtoralis officij debito tenemur, volumus in ijs, quantum cum Deo poſſumus, occurrere animarum periculis, ne (quod ait Apoſtolus) varijs & peregrinis doctrinis Chriſti fideles in deuium abducantur, quos etiam ſummâ curâ Saluator admonuit, vt cauerent à fermento Phariſæorum, cuius rei perniciosiſſimam peſtiferamque malitiam optimo fermenti manifeſtat exemplo. Nam veluti fermentum, teſtimonio Apoſtoli, totam maſſam corrumpit, ſic hæreticorũ falſa doctrina omnem Catholicam eruditionem, cui admiſcetur, veluti rabidum venenum, niſi occurratur, inficeret. Quam etiam doctrinam, abominationem deſolationis idem Saluator appellauit, dicens: *Cùm audieritis abominationem deſolationis:* quem locum Doctor Sacer Hieronymus exponens, abominationem dicit poſſe intelligi omne dogma peruerſum. Volentes autem in præmiſſis, licèt notoria ſint, maturè procedere, & omne ſcrupuloſitatis dubium amputare, certis ex Venerabilibus fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, atque nonnul-

Marci 13.

nullis Epiſcopis, Sacræ Theologiæ, Vtriuſque Iuris Profeſſoribus, & alijs commiſimus de præmiſſis requirere, & negotium huiuſmodi diligenti examinatione diſcutere. Ex quorum proceſſu, & relatione, nobis, & eidem Sacro Concilio conſtitit, atque conſtat, præmiſſa tam per facti euidentiam, quàm per plures diffinitiuas ſententias, tam Auctoritate Apoſtolicâ, quàm nonnullorum Archiepiſcoporum in ſuis Concilijs, & locis inſignibus & diuerſis, fuiſſe, & eſſe notoria atque vera.

Nos igitur eodem approbante Concilio declaramus & decernimus, illa eſſe notoria, quę nulla poſſunt defenſione tueri, & ſuper illis fore, tamquàm ſuper notorijs, procedendum. Et exurgentes in Dei virtute contra hanc falſam, peruerſam, peſtiferamque doctrinam, eodem Sacro approbante Concilio, dictos Libellos, Tractatus, & Opuſcula, videlicet Dialogum, Trialogum, & omnes alios huiuſmodi Libellos, & alia, quæ eiuſdem Ioannis Wicleff nomine inſcribuntur, & intitulantur, cuiuſcumque Artis, & Facultatis exiſtant, attento maximè, quòd in eis licèt aliqua vera ſcripta ſint, falſa tamen

il-

illis, veluti lepra in humano corpore, permixta ſunt, & in eorum lectione periculosè, tamquam inter ſcorpiones & colubros, Chriſti fideles verſarentur, damnamus, & reprobamus, atque Saluatoris ſententiam exequentes dicentis: *Si quis in me non manſerit, mittetur foras, & ſicut palmes areſcet, & in ignem mittetur, & ardet*: igne iubemus publicè concremari. Eiuſdem etiam auctoritate Concilij diſtrictiùs inhibentes, ne quis Chriſti nomine inſignitus, audeat aliquem, vel aliquos, ſeù aliqua ex dictis Libellis, Tractatibus, & Opuſculis, dicti Ioannis Wicleff nomine inſcriptos, aut intitulatos, legere, exponere, docere, vel tenere, aut illis, ac nomine, & Auctore Wicleff vti, vel illum vt Auctorem, niſi fortè in illorum reprobationem, allegare publicè, vel occultè. Et vt de medio Eccleſiæ illa periculoſa ſpurciſſimaque doctrina eliminetur omninò, iubemus per locorum Ordinarios, Libros, Tractatus, & Opuſcula huiuſmodi, etiam Auctoritate Apoſtolicâ, per Cenſuram Eccleſiaſticam, & ſi ſit opus, cum adiectione, quòd contra non parentes procedetur tamquam contra fautores hæreſis, diligen-

Ioan. 15.

ter inquiri, & repertos ignibus publicè concremari. Si quis autem huiuſmodi ſententiæ, inhibitionis, Decreti, atque iuſſionis, violator, aut contemptor extiterit, ſtatuimus, eodem approbante Concilio, contra ipſum veluti ſuſpectum de fide procedi.

Monemus inſuper Auctoritate premiſſâ omnes & ſingulos, qui voluerint tueri memoriam dicti Ioannis Wicleff, vt infra nouem menſes proximè futuros, quos pro primo, ſecundo, tertio, atque peremptorio termino aſſignamus, compareant apud Sedem Apoſtolicam coram nobis, vel noſtro Succeſſore canonicè intrante, vel in hoc Sacro Concilio, vel alibi, vbi contigerit nos vel Succeſſorem prædictum reſidere, dicturi, & allegaturi, quidquid voluerint, ne idem Ioannes, licèt ab humanis ereptus, de hæreſi condemnetur. Nulli ergo &c. Si quis autem hæc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius nouerit ſe incurſurum.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum IV. Non. Februarij, Pontificatus noſtri anno tertio.

Hic finit Bulla prima Ioannis XXIII., qui proſequitur ſecũdam ab illis verbis: Cùm autem.

Cùm autem ad noſtrum non ſine diſplicentiâ grandi fide dignâ relatione peruenerit auditum, quòd in nonnullis Regnis & Prouincijs plerique Clerici, & Laici eoſdem Libellos, & Tractatus, ſeù eorum copias, aut tranſcripta tam in latino, quàm vulgari idiomatibus compoſitos penes ſe retineant, & errores hæreticales dicti Ioannis Wicleff in eis deſcriptos damnabiliter teneant, approbent, & defendant, ipſorumque Clericorum aliqui in derogationem Catholicæ Fidei, & eorum periculum animarum in ſermonibus publicis in Eccleſijs, quidam verò ipſorum etiam in ſcholis eos legere, atque dogmatizare, nec non aſtruere etiam publicè non formident, non attendentes quòd ſecundùm canonicas ſanctiones pertinaciter tenentes hæreſes, & errores deuios à Fide præfatâ, & à determinatione Sacrorum Generalium Conciliorum, & Doctorum per Eccleſiam approbatorum, & etiam tenentibus ipſis in præfatis erroribus fauentes, aut quomodolibèt conſentientes, ſeù ipſis quomodolibèt publicè, vel occultè participantes, cuiuſcumque ſtatus, gradus, Ordinis, vel conditionis

fuerint, etiamſi Regali, vel Pontificali, aut aliâ quâuis præfulgeant dignitate, ipſo facto ſunt excommunicati, & maiori anathemate laqueati, à quo, niſi per Summũ Pontificem, præterquàm in mortis articulo, & ſuos recognoſcendo errores, & eoſdem publicè abiurando poſſint abſolui: Nos, ne per huiuſmodi Clericorum, & Laicorum, ac eorum hæreſeos labem, & geſtus, ac actus deteſtabiles ouile contingat dominicum in ijſdem Regnis, & Prouincijs infirmari, infici, vel diſpergi, ſed totius populi Chriſtiani illarum partium animarum ſaluti potiùs prouidere ſuper pręmiſſis paſtorali ſolicitudine cupientes; Diſcretioni Veſtræ per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenùs ab eiſdem Regnis, & Prouincijs illis videlicet, in quibus Eccleſiæ, & veſtrę dignitates exiſtunt, ac in vltimis locis inſignibus, vbi commodè & tutè fieri poterit, vos, & quilibet veſtrum in ſolidum per vos, vel alium, ſeù alios præſentes litteras auctoritate noſtrâ ſolemniter publicetis, & publicare faciatis, ac omnes, & ſingulos huiuſmodi errores pertinaciter tenentes, & defendentes, ſeù ipſis quomodolibèt

pu-

publicè, vel occultè participantes excommunicatos maiori anathemate publicè nuntietis, & nuntiare faciatis; & contra eoſdem omnes & ſingulos Clericos & Laicos vtriuſque ſexus huiuſmodi errores tenentes, approbantes, & defendentes, dogmatizantes, ſeù aſtruentes, ac fautores, receptatores, & defenſores eorumdem, ſeù ipſis quomodolibèt publicè vel occultè in Diuinis, vel alijs loco quocumque participantes, exemptos, & non exemptos, ac quemlibet ipſorum, de quibus vobis conſtiterit, etiam cuiuſcumque gradus, Ordinis, ſtatus, ſeù dignitatis, vel conditionis exiſtant, ſuper erroribus ipſis Auctoritate noſtrâ diligenter inquirere ſtudeatis; & eos, quos per Inquiſitionem huiuſmodi, aut per confeſſionem eorum, ſeù per facti euidentiam, vel aliâ huiuſmodi hæreſis, vel erroris labe reſperſos repereritis, Auctoritate prædictâ, etiam per excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, nec non priuationis dignitatum, perſonatuum, Officiorum, & Beneficiorum, aliorumq; Eccleſiaſticorum, ac feudorum, quæ à quibuſcumque Eccleſijs, ſeù Monaſterijs, aut alijs locis Eccleſiaſticis obtinent,

nec

nec non honorum, & dignitatum ſæcularium, & graduum, ſcientiarumque quarumcumque facultatum, vt per alias pœnas, ſententias, cenſuras, ac vias, & modos quoſcumque, quos ad hoc quomodolibèt expedire, ſeù opportunos eſſe videritis, etiam per captiones, & incarcerationes perſonarum, & aliàs per pœnas corporales, quibus hæretici puniuntur, ſeù puniri ſolent iuxtà canonicas ſanctiones, etiam Clericos ipſos, & Eccleſiaſticas perſonas vſque ad degradationem incluſiuè, ſi eorum pertinacia, ſeù rebellio id exigat, aut requirat, corrigatis, & corrigi faciatis, & debitè, ac diligenter puniatis, & puniri faciatis, ipſoſque ad tradendum, & exhibendum vobis Codices, ſiuè Libros eorum etiam in vulgari compoſitos, vt præfertur, in quibus dictos Libellos, ſeù Tractatus forſan habent inſcriptos, & abiurandum perpetuè, etiam ſolemniter & publicè ipſos errores per prædictas cenſuras compellatis; & eoſdem Libellos, quos vobis forſan tradi contigerit, etiam in deteſtationem tanti criminis in aſpectu populi, Clero illius loci, in quo illud fieri contigerit, per vos ad id primitùs

tùs conuocato, etiam comburi publicè faciatis: & nihilominùs vniuerſis & ſingulis vtriuſque ſexus hominibus, etiamſi, vt præmittitur, Regali, vel Pontificali, aut aliâ quâcumque ſpirituali, vel temporali præfulgeant dignitate; vbilibèt conſtitutis inhibendo, ne ipſi, aut aliquis ipſorum dictos errores, ſiuè Libellos, aut Tractatus per nos, vt præmittitur, damnatos, & etiam reprobatos, vel contenta in eis, ſeù aliqua ipſorum vtpotè à Catholicis mentibus reſpuenda, tenere deinceps audeant, vel audeat, ſeù defenſare quomodolibèt, vel docere; & aliàs contra prædictos tam Clericos, quàm Laicos, & ipſorum Laicorum filios, de quibus poteſt haberi veriſimilis ſuſpicio, contra eos ſuper prædictis omnibus iuxtà formam Canonum procedere cum omni diligentiâ ſtudeatis, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſitâ compeſcendo, inuocato ad hòc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus †tam fel. recordationis Bonifacij PP. VIII. *† fortè* tamen Prædeceſſoris noſtri, quâ cauetur, ne quis extra Ciuitatem ſuam, & Diœceſim niſi in certis exceptis caſibus, & in illis vltrà

vnam

vnam dietam à fine ſuæ Diœceſis ad Iudicium euocetur, ſeù ne Iudices à Sede Apoſtolicâ deputati extra Ciuitatem, & Diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, ſiuè alij, vel alijs vices ſuas committere, aut aliquos vltrà vnam dietam à fine Diœceſis eorumdem trahere præſumat, & de duabus dietis in Concilio Generali; quod alijs quibuſcumque Conſtitutionibus à Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus tam de Iudicibus delegatis, quàm perſonis vltrà certum numerum ad Iudicium non vocandis; aut alijs editis, quæ poſſent in hâc parte noſtræ Iuriſdictioni, aut poteſtati, eíuſque libero exercitio quomodolibèt obuiare; ſeù ſi aliquibus communiter vel diuiſim ab eâdem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut vltrà, vel extrà certa loca ad Iudicium euocari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiuſmodi, & eorum perſonis, locis, ordinibus, & nominibus proprijs mentionem, & quâlibet aliâ dictæ Sedis indulgentiâ generali, vel ſpeciali cuiuſcumque

te-

tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam noſtræ Iuriſdictionis explicatio in hâc parte valeat quomodolibet impediri, & de quâ cuiuſque toto tenore de verbo ad verbum in noſtris litteris habenda ſit mentio ſpecialis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſexto Id. Febr. Pontificatus noſtri anno tertio.

Hic finis Bulla ſecunda Ioannis XXIII., & ſequuntur Decreta Conſtantienſis Cócilij, quæ Martinus V. integra Bullæ ſuæ confirmatoriæ inſeruit.

Poſt hanc Bullam Ioannis XXIII. refert Martinus V. de verbo ad verbum quinque Decreta Sacri Conſtantienſis Concilij, quæ cum in omnibus Actis typis editis reperiantur, hic omittenda duxi. Primum Decretum continet damnationem quadraginta quinque articulorum Ioannis Wicleff, & incipit: *Fidem Catholicam, ſine qua, vt ait Apoſtolus, impoſſibile eſt placere Deo. &c.* Secundum Decretum eſt de Communione ſub Vnica Specie Laicis tribuenda contrà errorem Bohemorum, & incipit: *Quia in nonnullis Mundi partibus peruerſus mos pullulare incœpit, &c.* Tertium Decretum continet damnationem triginta articulorum Ioannis Hus; & incipit his verbis: *Quia teſte Veritate arbor mala fructus malos facere conſueuit, &c.* Quartum Decretum continet declarationem præfatæ Synodi, quòd ſalui conductus Hæreticis, ſeù de hæreſi ſuſpectis, quouis modo conceſſi, non ſint ſeruandi. Incipit in hæc verba: *Præſens Sancta Synodus ex quouis ſaluo conductu per Imperatorem, Reges, & alios ſæculi Principes Hæreticis, vel de hæreſi diffamatis, putantes &c.* Quintum denique Decretum continet tenorem condemnationis Hieronymi de Praga, & incipit: *In Nomine Domini, Amen. Chriſtus Deus & Saluator noſter Vitis vera, cujus Pater Agricola eſt, &c.* Et poſt hoc Decretum ſequitur immediatè:

Extat hoc Decretum in Actis Conſtantienſis Concilij Seſſione 8.

Extat Seſſione 13.

Extat Seſſione 15.

Extat Seſſione 19.

Extat Seſſione 21.

Nos igitur declarationes, Decreta, diffinitiones, reprobationes, mandata, inhibitiones, ſtatuta, nec non condemnatio-

nes, & ſententias ſuprà ſcripta rata habentes & grata, illaque Auctoritate Apoſtolicâ ex certâ ſcientiâ tenore pręſentium confirmantes, & præſentis ſcripti patrocinio communientes, ſupplentes quoquè omnes defectus, ſi qui forſan propter ſolemnitates Iuris in procedendo non ſeruatas interuenerint in eiſdẽ. Volumus etiam & eâdem Auctoritate decernimus, quòd declarationes, diffinitiones, reprobationes, mandata, inhibitiones, ſtatuta, nec non condemnationes, & ſententiæ præinſertæ plenam vim, plenumque robur, & vigorem per omnia habeant, & ad ea vbilibet probanda hæ noſtræ litteræ plenè ſufficiant, quandocumque & vbicumque eas ſiuè in iudicio, vel alibi exhiberi contigerit, vel oſtendi. Nulli ergo &c. noſtræ approbationis, ratificationis, confirmationis, communitionis, ſuppletionis, volunluntatis, & Conſtitutionis infringere, &c. Si quis &c. Datum Conſtantiæ octauo Kal. Martij, anno primo.

Acta Seſsionis XLV. ex M. SS. Cod. 22. Aprilis anno 1418.

REuerendi in Chriſto Patres, Nobiles, Venerabileſque, & Circumſpecti Viri, Domini, & Magiſtri Nicolaus Archiepiſcopus Gneznenſis, Iacobus Epiſcopus Plocenſis, Petrus Baleſtæ Protonotarius Apoſtolicæ Sedis, Prępoſitus Eccleſię D. Mariæ Lauticienſis Gneznenſis Diœceſis, Paulus Wladimiri Canonicus, & Cuſtos Eccleſiæ Cracouienſis, Ioannes de Tolliſchabo Caſtellanus Caliſienſis, & Zauiſſius Niger de Garbolo Capitaneus Cruſiritienſis, Milites, Oratores, & Ambaſſiatores Sereniſſimi Principis Wladiſlai Dei Gratiâ Poloniæ Regis, nec non Illuſtriſſimi Principis Domini Alexandri, aliàs Witoldi Magni Ducis Lituaniæ per organum Venerabilis & circumſpecti Viri D. Gaſparis de Peruſio Aduocati Sacri Conſiſtorij, eidem Domino noſtro, & Sacro Concilio per modum ſupplicationis, & cum inſtantiâ & reuerentiâ, quâ decuit, exponi fecerunt nomine Dominorum Regis, & Ducis præfatorum, quatenùs libellus cuiuſdam fratris Io-

Legati Regis, Poloniæ petunt in publica Seſsione damnari libellum Ioannis à Falckenbergh .i Deputatis Concilij cenſuratum, idq; iuxtà determinationem Nationū, & Collegij Cardinalium.

Ioannis à Falckenbergh notoriè crudeliſſimas hæreſes continens per Iudices in cauſâ Fidei à Sacro Conſtantienſi Concilio deputatos ritè, rectè, cum omnique debitâ ſolemnitate, & maturitate tamquàm notoriæ hæreſes continens, vt hæreticaliter damnatus, nec non etiam per omnes Nationes eiuſdem Concilij, ac Sacrum Collegium Reuerendiſſimorum S. R. E. Cardinalium dictum Sacrum Concilium integrantes, & conſtituentes concluſum, & ordinatum, prout publicis, & authenticis Scripturis, ſiuè Inſtrumentis per ipſum ibidem exhibitis, & oſtenſis liquidè apparet, quòd idem libellus tamquàm hæreſes, & alia multa, & quaſi infinita mala & errores continens in Seſſione publicâ per Sacroſanctum Concilium cum hæreſibus, erroribus in eo contentis & deſcriptis, publicè damnaretur, ſeù publicè damnatus nuntiaretur. Et propterea humiliter & deuotè ſupplicabant Oratores, & Ambaſſiatores prefati præfato Sanctiſſimo Domino noſtro Papæ, quatenùs ante diſſolutionem eiuſdem Concilij dictus libellus cum hæreſibus, & erroribus in eo contentis, in ipsâ Seſſione publicâ tamquàm hæreti-

ca-

cales, hæreſeſque, & errores continens damnaretur, ſeù damnatus nuntiaretur; cùm ad extirpandum hæreſes præfatum Concilium Sacroſanctum eſſet inter cætera principaliter conuocatum & congregatum: alioquin nomine quo ſuprà proteſtabantur de grauamine, & de appellando ad futurum Concilium, & de proſequendo appellationem, & appellationes interponendum, & interponendas loco, ſiuè locis & diebus, temporibus, & horis, de quibus ipſis Dominis Regi, ac Duci, & eorum Oratoribus, & Procuratoribus, & eorum, quibus viſum fuerit, expedire: Et multa alia dixit, petijt, & proteſtatus fuit, prout & quemadmodum in quâdam papyri cedulâ petitionem, proteſtationem, & alia per ipſum requiſita continens, quàm in ſuis tenebat manibus, pleniùs continetur; cuius lecturam & publicationem ipſe nomine quo ſuprà obtulit facere, aut per alium fieri facere. Quibus ſic propoſitis, proteſtatis, requiſitis, & oblatis præfatus Sanctiſſimus Dominus noſter Papa, cùm nonnulli alij multum dicerent, & tumultum facerent, impoſito omnibus ſilentio, dixit, reſpondendo ad prædicta, quòd omnia

Martinus V. ſeſſ. 45. declarat, quænam Decreta Conſtantienſis Concilij probet, quænam non.

nia

nia, & ſingula determinata, concluſa, & decreta in materijs Fidei, per præſens Sacrum Generale Concilium Conſtantienſe conciliariter, tenere, & inuiolabiliter obſeruare volebat, & numquam contrauenire quoquo modo, ipſaque ſic conciliariter facta approbat, & ratificat, & non aliter, nec alio modo.

Et illud idem iterato fecit dici per organum Venerabilis & Circumſpecti Viri Domini Auguſtini de Piſis Fiſcalis, & Sacri Conſiſtorialis Aduocati prædicti, qui de hoc à Dominis Apoſtolicæ Sedis Protonotarijs, & Notarijs ad conſcribendum Acta Concilij ordinatis, ac deputatis, & alijs præſentibus, & eorum quolibèt petijt nomine dicti Domini noſtri Papæ publicum, ſeù publica Inſtrumenta per eos, & eorum quemlibet conficienda ad æternam rei memoriam. Et ex poſt Venerabilis & Circumſpectus Vir Dom. Paulus Wladimiri Decretorũ Doctor, vnus de Ambaſſiatoribus ipſorum Dominorum Regis, & Ducis, volens proponere & adimplere, quæ per dictum Dominum Gaſparum de Peruſio Aduocatum omiſſa fuerant ſuper libello præfato, ac etiam volens cedulam,

de

de quâ ſuprà fit mentio, legere, & publicare, incœpit loqui, & proponere, & cùm vellet legere & publicare dictam cedulam, fuit ſibi per dictum Dominum Auguſtinum de Lante de Piſis Aduocatum de mandato dicti Domini noſtri Papæ, vt idem D. Auguſtinus aſſeruit, ibidem coram eodem Domino noſtro ſtantem impoſitum ſilentium ſub pœnâ excommunicationis.

Martinus V. imponit Legatis Regis Poloniæ ad futurum Conciliũ appellare volentibus ſilentiũ ſub pœna excommunicationis.

Quo quidem ſilentio impoſito, idem Paulus tacuit, &c.

Ex Tractatu Ioannis Gerſonij, cui titulus: Quomodo, & an liceat in cauſis Fidei à Summo Pontifice appellare, ſeù eius Iudicium declinare.

QVæritur, vtrum hæc aſſertio ſit Catholica, tam Iure Diuinitùs promulgato, quàm etiam humano, quibus Sacrorum Canonum auctoritas innititur: *Nulli fas eſt à Supremo Iudice, videlicet Apoſtolicâ Sede, ſeù Romano Pontifice Ieſu Chriſti Vicario in terris appellare, aut illius iudicium in cauſis Fidei (quæ tamquàm maiores ad ipſum, & Sedem*

Decretũ à Martino V. in Conſiſtorio publico Cõſtantiæ editum.

dem Apoſtolicam deferendæ ſunt) *declinare?* Arguitur, quòd ſic Auctoritate Sanctiſſimi Domini Martini Papæ V. in ſuâ Conſtitutione, *Ad perpetuam rei memoriam*, factâ, & promulgatâ in Conſiſtorio Generali celebrato Conſtantiæ ſexto Idus Martij, Pontificatus ſui anno primo, vbi reperitur hæc Aſſertio, ſicut dicitur & videtur in Canonum litterâ manifeſtè fundari.

Arguitur in oppoſitum primò auctoritate determinationis, ſiuê Conſtitutionis Generalis Concilij Conſtantienſis: quæ determinatio multipliciter facta eſt, & practicata, & ſpecialiter in Seſſione publicâ celebrata die 6. Aprilis anno 1415. quæ ſic habet: *Inter cætera &c.*

Et primò declarat, quòd Sancta Synodus &c.

Item declarat, quòd Quicumque cuiuſcumque ſtatus, &c.

ERRATA.

Pag. 120. & pag. 145. lin. 5. 1417. *lege* 1416. pag. 136. lin. 7. Cellæ *lege* Sellæ. pag. 269. lin. 3. poterat. *lege* poteſt. Si autem alia errata occurrant, Lector beneuolus ea corrigere dignetur.

IN-

INDEX

ACTORVM, ET

RERVM MEMORABILIVM.

Quæ Numeris Romanis notantur, in Prolegomenis, quæ verò Numeris Arabicis, in Tractatu, & Actis Tractatui ſubiunctis continentur.

A

ABbatis Panormitani teſtimonium de contentione circa auctoritatem reformandi Eccleſiam. Pag. 29.

Acta Conſtantienſis Concilij ex varijs Manuſcriptis Codicibus. 213. & ſeq.

Albani Proregis Scotiæ litteræ ad Congregationem in Conſtantia. LVI. 251.

Alexander Quintus Piſis electus in Pontificem. XXVIII.

Alphonſus ſuccedit patri ſuo Ferdinando in Regnum Arragoniæ, & ditiones. L.
Eius ditiones & Regna. LII.
Eius Legati intrant Conſtantiam. LI.
Dicunt ſe hoc Concilium nolle agnoſcere pro Generali, niſi poſt vnionem Benedicti XIII. LII. 115. 251.
Vnionem ineunt ſub certis cõditionibus. LII.

Antonini iudicium de Piſani Cõcilij ſententia contra Gregorium XII. 75.

Appellatio à Concilijs ad Romanum Pontificem, teſte Gelaſio, licita. 210.

Appellatio à Romano Pontifice ad Concilium, quantumuis Generale, illicita, & à Martino V. interdicta. 188. 210.

Arma ſeù Inſignia Gregorij XII. Conſtantiæ in Diœceſi, & præſentia Ioannis XXIII. appenſa ante Palatium Legatorum eiuſdem Gregorij. XXIX.
Amouentur de nocte, & quænam difficultates illam ob rem exortæ ſint. XXX. 153. 215.

Aretini teſtimonium de ceſſione Pontificatus facta à Ioanne XXIII. Florentiæ. 136.

B

BArcinonenſis Conuentus ſub Benedicto XIII. 141.

Baſileenſes compilarunt Acta Conſtantienſis Concilij. 13
Compilationis illius prima editio. 15.
Eſt corrupta quoàd primum Decretum Conſtantienſe Seſſionis Quartæ. 5. 8. 11.
Omiſſa in illo vox *ad fidem*. 16.
Addita clauſula: *Ad reformationem Eccleſiæ in Capite & membris*. 18.

Baſileenſes ipſi in Regeſto Actorum ſuorum referunt Geſta Conſtantienſia, ex quibus conſtat de clauſula reformationis indebitè adiuncta. 44.
Arte tamen vtuntur in referendis Geſtis illis, omittentes ea, quæ cauſæ ſuæ non fauent. 94. 109.

Baſileenſe Concilium quoàd Decre-

 cre-

creta de Superioritate nunquam ab Eugenio IV. approbatum fuit. XV.
Benedictus XII. ante & poſt aſſumptionem ad Pontificatum oſtendit, Ioannem XXII. ab errore de differenda Viſione beatifica immunem eſſe. XI.
Eius Bulla originalis de Viſione beatifica in Vrbe reperta, & à quo. XII.
Benedictus XIII. in ſchiſmate electus præuio iuramento de cedendo Pontificatui, quando alterius Obedientiæ Pontifex cederet. XXV.
Deponitur in Piſano Concilio tamquàm ſchiſmaticus & hæreticus. XXVII.
Eius Obedientia ante Piſanum Concilium quàm latè ſeſe extenderit. XXIV.
Fugit ad Perpignianum. XXVI.
Tenet, ſe Concilij iudicio ſubiectum non eſſe. XXVI. 140.
Eius Obedientia poſt Piſanum Concilium. 118.
Deponitur Cõſtantiæ tamquam periurus, ſchiſmaticus, & hæreticus. LXI.
Bonifacius VIII. in ſchiſmate electus. XXV.

C

CÆleſtinus I. in Commonitorio oſtendit, Romani Pontificis iudicium eſſe ſuprà Cõcilium. 87.
Chalcedonenſe Concilium agnouit ſummam Pontificis auctoritatem. 88.
Cardinales duarum Obedientiarum conuocant Piſanum Concilium. XXV.
Cardinalium illorum litteræ, quibus Gregorium XII. ad Concilium Piſanum duxerunt conuocandum. 72.
Cardinales Conſtantiæ adunati mittunt tres Legatos ad Ioannem XXIII. Schaffuſam. 79. 219.
Nolunt intereſſe Seſſioni III. Conſtantienſi, quia id indecorum putabant. XXXVI.
Cardinales Legati Conſtantiam reuerſi multa proponunt pro parte Ioannis XXIII. ſed non attenditur ad eorum dicta. 221.
Auctoritatem Ioannis XXIII. ſupra Concilium eſſe contendunt, & orto contra eos clamore, inſalutato hoſpite ex Congregatione diſcedũt. XXXVII. 81.
Offerunt nomine Ioan. XXIII. procuratorium ad Papatui cedendum, ſed contemnuntur publice. XXXVIII. 82. 233.
Nolunt admittere Decreta Seſſionis Quartæ, ad quam venire recuſant, niſi priùs omittantur, quæ auctoritatem Sedis Apoſtolicæ tangebant. XXXIX. 51. & ſeq. 91.
Cardinalium aduiſamenta cum Nationibus Seſſione Quarta communicata. 228.
Monent inter alia, quòd omitterentur illæ materiæ, quæ habent magnas difficultates, & maturam exigunt deliberationem. XLI. 84. 106.
Proteſtantur contra Decreta Seſſionis Quintæ. XLII. 107. 231.
Poſt proteſtationem non conſenſerunt Decretorum publicationi Seſſione Quinta, ſed potiùs eam mediante Cardinale Florentino palàm improbarunt 108.
Fruſtra petunt ſuffragium à Nationum ſuffragijs diſtinctũ. XLIV. 104.
Nemo pro eis in Seſſionibus tulit ſuffragium ante Seſſionem Vndecimam. 105.
Conqueruntur de contemptu. 104. 234.
Proteſtantur contra Decretum Seſſionis Decimequartę de non eligendo ſine conſenſu Concilij Pontifice. LXII. 121.
Ipſa eorum proteſtatio. 253.
Volunt, quòd ante reformationem præcedat electio Pontificis.

cis, LIX.
Cardinales proteſtantur hanc ob rem contra Nationem Germanicam, & Regem Romanorum Sigiſmundum. LXIII. 123.
Ipſa eorum proteſtatio. 255.
Contemnunt terrores & minas, parati pro Vnione ſanguinem effundere. LXVI. 267.
Caſtellæ Regum litteræ ad Congregationem quatuor Nationũ in Conſtantia. LI. 115. 250.
Subtrahunt obedientiam Benedicto Decimo tertio. LV. 250.
Legati eorum intrant Conſtantiam, & ante Vnionem volunt certificari de modo electionis, & libertate Patrum. LVIII.
Vniunt ſe Concilio, illud de nouo conuocantes. LIX.
Clemens Quintus transfert Sedem Apoſtolicam Auênionem in Galliam. XXIII.
Clemens Septimus in ſchiſmate electus iterùm Sedem Auenionem transferre conatur. XXIV.
Concordata Narbonenſia. XIII. XLIX. 242.
Concilium tempore Schiſmatis eſſe ſupra dubios Pontifices cômuniter admittitur. LXVII. & 73.
Eſſe ſupra indubitatum Pontificem, non fuit deciſum in Piſano Concilio. 72.
Quæſtio de Superioritate Concilij, quandonam Conſtantiæ agitari cœpta. 78.
Variæ ſententię circa quæſtionem illam tempore Conſtantienſis Concilii. 140. & ſeq.
Concilium Vniuerſale vt indubitatum ſit, debet legitima auctoritate conuocari. 126. & 261.
Conſtantienſe Concilium auctoritate Ioan. Vigeſimi tertij tempore Schiſmatis conuocatum fuit. XXIX.
Tenebãt alię Obedientię, quòd Concilium illud legitimè conuocatum non eſſet. 126
Fit nouà illius conuocatio pro vnione Gregorij Duodecimi. XLVIII. 240.
Alia pro vnione Regni Arragonum. LIII.
Alia pro vnione Comitis Fuxi. LV.
Alia pro vnione Regni Nauarræ. LVI.
Alia pro vnione Regni Caſtellæ. LIX.
Concilium Conſtantienſe viam ceſſionis pro ſedando Schiſmate amplectitur. XXXVI.
Turbatur ex fuga Ioannis Vigeſimi tertij. XXXIV.
Seſſio eius Tertia abſentibus Ioanne, & omnibus fermè Cardinalibus celebrata. XXXVI.
Seſſio eius Quarta tumultuosè concluſa. XXXVIII.
Seſſioni Quintæ contradicunt Cardinales, & Regis Chriſtianiſſimi Oratores. XLII.
Acta illius primùm edita ſunt, ex compilatione Baſileenſium. 15.
Corrupta ſunt quoad Decretũ primum Seſſionis Quartæ. 100. & 120.
Non habebatur pro Vniuerſali ante Vnionem Benedicti Decimi tertij. LVII. 114. & ſeq.
Plures dubitabant de eius Auctoritate. 100. 120.
Clerus & populus nonnullorum Regnorum, & Prouinciarum ante electionem Martini Quinti illi non adhærebant. LXIV. 123. 257.
Conſtantienſe Concilium habuit auctoritatem deponendi Ioannem Vigeſimum tertium, licèt non habuerit poteſtatem ſupra vnum & indubitatum Pontificem. 135.
Vſum eſt auctoritate directiua, non coactiua ſupra indubitatũ Pontificem. 102. 166. 169. & ſeq.
Confirmatum eſt à Sede Apoſtolica. & circa quænam. 198.
Conſtitutio Synodalis differt à dogmate fidei. 179.

D

Decreta de Poteſtate Eccleſiaſtica Seſſionibus IV. & V. Conſtantiæ edita. 2. 59.
Decretum I. Seſſionis IV. ex Collectione Actorum à Protonotarijs Concilij conſcriptorum. 214.
Decreta Seſſionis Quartę præcipitanter, & exacerbatis Patrum animis apud Nationes concluſa. XXXIX. 83.
Decretum primum Seſſ. Quartę ex Compilatione Baſileenſium corruptum ad manus noſtras peruenit. 17.
Licèt intelligatur iuxta ſenſum Auctoris Tract. Hiſtorici, non fauet opinioni Gallicanæ Eccleſiæ de ſuperioritate Concilij, cùm ſolùm agat de tempore Schiſmatis. 54.
Decreta Seſſionis V. ſine debito illis examine apud Deputatos Nationum concluſa. XLI. 90.
contrà proteſtantibus pluribus Patribus edita. 102. 106.
Quo ſenſu à Patribus poſt trium Obedientiarum Vnionem expoſita. 162.
Per modum Conſtitutionũ Synodalium dumtaxat edita. 178.
In ſenſu de ſuperioritate Concilij ſæpiùs eis contradictum Conſtantiæ. 185.
A Martino Quinto illo ſenſu confirmata non ſunt. 183.
Quænam Decreta à Martino confirmata fuerint. 133.
Decretum Conſtantienſe de non eligendo ſine conſenſu Concilij Pontifice Seſſione XIV. editum, à tribus Nationibus & Collegio Cardinalium in dubium reuocatum. 125.
Ipſum Concilium diù deſuper egit, & an edi potuerit, diſputauit. LXIX.
Decretum de reformatione Seſſione XL. Conſtantiæ editum, & quonam modo. 168. 270.

E

Edmundi Richerij ſententia de Conciliorum ſuperioritate ex Decretis Conſtantienſis Concilij probanda. 150.
Ait Ioannem 23. habitum fuiſſe pro indubitato Pontifice. 151.
Putat Martinum V. probaſſe Acta Conſtantienſia, quia id Concilium decreuerat. 190.
Refellitur ipſius opinio. 195.
Electio Pontificis ſpectat ad Cardinales, quorum ſuffragijs excluſis Pontifex electus à multis non agnoſceretur. LXIX.
Epheſini Concilij teſtimonium de ſuprema Sedis Apoſtolicæ Auctoritate. 88.
Errores vndecim, quibus innituntur capita Tractatus hiſtorici, de Conſtantienſi Concilio. LXXXIV.
Eugenius IV. non approbauit Decreta Baſileenſis Concilij. XV.
Eius teſtimonium de contradictione Patrum contra Decreta Conſtantienſia. 102.
Aliud teſtimonium eius, de ſententia Obedientiarum circa Vniuerſalitatem Conſtantienſis Concilij. 114.

F

Ferdinandus Rex Arragonum init concordata ſuper Vnione. XLVIII.
Eius Legatus intrat Conſtantiam, & ſolus ſtatuto tempore comparet ad ineundam Vnionem pro parte Obedientiæ Benedicti. L.
Florentinum Concilium edit Decretum de Primatu Pontificis. II.
Verſio eius Latina non eſt corrupta, ſed genuina & authentica. IV.
Non continet limitationem Auctoritatis Pontificiæ. III.
Decreti illius originalia quot in Regionibus conſeruata. IV.

Fidei materia quid comprehenderit in Concilio Conſtantienſi. 178.
Franciſci Narbonenſis Epiſcopi epiſtola de Concordatis Narbonenſibus. 240.
Franciſcus Zabarella Cardinalis Florentinus proteſtatur contrà Seſſ. Tertiæ Decreta. XXXVII.
Spectabat ad ipſum tamquam vltimum Cardinalem Decretorum in Seſſionibus publicatio. XL.
Dicit clauſulam de reformatione in Capite, & in membris non ſolùm falſam, ſed & præter communem deliberationem additam Decreto primo Seſſionis Quartæ. XLI.
Aliqualiter diſputat cum Deputatis Nationum ſuper Decretis Seſſione V. publicandis. XLI, 89.
Noluit legere Decreta Seſſionis Quintæ. XLIII. 107.
Eius ſententia de Auctoritate Concilij circa reformationem Eccleſiæ. 145.
Fuxi Comitis Legati ineunt Vnionem. LV.

G

Gallicanæ Eccleſiæ Doctores in Decreto de Viſione Beatifica apud Caſtrum Vicennarum olim edito teſtantur, Ioannem XXII. nihil circa illam definiuiſſe. XIII.
Gallicanæ Eccleſiæ ſententia de Decretis Conſtantienſibus Seſſionum Quartę & Quintæ. 3.
Ei non fauet Decretum primum Seſſ. Quartæ. 55.
Gallicani Codd. M. SS. teſtantur à Decreto primo Seſſ. Quartæ abeſſe debere clauſulam de reformatione. 48.
Galliæ Regis Legati ad Ioannem XXIII. Schaffuſam perueniunt. XXXV.
Seſe coniungunt cum Cardinalibus ad tuendam Auctoritatem Pontificiam. Ibid. & III.
Nolunt venirè ad Seſſionem Quartam, niſi omitterentur quædam in Decretis contra Auctoritatem Sedis Apoſtolicæ ſtatuta. XXXIX. 52.
Proteſtantur contra Decreta Seſſ. Quintę. XLII. 111. 231.
Referunt, in Decreto primo Seſſ. Quartæ omittendam clauſulam de reformatione. 48.
Gallicana Natio conqueritur læſam libertatem Concilij. LX.
Germanica Natio petit aſſecurationem, & cautionem per Decretum irritans, quòd poſt electionem Pontificis fieret reformatio. 162. 268.
Gerſonij teſtimonium de ijs, qui ante Concilium Conſtantienſe tenuerunt, Romanum Pontificem nullo caſu poſſe deponi. 142.
Eius ſententia de ſuperioritate Concilij. 148.
Habet ſermonem in derogationem Sedis Apoſtolicę. XXXIV. & 80.
Gerſonius in locis ab Auctore Tractatus hiſtorici adductis non citat clauſulam de reformatione ex Decreto primo Seſſionis Quartæ. 32. & ſeq.
Citat Decreta Seſſionis per modum legum. 180.
Eius Tractatus, An & quomodo appellare liceat. 201.
Gobelinus Perſona teſtatur Decretum primum Seſſionis Quartæ imperfectè publicatum fuiſſe. 42.
Eius teſtimonium de ſeditione orta ob reformationem. LXII.
Gregorius XI. Sedem Apoſtolicam Auenione transfert Romam. XXIII.
Gregorius XII. in Schiſmate electus præuio iuramento de renuntiando Pontificatui, quando aduerſarius renuntiaret. XXV.
In Concilio Piſano tamquam hæreticus deponitur, ſed non acquieſcit ſententię, & plures ei adhęrere pergunt. XXVIII. 75.
Eius inſignia Conſtantiæ affi-

xa

xa, & amota. XXX. 153. 215.
Eius Legati petunt ſaluum conductum, & intrant Conſtantiam in habitu Cardinalitio & Prelati. XXX. 156. 219.
Cedit Pontificatui, ſed præuia noua Concilij conuocatione. XLVI. 116. 157. 239.
Quinam in eius Obedientia permanſerint vſque ad ceſſionem Pontificatus. 117.

H

HAdrianus VI. ex incertis rumoribus ſcribit, à Ioanne XXII. Quæſtionem de Viſione Beatifica poſt reſurrectionem Corporum differenda deciſam fuiſſe. VII.
Ei refragantur omnes Auctores coetanei. XIV.
Hieronymus de Praga Conſtantiæ incarceratur. 279.
Igne comburitur. 280.
Hiſpani ante Vnionem Benedicti XIII. Non habuerunt Concilium Conſtantienſe pro Vniuerſali. XLIX.
Hiſpani Nationem facere incipiunt in Concilio Conſtantienſi. LV.
Dicunt expreſsè, ſe non teneri Decretis Seſſ. XIV., quia non adfuerant, dum ſtatuerentur. LXIV. 124. 259.
Huſſitarum ſecta damnatur. 281.

I

IAcobi Sancti Priſcæ Cardinalis libellus de Viſione Beatifica. XI.
Innocentius VII. in Schiſmate electus. XXV.
Ioannes XXII. non determinauit Quæſtionem de differenda viſione Beatifica poſt corporum reſurrectionem. VIII.
Varia hac de re æqualium Scriptorum teſtimonia. IX.
Ipſe Ioannes mentem ſuam exponit, & de facto ſuo teſtimonium reddit. X.
Ioannes XXIII. in Pontificem electus tempore Schiſmatis. XXIX.
Conuocat Concilium Romanum contra VViccleffiſtas. 282.
Eius Bullę in Concilio Romano contra VViccleffiſtas editæ. 283.
Conuocat Conſtantienſe Concilium. XXIX.
Conſtantiam ingreditur & duabus prioribus Seſſionibus præſidet. XXIX.
Offert ceſſionem Pontificatus, caſu quo alij duo contendentes cedant. XXXIII.
Nolens dare Procuratorium ad nomine ſuo Pontificatui cedendum fugam arripit, & Schaffuſam peruenit. XXXIV.
Mandat Curialibus, vt relicta Conſtantia ad ſe Schaffuſam veniant. 220.
Conqueritur cum Oratoribus Regis Gallię, poſt fugam ſuam falſa & erronea contra Sedis Apoſtolicę Auctoritatem Conſtantiæ dicta fuiſſe. XXXV. 98.
Contradicit Decretis aduersùs Auctoritatem Sedis Apoſtolicę editis. 98.
Multa Concilio opponit in litteris ad Poloniæ Regem datis. 99.
Mittit litteras ad Ducem Bituricum Pariſijs in Sorbona lectas. 100.
Schaffuſa diſcedit. XXXIX. & 224.
Pro dubio Pontifice habetur. XXXII. 152.
Tenuit, ob ſolum crimen hereſeos contra Pontificem agi poſſe. 143.
Hæreſeos indebitè accuſatus fuit. XLV. 159. 235.
Promitit ſe ſententiam Concilij accepturum, & Papatui renuntiaturum. 237.
Papatui renuntiat. XLVI. 161.
Venit Florentiam & pedibus Martini aduolutus eum verum Pontificem agnoſcit. 136.
Eius vita auctore Niemo conſcripta. 81.

Ioannis Petit propoſitio de occidendo Tyranno damnata à Concilio Conſtantienſi. 131.
Ioannes Falckenberg libellus famoſus. 181.
Contra Polonos editus, à Gneſnenſi Archiepiſcopo offertur Nationibus. LVII. 200.
Agitur de eius condemnatione in Seſſione vltima Conſtantienſi. 181.
Ioannis Hus articuli & opuſcula damnata. 279.
Italia ante electionem Martini V. fluctuabat circa obedientiam Concilio Conſtantienſi preſtandam. 123.

L

LAunoius primus mortalium errauit, in affirmando Dec. Florent. de Primatu Pont. malè verſum eſſe in Latinum. III.
Error illius ex Autographis Concilij Florentini Decretis refellitur. V.
Legatus Regum: Vide Gallia, Arragonia, Caſtella, Nauarra &c.

M

MAimbourgi Tractatus Hiſtoricus de Romana Eccleſia, qua occaſione editus fuerit. I. 5.
An nitatur factis irrefragabilibus. XXI. 11.
Ex Launoij ſcriptis confectus eſt. VI.
Varia in eo continentur veritati aduerſa, vt quæ tradit Auctor de corrupta Florentini Decreti verſione. III.
Item quæ de Ioanne XXII. memoriæ prodidit circa Queſtionem de Viſione Beatifica. VII.
Item quæ de mente Pij II. circa confirmationem Baſileenſis Concilij tradidit, ac de doctrina antiqua à Pio memorata affirmauit. XV.
Vndecim Auctoris illius errores circa Concilium Piſanum & Conſtantienſem Synodum commiſſi. LXXXIV.
Minùs rectè putat, Acta Conſtantienſia, proùt edita ſunt, ex Manuſcriptis Cod. corrigi non poſſe. 5.
Non rectè tuetur, Decreto primo Seſſionis Quartæ adeſſe debere clauſulam de reformatione Eccleſiæ in Capite, & membris. 23. 58.
Malè allegat Gerſonium pro illa re. 33.
Confundit Seſſionem Quartam cum Quinta. 39.
Sibi non conſtat circa examen Queſtionis de ſuperioritate Concilij Conſtantiæ inſtitutum. 77.
Omittit, quę inſtituto ſuo non fauent. 95.
Non rectè putat, Ioannem XXIII. metu perpetui carceris Pontificatui renuntiaſſe Florentię. 137.
Probare conatur, Martinum V. bis confirmaſſe Decreta Conſtantienſia de Poteſtate Eccleſiaſtica. 171.
Abiudicat Romano Pontifici ſupremam in confirmandis Conciliorum Decretis Auctoritatem. 189.
In ſenſum à mente Martini alienum detorquet eius Decretum de non appellando à Sede Apoſtolica. 202.
Manuſcripti Codices Gallicani citati. 28. 31. 101. 103.
Manuſcripti Vaticani & alij in Italia ſeruati. LXXI. 108. 134. 175.
Martini Quinti electio. LXX.
Init concordata cum ſingulis Nationibus. LXXI.
Auctoritate Apoſtolica confirmat Decreta contra errores VViccleffi & Hus edita. L. 130. 177. 180.
Bulla eius Confirmatoria numquam ante edita. 193.
Diuerſa eſt à Bulla executoria ad Inquiſitores data, & poſt

Acta Conſtantienſia typis edita. 192.
Firmauit Seſſione XXXXV. vltra decreta ſupradicta Decretum contra propoſitionem Ioannis Petit de non occidendo Tyrannum. 131. 182.
Quædam alia Conſtantienſis Concilij Decreta confirmauit poſt finem Concilij. 135.
Nullatenùs voluit admittere, Romanum Pontificem ob delicta quædam à Concilio iudicari poſſe, & deponi. LXX. 176.
Solus obſtitit Decreto Nationum & Cardinalium de libello Ioannis à Falckenberch in Seſſione publica damnando & proſcribendo. 207.
Edit Conſtitutionem de non appellando à Romano Pontifice ad Concilium. LXXIII. 202.

N

NAtiones ſingulæ habent ſingula vota Conſtantiæ in Seſſionibus publicis. XXXVI.
Plures dubitant, an hic modus ferendi ſuffragia ſit legitimus 100. 120.
Nationes ſtatuunt præcipitanter Decreta Seſſ. Quartę. XXXIX.
Tres Nationes cum Collegio Cardinalium proteſtantur de præmittenda electione Pontificis ante reformationem. LXIII.
Ipſa Nationum proteſtatio. 255.
Nicęna Synodus Generalis Septima quàm deliberatè egerit circa materiam de imaginibus. 86.
Nicolaus Gneznenſis Epiſcopus vrget damnationem libelli Ioannis à Falckenberch. LXXII.

O

OBedientiæ Benedicti XIII. & Gregorij XII. ante Piſanum Concilium in quas Regiones diuiſę. XXIV.
Obedientiæ earumdem poſt Piſanum Concilium, earumque limites. XXVIII. 117.
Obedientia Gregorij XII. vnit ſe Seſſ. XIV. Concilio Conſtantienſi. LXVII. 238.
Obedientia Benedicti XIII. init Concordata Narbonenſia cum Concilio. XLVIII.
Obedientiæ Benedicti & Gregorij non habuerunt Concilium Conſtantienſe pro Vniuerſali, niſi poſt ſuam Vnionem. 114.

P

PEtrus de Alliaco Cardinalis Cameracenſis edidit Tractatum de Eccleſiæ poteſtate, & quo anno. LIII.
Eius ſententia de ſuperioritate Concilij tempore Schiſmatis quænam. 144.
Habet Ioannem XXIII. pro dubio Pontifice. XXXII. 152.
Odium Ioannis XXIII. hanc ob rem incurrit. 97.
Proteſtatur contra Decreta Seſſionis Tertiæ. XXXVII.
Proponit difficultates contra auctoritatē Conſtantienſis Concilij à pluribus motas. 120.
Petrus Plaouſt Doctor Pariſienſis habet ſermonem in Concilio Piſano, & quid teſtatus ſit de Vniuerſitatum Galliæ ſententijs. 64.
Piſani Concilij conuocatio ad extirpationem Schiſmatis. XXV.
Piſanum Concilium non decidit Quęſtionem de ſuperioritate Concilij extra tempus Schiſmatis. XXVI. 72.
Habuit duos de Papatu contendentes pro dubijs Pontificibus. 69.
Ne quidem eſt auſum deponere Pontifices tempore Schiſmatis viuentes, niſi ob crimen hæreſis. XXVII. 143. 159.
Deponendo duos de Papatu contendentes Schiſma adauxit. XXVIII. 75.
Piſani Concilij Acta. 66.
Pius II. eiusque ſententia de

pro

probato per Eugenium IV.
Baſileenſis Concilij progreſſu. XV.
Eius mens circa antiquam de Conciliorum auctoritate ſententiam. XVI.
Tuetur, Romanum Pontificem iuxta antiquitatis ſententiã nullius iudicio ſubiectum. XVIII.
Poloniæ Legati appellare volunt ad futurum Concilium. LXXIII. 206.
Iis ſilentium imponitur ſub pœna excommunicationis. LXXIII. 208.
Portugalliæ Regis Legati intrant Conſtantiam poſt Seſſ. XXI. & proteſtantur contra conceſſa Arragonenſibus vota. LII.

R

Reformatio Eccleſiæ in Capite, & membris à quibuſnam denegata Conſtantienſi Concilio. 23.
Abeſſe debet clauſula de reformatione à Decreto primo Seſſionis Quartæ. 41.
Ob reformationis materiam varij tumultus Conſtantiæ orti. LIX. 162.
Quàm cautè de illa actum Seſſione Trigeſimanona. LXVII.
Reformationis Capita poſt electionem Pontificis eiuſdem iudicio reſeruata. 276.
Rex Roman. Vide: Sigiſmundus.
Regis Romanorum, non erat, ſe rebus Eccleſiaſticis immiſcere. 264.
Romanus Pontifex Caput, & Paſtor Eccleſiæ, & Chriſti Vicarius. 256.
Eius Auctoritas à Florentino Concilio expoſita. II.
Eſt Suprema & Monarchica teſte Pio II. XIX.
Eam antiqua Concilia agnouerunt. 87.
Eius eſt de Conciliorum Decretis iudicare, non Conciliorum ſubire examen. 88.
A nemine iudicari poteſt. 166.
Eſt ſupremus in cauſis fidei iudex, vt habet Martinus Quintus. 204.
Ab eo ad Concilium appellare non licet; quod ſuperioritatem eius euincit. 208. & ſeq.
Habet auctoritatem confirmandi Decreta Concilij. 197.
Non tenetur Decretis Seſſionis Quartæ & Quintæ Conſtantienſis Concilij à ſeſe non probatis. 125.
Romanus Pontifex electus ligari non poteſt. LXVI. 163.
Quomodo id intelligendum ſit. 167.
An ob aliquod crimen deponi poſſit. 97. 141. 142. 174.
Romanæ Synodi Acta contra VVicleffiſtas. 283.

S

Schiſma Antiochenum. 76.
Schiſmatis Occidentalis initium ex Clementis VII. electione. XXIV.
Non ſopitum ſed adauctum fuit Alexandri V. electione Piſis. XXVIII.
Schiſmatis tempore an Concilium poteſtatem coactiuam habeat ſupra Pontificem. LXVII.
Scotia adhæret Benedicto XIII. eiuſdem Viceregis litteræ ad Congregationem in Conſtantia datę. 251.
Sedes Apoſtolica Aueniouem tranſlata. XXIII.
Seſſioni Quartæ quinam interfuerint, & Acta eiuſdem. 226. & ſeq.
Seſſionis Quintæ præparatoria, & Acta. 223.
Seſſionis Quartæ & Quintæ differentia quoad Decretorum Auctoritatem. 57.
Sigiſmundus Romanorum Rex petit conſilium de ſaluo conductu Legatis Gregorij tribuendo. 217.
Rogatus dat litteras ſecuritatis.

tis. 268.
Intercedit apud Nationes, vt relinquantur Seſſ. Quarta ea, quę Cardinalibus diſplicent. XL. 52. 224.
Facit vt Cardinales ad Seſſionem Quartam veniant. 225.
Poſt inita Concordata Narbonenſia redit Conſtantiam. LVII.
Vult, vt reformationis materia præcedat ante electionem Pontificis. LX. 268.
Statuit capere nonnullos Cardinales. LXV. 266.
Ad ipſum non ſpectabat cauſis Eccleſiaſticis ſeſe immiſcere. 264.
Spondanus non rectè putabat, Cardinalibus in Conſtantienſi Concilio conceſſum fuiſſe ſuffragium à Nationum ſuffragijs diſtinctum. 103.
Eius ſententia de infirmatis à Martino V. duobus Seſſionis Quartæ Decretis. 184.
Suffragiorum inæqualitas in Conſtantienſi Concilio à multis & ſæpiùs impetita. 105.

T

TRidentinum Concilium obtulit Acta ſua Sedi Apoſtolicæ, eiuſdem iudicio confirmanda. 197.
Nihil obeſt eius authoritati, quod eidem nō adfuerint Schiſmatici & Heretici. 128.
Turrecremata teſtimonium de querela à Ioanne XXIII. cum Oratoribus Regis Chriſtianiſſimi interpoſita. 110.
Aliud teſtimonium eius de ſenſu duarum Obedientiarum circa Concilij Conſtantienſis vniuerſalitatem. 114.
Eius teſtimonium de Decretis Seſſionis Quartæ de Schiſmatis tempore intelligendis. 146.
Tyrannus priuata auctoritate occidi non poteſt. 131.

V

VEritas ſempiterna res eſt, contra quam nemo præſcribere poteſt. 8.
Veritates octodecim, quibus innititur præſens Tractatus. LXXVI.
Vinctonienſis Epiſcopus patruus Angliæ Regis venit Conſtantiam. LXVIII. 269.
Viſio Beatifica ante reſurrectionem. XI.
Vniuerſitatum Galliæ & Italiæ ſententia circa Auctoritatem Concilij tempore Schiſmatis ſupra Pontificem. 69.
Vniuerſitas Pariſienſis cenſuit, Pontifices tempore Schiſmatis Occidentalis dubios fuiſſe. 71.
Eius concluſio hac de re. 73.
Vnio Eccleſiæ duplex, membrorum inter ſe, & membrorum cum Capite. 263.
Vrbanus VI. eligitur in Pontificem. XXIV.

619211

ACTA CONSTANTIENSIS CONCILIJ

AD EXPOSITIONEM DECRETORUM EIUS SESSIONUM QUARTÆ ET QUINTÆ

FACIENTIA

NUNC PRIMUM EX CODICIBUS M.SS.

IN LUCEM ERUTA

AC DISSERTATIONE ILLVSTRATA

PER

D. EMANVELEM A SCHELSTRATE

S. T. D.

BIBLIOTHECÆ VATICANÆ PRÆFECTUM.

Opuſculum ; in quo agitur de argumento, quod ducentis quinquaginta annis eruditorum animos commovit, oſtenditurque ex manuſcriptis indubitatæ fidei Codicibus, tantum abeſſe, quod Decretum primum Seſſionum quartæ & quintæ ac ſecundum Seſſionis quintæ de ſuperioritate Concilij intellecta ab œcumenica Conſtantienſi Synodo edita, & Sede Apoſtolica comprobata ſint, ut primum potius Decretum Seſſionis quartæ à Baſileenſibus corruptum ſit, primum & ſecundum Seſſionis quintæ contraproteſtantibus Cardinalibus & Regis Galliæ oratoribus edita ſint, omnia demum à Concilio nondum univerſali pronuntiata fuerint, quæ proinde ab ipſius Conſtantienſis Synodi Patribus poſt trium obedientiarum unionem non recepta, & ab ipſo Martino quinto infirmata ſunt.

ANTVERPIÆ,

Apud JOANNEM BAPTISTAM VERDUSSEN, viâ vulgò Cammerſtraet, ſub ſigno duarum Ciconiarum, 1683.

JESU CHRISTO

UNIGENITO ÆTERNI PATRIS FILIO
ANTE OMNES CREATURAS PRIMOGENITO.

INGENITI GENITORIS VERBO

QUOD IN PRINCIPIO APUD DEUM EXTITIT,
IN TEMPORE CARNEM PRO HOMINE ASSUMPSIT.

DEO HOMINI

SUBLIMI, IMPASSIBILI, GLORIOSO IN PROPRIIS,
HUMILI, PASSIBILI, ABIECTO IN NOSTRIS.

DOMINO VIRTUTUM

PETRÆ, LAPIDI ANGULARI UTRAQUE UNUM FACIENTI,
CONSORTIUM SUÆ POTENTIÆ ELECTÆ A SE PETRÆ PROMITTENTI.

SACERDOTI IN ÆTERNUM

DE SE IPSO INCRUENTUM SACRIFICIUM IN COENA INSTITUENTI,
CRUENTUM IN ARA CRUCIS PATRI SUO OFFERENTI.

VERO PONTIFICI

QUÆ LIGANDI SOLVENDIQUE POTESTATE ERANT PROPRIA,
FUTURO POST SE PONTIFICI PARTICIPATIONE FACIENTI COMMUNIA.

BONO PASTORI

QUI ANTEQUAM COELOS AD DEXTRAM PATRIS ASCENDIT,
AD TRINAM AMORIS VOCEM PETRUM OVILI SUO PRÆPOSUIT.

LUCI VERÆ

FONTI VITÆ, SOLI IUSTITIÆ, VERITATI ÆTERNÆ

A MORTALIBUS FALLI, ET MORTALES FALLERE NESCIÆ.

AUCTOR

PROFUNDA ANIMI SUBMISSIONE

HÆC SYNODI CONSTANTIENSIS ACTA

E TENEBRIS IN LUCEM NUNC PRIMUM ERUTA,

ET AD ILLUSTRANDUM DIVINUM PETRI PRIVILEGIUM

IN SUCCESSORIBUS AD FINEM SÆCULORUM DURATURUM

FACIENTIA

DICAT, CONSECRATQUE.

SERIES

SERIES
ACTORUM
CONSTANTIENSIS CONCILII.

Acta ad Seſsionem 4. & 5. facientia ex 2. Codicibus M. SS. Regeſtum Conſtantienſis Synodi continentibus, ubi & ad marginem geſta quædam Conſtantienſis Concilij ad eaſdem Seſsiones ſpectantia. Pag.2.

Geſta Patrum Conſtantienſis Concilij inter Seſsionem 38. & 39. ex quatuor Codicibus M.SS. ubi proteſtatio Cardinalium & trium Nationum; qua inter alia exponitur Decretum primum Seſsionis quintæ. p. 6.

Reſponſio facta Nationi Germanicæ, quod Papa electus ligari non poteſt, *quâ infirmatur Decretum ſecundum Seſsionis quintæ, ex iiſdem quatuor Codicibus M. SS.* p. 13.

Articuli reformationis judicio Summi Pontificis reſervati ex M. SS. & editis Codicibus. p. 15.

Capita reformationis à Philippo Labbeo edita, ſed nunc integriora ex 2. Codicibus M. SS. uno Bibliothecæ Vaticanæ, altero Palatinæ. p. 16.

Acta Seſsionis 45. ex editis & tribus Codicibus M.SS. de libello Ioannis Falkenbergh, occaſione cujus reſponſum Martini quinti de confirmatione actorum Conſtantienſis Concilij datum fuit. p. 29.

SYNOPSIS DISSERTATIONIS ET CAPITUM.

DISSERTATIO.

DE auctoritate & ſenſu Decretorum Seſſionis quartæ & quintæ Conſtantienſis Concilij, ubi & ſenſus cleri anno 1682. Pariſiis congregati, quod Decreta illa de auctoritate Conciliorum Conſtantiæ ab œcumenicâ Synodo edita, à Sede Apoſtolicâ comprobata, ipſoque Romanorum Pontificum, ac totius Eccleſiæ uſu confirmata, ita demum ab Eccleſiâ Gallicanâ perpetuâ religione cuſtodita ſint, ut improbet ſententiam illorum, qui illa dubiæ auctoritatis eſſe aſſerunt, vel ad ſolum ſchiſmatis tempus referunt, vel ut minus confirmata robore carere contendunt. Pag. 32.

CAPUT I.

An improbanda ſit ſententia eorum, qui Decreta

creta Seſſionum 4. & 5. dubiæ auctoritatis eſſe affirmant. pag. 34.

ARTICULUS I. Vbi oſtenditur, Decretum Seſſionis 4. prout ad nos pervenit, genuinum non eſſe, ſed à Baſileenſibus corruptum p. 35.

ARTICULUS II. Vbi oſtenditur, Decreta Seſſionis quintæ ſine debitâ & communi deliberatione ab unâ obedientiâ Ioannis 23. eâque non integrâ edita fuiſſe, quinimo proteſtantibus contra illa Cardinalibus & Galliæ Regis oratoribus. p. 40.

ARTICULUS III. Vbi oſtenditur, Concilium Conſtantienſe Seſſionibus 4. & 5 non ſufficienter Eccleſiam univerſalem repræſentaſſe, neque Reges Arragoniæ, Caſtellæ, Navarræ, & Scotiæ, alioſque principes obedientiæ Benedicti illud ante unionem cum Hiſpanis pro univerſali habuiſſe. Quin imò Hiſpanos conſentientibus duabus Nationibus Italicâ, & ipsâ Gallicana publicè dixiſſe, ſe non teneri Decreto Seſſionis 14. quia illi non adfuerant, ex quibus omnibus probatur, Decreta Seſſionis 4. & 5. dubiæ ad minimum auctoritatis cenſenda eſſe. p. 48.

CAPVT II.

Quid Patres Conſtantienſes poſt trium obe-

dientiarum

dientiarum unionem de ſenſu & auctoritate Decretorum Seſſionis quartæ & quintæ tenuerint? ubi oſtenditur, Patres poſt Seſſionem 38. primum Decretum Seſſionis quintæ ita interpretatos fuiſſe, ut nihil faciat ad ſuperioritatem Concilij. Decretum verò ſecundum, de puniendo etiam Pontifice contumace, numquam de vero & indubitato Pontifice intelligere auſos fuiſſe. p. 55.

CAPVT III.

An improbanda ſit eorum ſententia, qui Decreta Seſſionis quartæ & quintæ tamquam minus confirmata robore carere exiſtimant, ubi oſtenditur, nec Patres Conſtantienſes poſt trium obedientiarum unionem, nec Martinum V. illa umquam confirmaſſe, quin potius Martinum ſuperioritatem Pontificiam & facto in approbandis Decretis Concilij, & verbo in damnandis à ſupremo Sedis Apoſtolicæ judicio appellationibus, ſuſtinuiſſe. p. 67.

ACTA

ACTA
CONSTANTIENSIS CONCILII
EX PLURIBUS CODICIBUS M.SS.

CVm ſola Acta, quæ ad expoſitionem decretorum ſeſſionum quartæ & quintæ potiſſimùm faciunt, hic edituri ſimus, ſufficit ad actorum illorum intelligentiam prænotare, quod Concilium Conſtantienſe tempore Schiſmatis à Ioanne 23. uno ex tribus de Papatu contendentibus convocatum ſit, quodque duabus primis ſeſſionibus à ſolà ſuà obedientià celebratis ipſemet præfuerit, ſed ante ſeſſionem tertiam, ne procuratorium ad nomine ſuo Papatui cedendum dare cogeretur, à civitate Conſtantienſi aufugerit: cum autem ob fugam Ioannis 23. magna in Concilio perturbatio orta eſſet, miſſi à Sacro collegio tres Cardinales retulerunt Concilio, Ioannem ſub certis conditionibus procuratorium offerre, & hiſce prænotatis, ſequentia facile intelligentur.

ACTA

POST SESSIONEM TERTIAM

Ex duobus Antiquis Codicibus manuſcriptis, regeſtum Conſtantienſis Concilij continentibus.

OMnia tanquam * ludicria, & fictè pro parte Domini noſtri Papæ oblata per D. Regem Romanorum, & alios ibidem adſtantes reputata fuerant; fuitque ibidem unanimiter vociferatum, his non obſtantibus fiat ſeſſio, fiat ſeſſio: propter quæ tam ipſa die, quàm die Veneris ſequenti altercationes maximæ fuerunt inter Dominos Cardinales, & Nationes.

* Ludicra.

Die Veneris XXIX Menſis Martij cum prædictæ tres Nationes videlicet Germanica, Gallicana, & Anglicana deliberaſſent ſeſſionem celebrare in craſtinûm, & capitula, quæ volebant in ea ſtatuere; Domini Cardinales in Palatio Epiſcopali Conſtantienſi convenientes, habitâ inter ſe deliberatione, obtulerunt Domino Regi ibidem cum eis convenienti pro parte Domini noſtri Papæ ultrà ſupradicta infraſcriptas oblationes, quod Dominus noſter Papa paratus erat ipſum Regem unà cum Dominis Cardinalibus Procuratores ad renunciadum Papatui conſtituere, ita quòd ſi duo ex Dominis Cardinalibus ſimul cum ipſo Domino Rege concordarent Papatui cedere, poſſunt ipſo nolente cedere. Item paratus erat ipſe Dominus noſter Papa, curiam ſuam * ſine deliberatione Concilij hinc transferre. Item obtulerunt dicti Domini Cardinales, quod ipſi parati erant ſeſſioni in craſtinum celebrandæ intereſſe, dummodò non fierent, neque ſtatuerentur alia capitula, niſi capitula infraſcripta. Quibus ſic oblatis, Dominus Rex, recep-

* adde non.

receptis capitulis infraſcriptis, dixit, ſe iturum ad Nationes in clauſtro Sancti Franciſci congregatas; & cum eis prædicta capitula conferre velle, & eis poſtea reſpondere.

Eadem die venit novum de Scafuſa Conſtantiam, qualiter Dominus noſter Papa timens, ne Dominus Rex Caſtrum Scafugæ obſideret, inde horâ nonâ ante meridiem nullo Cardinali ſociatus, cum paucis ex ſua familia ſub ductu Ducis Auſtriæ receſſerat, & verſus Friburgum perrexerat.

Eadem die horâ tardâ Dominus Rex à Nationibus ad Dominos Cardinales rediens, retulit, quod Nationes ſuper infraſcriptis capitulis tantùm in ſeſſione ſtatuendis non potuerant concordare, ſed obtinuerat ab eis, quod ſeſſio uſque ad horam decimam prorogaretur, & in craſtinum uſque ad illam horam viderent, ſi poſſent ad invicem concordare.

a Die Sabbati, quæ fuit dies Sabbati Sancta penultima Menſis Martij, horâ ſeptimâ ante meridiem, convenientibus in Palatio Epiſcopali Conſtantienſi, Domino Rege Romanorum, Dominis Cardinalibus, & Nationibus, fuit plurimum ſuper infraſcriptis, & alijs capitulis altercatum. Univerſitas etiam Pariſienſis multum inſtitit apud Regem, ne contra Ducem Auſtriæ moveret guerram, dicentes, quod ſi guerra moveretur, dubitandum erat, quod Concilium * non diſſolveretur; ſed Rex ſe durum in hoc ſemper exhibuit; & tandem Domini Cardinales cum Nationibus ſuper ipſis capitulis non valentes concordare, fuit incepta Miſſa pro ſeſſione celebranda; tunc Dominus Rex iterum ad Dominos Cardinales ingreſſus eſt, & habito cum eis aliquali colloquio, Domini Sancti Marci, & Florentinus Cardinales cum ipſo Rege exeuntes primam Capellam Eccleſiæ Conſtantienſis ſunt ingreſſi, juſſeruntque ad ſe vocari deputatos Nationum jam in Choro paratos exiſtentes

a Geſta Conſtantienſis Concilij in 4. Cod. M. SS. habent hoc die: quia *Cardinalibus adhuc nõ fuerat plene aperta materia agendorum in illa ſeſſione, nec etiam Ambaxiatoribus Regis Franciæ, præfati Cardinales & Ambaxiatores erant delirati non intereſſe.* Et quod Cardinales ſe conjunxerant cum Ambaxiatoribus Regis Francorum, & illi cum Cardinalibus.

Dele * non.

pro ſeſſione celebranda, quibus venientibus, habita fuit non modica diſceptatio inter Dominum Regem, Dominos Cardinales, & deputatos Nationum ſuper capitulis prælibatis: & tandem divino flamine inſpirante, *b* in unam ſententiam convenerunt, quod tantum capitula infraſcripta in dicta ſeſſione ſtatuerentur: fuit ergo dicta ſeſſio de conſenſu, & voluntate Domini Regis, & omnium Dominorum Cardinalium in Conſtantia exiſtentium, quatuor Nationum, & Oratorum Regum, & Principum celebrata; & omnes Cardinales in Conſtantia exiſtentes, qui non erant infirmitate gravati, interfuerunt; cui ſeſſioni Reverendiſſimus in Chriſto Pater Dominus Ioannes miſeratione divina Epiſcopus Albanenſis Cardinalis de Urſinis præſedit, & Reverendiſſimus Pater Dominus Ioannes Patriarcha Antiochenus Miſſam celebravit. *c* Qua finita, Reverendiſſimus in Chriſto Pater Dominus Franciſcus miſeratione divina Sanctorum Coſmæ, & Damiani Archidiaconus Cardinalis, Sacro Conſtantienſi approbante Concilio, *c* legit capitula infraſcripta.

b Geſta Concilij in iiſdem Cod. M. SS. habent: *Rex tractavit cum Cardinalibus, & per eius medium adhibito quodam moderamine in expediendis in illa ſeſſione Cardinales conſenſerunt intereſſe, & fecerunt, quod etiam interfuerint Ambaxiatores Regis Francorum.*

c Geſta Conſtantienſis Concilij habent: & *illa legit Cardinalis Florentinus ultimus Diaconus, ut eſt moris.*

In Nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.

Hæc Sancta Synodus Conſtantienſis, & Generale Concilium faciens, pro extirpatione præſentis ſchiſmatis, & unione, ac reformatione Eccleſiæ Dei in capite, & in membris fienda, ad laudem omnipotentis Dei in Spiritu Sancto legitimè congregata ad conſequendum faciliùs, ſecuriùs, uberiùs, ac liberiùs unionem, ac reformationem Eccleſiæ Dei ordinat, diffinit, ſtatuit, decernit, & declarat, ut ſequitur.

Et primò, quòd ipſa in Spiritu Sancto legitimè congregata Generale Concilium faciens, Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cujuſcumque ſtatus, vel dignitatis, etiamſi papalis exiſtat, obedire tenetur in

his,

his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti ſchiſmatis.

Item, quòd Dominus noſter Ioannes Papa XXIII. Romanam curiam, & officia publica, ſeu illorum officiarios de hac civitate Conſtantienſi ad alium locum non mutet. *Et cætera prout ſeſſione* 4. *in editis.*

d Geſta Conſtantienſis Concilij habent, quod poſt ſeſſionē 4. fuerit *per Cardinalem Florentinum cum aliquibus deputatis aliqualiter diſputatum: finaliter Concilium voluit ex integro dictas diffinitiones ad longum iterum in alia ſeſſione pronuntiari. in qua ſeſſione iterum major pars Cardinalium faciebat difficultatem interreſſendi. omnes tamen præter infirmos poſtea venerunt ad ſeſſionem.*

POST SESSIONEM IV.

d DIe Sabbati ſextâ Menſis Aprilis, cùm per prius inter Dominos Cardinales, & Nationes altercatum fuiſſet ſuper correctione, & emendatione capitulorum in præcedenti ſeſſione ſtatutorum, tandem ordinatum, & concluſum eſt, quòd ſupradicta capitula modo infraſcripto corrigentur. Convenientibus itaque dictâ die Glorioſiſſimo Principe Domino Sigiſmundo Romanorum, & Hungariæ Rege ſemper Auguſto, Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus Conſtantiæ exiſtentibus, cæteriſque Principibus, Prælatis, Regum, Principum, ac Dominorum Oratoribus, & alijs in ſacro Conſtantienſi Concilio exiſtentibus, in Eccleſia Cathedrali Conſtantienſi, præmiſſa per Dominos Cardinales, & Oratores Regis Franciæ proteſtatione in Camera Paramentorum palatij Conſtantienſis ſecretè facta, quòd propter ſcandalum evitandum ad ſeſſionem ibant, non animo conſentiendi his, quæ audiverant in ipſa ſtatui debere, maximè quod Dominus noſter Papa, & alij in Concilio exiſtentes in plena ſecuritate fuerant, quorum plura ſtatuta non ſunt, ſed ad ſeſſionem aliam reſervata; tandem quinta ſeſſio celebrata eſt, Reverendiſſimuſque in Chriſto Pater Dominus Ioannes Epiſcopus Albanenſis Cardinalis de Urſinis in ipſa ſeſſione præſedit, *e* & Reverendiſſimus in Chriſto Pater Dominus Andreas Laſcharis electus Poznanienſis,

e Addunt geſta Concilij, Concilij, ideo pronuntiatas fuiſſe per electum Poznanienſem, *quia Cardinalis Florentinus illas noluit pronuntiare.*

ſis, poſt finitum officium, pronunciavit capitula infraſcripta.

In Nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.

Hæc Sancta Synodus Conſtantienſis Generale Concilium faciens, &c. *ut in editis ſeſſione 5.*

EX GESTIS
CONSTANTIENSIS CONCILII
FIDELITER CONSCRIPTIS
ET IN IV. CODICIBUS M. SS. REPERTIS.

Poſt ſeſſionem 38. cùm Rex Romanorum nationes Angliæ & Germaniæ incitaverat ad reformationem in capite præmittendam materiæ electionis veri & indubitati Pontificis.

PROTESTATIO FACTA
A COLLEGIO CARDINALIUM
ET TRIBUS NATIONIBUS ITALICA, HISPANICA, ET IPSA GALLICANA.

AUdite hæc omnes gentes, auribus percipite, qui habitatis orbem, & attendat univerſa fidelium Eccleſia, quæ jam 40. annis in deſerto ſchiſmatis & diviſionis inter ſe ſub diverſis ducibus velut Eccleſiæ capitibus manſit afflicta, quæ cum in hoc Sacro Generali Concilio Conſtantienſi terram promiſſionis intraſſe crederetur, & jam ſublatâ capitum pluralitate monſtruosâ, membriſque corporis jam in unum reductis; corpus ipſum

ipſum Eccleſiæ per unius capitis aſſumptionem, unici videlicet Paſtoris & Vicarij Jesu Christi perfectè reintegrari ſperat, & ſponſam ſponſi ſui talamum introire quietis & pacis, oblataque jam & aperta via plana per duos Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, per quam verus & indubitatus Sponſus Eccleſiæ Chriſti Vicarius haberi poterat, videlicet quod ad eligendum Summum Pontificem aliqui de ſingulis Nationibus cum Cardinalibus per Sacrum collegium deputarentur, quorum tamen numerus Cardinalium numerum non excederet, & alias prout in cedula oblata ſuper hoc continetur. Ecce jam ſponſa lugente differtur, ecce novæ diſcordiæ, & ab illa viâ planâ deviæ ſuſcitantur: licet enim illa viâ per duos Cardinales omnibus in hoc Sacro Concilio Nationibus & congregationibus, quæ per Nationes fuerunt, oblata extiterit, & tres Nationes Italiæ videlicet, Galliæ, & Hiſpaniæ, quæ faciunt multo majorem & ſaniorem partem Concilij, & ultra dicti Domini Cardinales illam acceptaverint, & juſtam, Sanctam, & ad perfectam unionem Eccleſiæ efficacem reputaverint, & reputent: iſta tamen natio venerabilis Germaniæ ſuper hoc ſæpius interpellata reſpondere noluit, imo reſpondere jam tribus menſibus diſtulit. Conſiderantes autem præfati Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, qui præfatam viam obtulerunt, & dictæ tres Italiæ, Galliæ, & Hiſpaniæ Nationes, & attendentes Eccleſiam apud omnes vacare, & jam diu vacaviſſe, quamque ſit periculoſa quamque damnoſa Sedis Apoſtolicæ ac univerſalis Eccleſiæ præſens vacatio, & quod propter communia & nota pericula atque damna ſpiritualia, tamen majora & periculoſiora his temporibus imminent, renovandi videlicet deterioris & pene inſanabilis ſchiſmatis, vulnus iteratum tardius ſanatur, eo maxime, quod clerus & populus nonnullorum regnorum & provinciarum nondum ſolidè & clarè huic Sacro *Nota.*

Conci-

Concilio adhæſerint, ſed ut communiter fertur, exſpectant fiendæ electionis Summi Pontificis eventum, ut ſi electus fuerit canonicè, illi obediant, alias non Nec non etiam, quod quorumdam, qui eidem Concilio adhæſerunt propter rumores diſcordiarum, & quaſi impreſſionum, quas in eodem Concilio fieri audiunt, fides jam de eodem Concilio dicitur vacillare. Ob quæ jam ſcriptum & relatum eſt à pluribus magnatibus, & aliis zelatoribus pacis & unionis Eccleſiæ, in Italia plurimum dubitari, ne in urbe Romana prætextu rumorum & dilationis prædictorum aliquis pro Summo Pontifice aſſumatur, cui forſan præmiſſis attentis tota Italia obediret. Attendendo etiam, quod durante vacatione hujuſmodi urbs Romana & totum eiuſdem Eccleſiæ patrimonium à tempore depoſitionis & renuntiationis olim Ioannis 23. per Tyrannos occupatur. Vos præfatam venerabilem Nationem Germaniæ, ſingulaque eius ſuppoſita pluries & inſtanter exhortati ſunt, & requiſiverunt, quatenus attentis prædictis periculis Eccleſiæ Sanctæ Dei velletis per vos vel deputatos veſtros cum dictis tribus Nationibus Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, & Cardinalibus ſuper modo futuræ electionis maximè de electoribus tractare, agere, & convenire, ut ſuper hoc per Sacrum Concilium ordinato ad Summi Pontificis electionem procederetur tempore opportuno, quod facere & ſuper hoc reſpondere jam multis diebus diſtuliſtis, & non feciſtis, licet aſſeratis, ſine veſtro conſenſu & ordinatione Concilij ſuper modo, forma, loco, tempore, & materia ad dictam electionem non poſſe procedi, obſtantibus quibuſdam hujus Concilij Decretis, quibus nos Hiſpanica natio, etiamſi alias valida exiſterent, non ligamur. *Nota.*

Et quia procedente tempore etiam præfata pericula atque damna ſemper augentur, & noſtris foribus nos deputati ex parte & nomine trium Nationum prædictarum

Italiæ,

Italiæ, Galliæ, & Hiſpaniæ, atque Sacri dictorum Dominorum Cardinalium collegij, & noſtro, ac omnium his adhærere volentium de præſenti vel in futurum, vos Nationem prædictam Germaniæ, & veſtra ſingula ſuppoſita exhortamur, & requirimus, iterum ac tertio monemus, exhortantur, requirunt, & monent tres Nationes & Cardinales prædicti per viſcera miſericordiæ Jesu Christi, per aſperſionem ſui prætioſi ſanguinis, cujus prætio hanc ſuam redemit Eccleſiam, quæ jam eſt in tantis periculis conſtituta, velitis per vos vel deputatos aut deputandos à vobis cum aliis Nationibus & Cardinalium collegio vel cum deputatis aut deputandis ab illis de modo fiendæ electionis, & maximè de materia quantum ad electores celeriter & ſine moræ diſpendio tractare, concurrere, convenire, & concordare ad vitanda prædicta pericula, & in tanta concordia fiet electio, quod in ea concordet totus populus Chriſtianus.

Proteſtamur autem nomine quo ſupra, & obteſtamur, proteſtantur & obteſtantur tres Nationes & Cardinales prædicti Deum Patrem omnipotentem, Filium, & Spiritum Sanctum, omnes Sanctos ac virtutes cælorum invocantes ſuper vos, cœlum & terram: quod ſi deinceps Eccleſiam ipſam ſanctam Dei pro carentia Summi Pontificis canonicè eligendi, ſeu prætextu dilationis & moræ electionis ipſius, ſeu fiendæ ordinationis, modi electionis eiuſdem, aut alias detrimenta, aut damna aliqua vel pericula in ſpiritualibus vel temporalibus incurrat, nihil eiſdem tribus Nationibus & collegio Cardinalium aut earum alteri vel ſuppoſitis ipſorum & ipſarum, ac his conſentientibus valeat imputari, ſed ſuper his ſint & habeantur inſontes; ſed vobis Nationi Germaniæ & veſtris ſuppoſitis poſſit & debeat merito imputari. Cum ſi ante dictam proviſionem Eccleſiæ de Paſtore aut ſaltem modi

electionis illius ſuppoſitis hujus Concilij Decretis, quibus omnia jura circa electionem Summi Pontificis edita dicuntur eſſe ſuſpenſa, ex quo ſequetur, Eccleſiam Dei eſſe ſine capite, & ſine lege, & ordinatione electionis Summi Pontificis, hoc Concilium caſu aliquo diſſolvetur, prout jam multæ cauſæ timentur imminere, Eccleſia in periculo remaneret, quia vix aut numquam Summus Pontifex indubitatus poſſet haberi, quia vix congregaretur indubitatum Concilium deficiente capite, ad quod pertinet convocare.

Proteſtantur etiam de proſecutione legitima ſuper damnis atque detrimentis prædictis & alijs adverſus illos, per quorum culpam contingerent, præſertim cum ſecundum plurium Doctorum juris divini & humani opiniones, talis moroſa dilatio procedendi in negotio electionis Papæ, præſertim ordinationis modi electionis eiuſdem, ſine cauſa rationabili non caret ſcrupulo fautorij ſchiſmatis. Nullam autem omnino cauſam, imo nec occaſionem habere videtur dicta natio & eius ſuppoſita differendi præmiſſa, nec ullam cauſam allegant, niſi quod ante electionem fiat reformatio, quæ cauſa nulla eſt, quoniam & fieri reformationem dictæ tres Nationes & Cardinales volunt & cupiunt, prout jam ad hoc ſuos cum cæteris Nationibus deputatos dederunt, qui ad hoc agunt, & illis agentibus poteſt etiam eodem tempore agi de modo electionis Summi Pontificis, prout eidem Nationi ſæpè expoſitum & petitum. Præterea ſi reformatio fienda eſt de deformatis, quæ major eſt aut eſſe poteſt in corpore deformitas, quam carere capite, & acephalum eſſe. Illa igitur prior tanquam magis neceſſaria debet eſſe reformatio, quæ corpus ipſum ad caput reformet & informet, & contrarium aſſerere vel facere non videtur eſſe ſecurum. Allegant præterea, quod agere de modo electionis ante reformationem eſſet contra Decreta Concilij

Nota.

cilij & capitula Narbonæ concordata. Iſta ſalvâ dicentium reverentiâ non ſunt in re: nulla enim decreta contradicunt, imo volunt contrarium. In omnibus enim locis, ubi vel Concilium vel dicta capitula de agendis in iſto Concilio loquuntur, ſemper præponunt unionem, quæ unio nec eſt nec dici poteſt perfecta, niſi Eccleſia unum caput miniſteriale habeat, cui corpus Eccleſiæ uniatur. Duplex enim ſecundum Sacros Doctores eſt unio Eccleſiæ: una membrorum invicem, quæ jam creditur eſſe facta, altera membrorum ad caput, ut conſtituatur corpus integrum & perfectum, & iſta non eſt facta, igitur primo loco fienda. Præterea ſi ex ordine litteræ capitulorum Narbonenſium arguitur, proprium & principale capitulum illorum capitulorum ſuper iſta materia, & quid & qualiter eſſet agendum in iſto Concilio, ponit ordinem, quod agatur de ejectione Petri de Luna, de electione Summi Pontificis, & de reformatione Eccleſiæ in capite & in membris, & ita electio præponitur. Præterea eadem ratione prius ageretur de reformatione membrorum, quam capitis, quia in eodem ordine ponuntur, quod uſque ad annum imo ſine Summo Pontifice numquam eſſet factum, nec poſſe fieri videtur. Nec juvare poteſt dilationem, quod dicitur, Sereniſſimum Romanorum Regem & aliquos Cardinales & prælatos alios aut Doctores aliarum Nationum eidem Nationi adhærere, cum ad præfatum Sereniſſimum Romanorum Regem præmiſſa tractare aut differre non pertinet: cujus magis intereſt pro ſuo honore electionem Summi Pontificis, quæ erit ſumma perfectio unionis, accelerari, quam tardari. Cardinales autem atque prælati & alij, ſi qui illi Nationi in præfata dilatione adhærere dicuntur, certè non illi Nationi; ſed dicto Domino Regi adhærent, in ſuis votis ſequuntur, & illi aſſentiunt, & tamen pauciſſimi ſunt. De Cardinalibus enim ſunt ſolum duo, qui licet in toto præſenti *Nota.*

Cardinalium collegio ſunt 24. illi duo ſoli à cæteris & tanto ac tam gravi collegio, in quo ſunt tanti Patres, ſe minus honeſtè ac magnâ eorum verecundiâ ſegregant, qui ſi Patres tanti collegij eſſe merentur, videant ne turpes dici poſſint, quæ ſuo non congruunt univerſo. Cæteri vero prælati & alij de tribus Nationibus, qui adhærere dicuntur, non illi Nationi adhærent, ſed ut præmittitur dicto Domino Regi, & in rebus Eccleſiaſticis & ſpiritualibus Regem ipſum & eius vota relictis Prælatis & Perſonis Eccleſiaſticis pro ſuæ voluntatis libito ſequuntur, & aſſentiunt illi. Attento autem modo agendi in iſto Concilio per Nationes, & quod unuſquiſque ſtat in ſua Natione in ea ſuper propoſitis dicturus ſententiam, ſingulariter & præſumptuoſè incedentes, ſe inhoneſte à ſuis ſegregant Nationibus, nec debent alibi ullam vocem, vel auctoritatem habere, imo à dictis duabus Nationibus, de quibus nec membra nec partes ſunt, repelli. Nulla igitur cauſa ſubeſt differendi tractatum ſuper modo futuræ electionis, qui ſi per prædictam venerabilem Nationem ulterius plus debito differatur, proteſtamur nomine dictarum trium Nationum & collegij Cardinalium, & proteſtantur eædem Nationes & collegium de providendo Eccleſiæ Dei per remedia opportuna, maximè cum præter collegium Cardinalium, ad quod de jure ſcripto magis pertinet electionis prædictæ materia, dictæ Nationes tres & multo magis cum dicto Cardinalium collegio multo majorem partem & ſaniorem hujus Sacri Concilij faciunt, & majorem partem univerſalis Eccleſiæ repræſentant.

Poſtquam

Poſtquam ex prædicta proteſtatione variæ ex parte Regis Romanorum contra Cardinales & præcipuos Prælatos turbæ excitatæ fuerant, initâ inter utramque partem concordiâ factum eſt, quod in iiſdem Geſtis refertur.

EX IISDEM QUATUOR CODICIBUS M. SS.

PAtriarcha Antiochenus, Archiepiſcopus Mediolanenſis, Epiſcopus Adrienſis, & duo Cardinales Bononienſis & Senenſis, & alij de Gallia & Italia, qui adhæſerant Regi, dimiſerunt Regem, & Rex dimiſit eos, & ſunt reverſi ad ſuas Nationes, & obtulerunt Cardinalibus eſſe cum eis, qui fuerant hoſtes eorum. Antiochenus autem multum viſus eſt adhærere Cardinalibus, & in congregationibus deputatorum ingerebat ſe non deputatus, nec requiſitus: tentavit reſtitui Nationi ſuæ Gallicanæ, ſed nullus audebat proponere in Natione, ne contra eum clamaretur.

Rex autem, qui pro concordia Cardinalium credebatur velle accelerare materiam electionis, iterum retroceſſit, & recepit materiam reformationis, & ſemper fuit in Concilio magna controverſia. Quatuor enim Nationes Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, & Angliæ, quæ ad mandatum Regis Angliæ dimiſit in illa materia Regem Romanorum, & collegium Cardinalium inſiſtebant accelerationi electionis. Rex & Natio Germaniæ, quod reformatio præcederet. Et tandem dicta Natio petivit aſſecurationem & cautionem per decretum irritans, quod poſt electionem Papæ fieret reformatio ante coronationem Papæ & adminiſtrationem aliquam: poſtea fuerunt factæ diverſæ formæ Decreti ad hoc. Tandem fuit dictum, quod Papa electus ligari non poterat. Et ſemper agebatur per deputatos Cardi- *Nota.*

nalium & Nationum omnium de concordando articulos reformationis. Sed pauci & vix poterant concordari: una Natio volebat uno modo, alia alio, & diu fuit laboratum,& parum actum.

His pendentibus venerunt nova, quod Epiſcopus Vinctonienſis in Anglia Patruus Regis Angliæ erat in Ulmâ ad duas dietas de Conſtantia, & quod ibat in Jeruſalem, & fuit per Anglicos ſignificatum Cardinalibus, & perſuaſum,quod multum afficiebatur unioni Eccleſiæ, & quod ſcriberent ſibi, quod veniret Conſtantiam, quod faceret cum Rege Romanorum, quidquid vellet, quod fecerunt. Rex etiam ſcripſit & ivit ad illum Epiſcopus Licheſeldenſis, & adduxit eum Conſtantiam in habitu peregrini cum cruce, & ſic intravit, & ſtetit in Conſtantia pluribus diebus, & iverunt ſibi obviam Rex & tres Cardinales. Tractatum eſt per Cardinales & deputatos omnium Nationum. Paucos tamen cum Rege per medium illius vinctonienſis, & finaliter deventum ad hoc, quod daretur per Decretum Concilij in forma infraſcripta cautio de fienda reformatione poſt electionem Papæ, & expedirentur capitula reformationis concordata per omnes Nationes, & darentur deputati ad ordinandum modum electionis, forma autem cautionis & Decreti prædictorum talis eſt.

Sacroſancta &c. ſtatuit & decrevit, quod futurus Summus Pontifex per Dei Gratiam & pro primo aſſumendus cum hoc Sacro Concilio vel deputandis per ſingulas Nationes debeat reformare Eccleſiam in capite & curia Romana ſecundum ęquitatem & bonum regimen Eccleſiæ, antequam hoc Concilium diſſolvatur ſuper materiis Articulorum, videlicet, &c.

ARTI-

ARTICVLI REFORMATIONIS

JUDICIO SUMMI PONTIFICIS RESERVATI.

EX M. SS. ET EDITIS CODICIBUS.

PRimo de numero, qualitate, & Natione Dominorum Cardinalium.
Item de reformationibus Sedis Apoſtolicæ.
Item de Annatis, communibus ſerviciis, & minutis.
Item de collationibus beneficiorum & gratiis exſpectativis.
Item de confirmationibus electionum.
Item de cauſis in Romana curia tractandis vel non.
Item de appellationibus ad Romanam curiam.
Item de officiis cancellariæ & Pœnitentiariæ.
Item de exemptionibus, incorporationibus tempore ſchiſmatis factis.
Item de commendis.
Item de fructibus medij temporis, &c.
Item de non alienandis bonis Romanæ Eccleſiæ.
Item propter quæ, & quomodo Papa poſſit corrigi vel deponi.
Item de extirpatione Symoniæ.
Item de Diſpenſationibus.
Item de proviſione Papæ & Cardinalium.
Item de indulgentiis.
Item de decimis.

Hoc adjecto, quod facta per Nationes deputatione prædicta, liceat alijs de Licentia Papæ liberè ad propria remeare.

CAPITA REFORMATIONIS

A PHILIPPO LABBEO

Edita in appendice ad Concilium Conſtantienſe, tamquam ad ſeſſionem 40. ſpectantia, nunc integriora reperta in duobus Codicibus M. SS uno Bibliothecæ Vaticanæ, altero Palatinæ, & ad ſeſſionem potius 43. reducenda.

DE NUMERO ET QUALITATE

Dominorum Cardinalium, & modo promotionis eorum.

STatuimus, ut deinceps numerus Cardinalium S.R.E. adeò ſit moderatus, quod nec ſit gravis Eccleſiæ, nec ſuperfluâ numeroſitate vileſcat, qui de omnibus partibus Chriſtianitatis proportionabiliter, quantum fieri poterit, aſſumantur, ut notitia cauſarum & negotiorum in Eccleſiâ emergentium facilius haberi poſſit, & æqualitas regionum in honoribus Eccleſiaſticis obſervetur, ſic tamen quod numerum XXIII. non excedant, niſi pro honore Nationum, quæ Cardinales non habent, unus, vel duo pro ſemel de conſilio & conſenſu Cardinalium aſſumendi viderint. Sint autem viri in ſcientia, moribus, & rerum experientia, & excellentes Doctores in Theologia, aut in jure canonico vel civili præter admodum paucos, qui de ſtirpe regia, aut ducali, aut magni principes oriundi exiſtant, in quibus competens litteratura ſufficiat: non fratres, aut nepotes ex fratre vel ſorore alicujus Cardinalis viventis, nec de uno ordine mendicantium ultra unum, non corpore vitiati, aut alicujus criminis, vel infamiæ nota

reſperſi,

reſperſi, nec fiat eorum electio per auricularia vota ſolummodo, ſed etiam cum conſilio Cardinalium collegialiter, ſicut in pronunciatione Epiſcoporum fieri conſuevit, qui modus etiam obſervetur, quando aliquis ex Cardinalibus in Epiſcopum aſſumetur.

De proviſionibus Eccleſiarum, Monaſteriorum, prioratuum, dignitatum, & aliorum beneficiorum.

Sanctiſſimus Dominus noſter Papa Martinus V. ſuper proviſionibus Eccleſiarum, Monaſteriorum, & beneficiorum quorumcumque vult, & intendit, & mandat obſervari; qvod exceptis Eccleſiis, Monaſteriis, & cæteris beneficiis reſervatis in jure, & deſignatis in extravaganti ad regimen modificatum, quantum ad numerum officiorum reducendum ad numerum conſuetum. Jtem quoad capellanos, quod beneficia eorum non reſervata, niſi ſint magiſtri, vel Doctores, vel Licentiati in Theologia, jure canonico, vel civili, quorum diſpoſitio ad Papam ſpecialiter pertineat in Eccleſiis & Monaſteriis fiant electiones canonicæ. De Monaſteriis autem non exemptis, quorum ſervitus ſuam taxationem decimæ vigeſimæ, Italiam & Hiſpanos 150. in Italia vero, & Hiſpaniis 60. li. Tu. per va. an. non excedunt, fiant confirmationes aut proviſiones per ordinarios ſecundum canonicas ſanctiones. De Monaſteriis non excedentibus ſummas prædictas, nec non Cathedralibus Eccleſiis electiones ad Sedem Apoſtolicam deferantur, quatenus ad tempus ſtatutum in conſtitutione Nicolai III. quæ incipit; cupientes præterea expectat, quo tranſacto, ſi non fuerint præſentatæ, vel ſi præſentatæ minus canonicè fuerint, Papa provideat. Si vero canonicè fuerint, Papa eas confirmet, niſi ex causâ rationabili & evidenti, & de fratrum conſilio, de digniori & utiliori perſona duxerit providendum,

 proviſi

** Metropolitano.*

proviſi & confirmati per Papam nihilominus * Metropolitanum & aliis præſtent debita juramenta & alia conſueta. De Monaſteriis monialium Papa non diſponat, niſi ſint exempta; ad Epiſcopales autem dignitates ut ſuprà, nullus eligatur, niſi Doctor, aut Licentiatus cum rigore examinis in Theologiâ, aut jure canonico vel civili: de cæteris vero dignitatibus, officiis, & beneficiis ſæcularibus, & regularibus ultra reſervationes prædictas duæ partes ſint in diſpoſitione Papæ, & tertia pars remaneat in diſpoſitione ordinariorum, ita quod duo prima cedant Papæ, & tertium ordinario, ita quod per quamcumque aliam reſervationem, aut prærogativas non minuatur. Item beneficia vacantia per reſignationem ſimplicem, vel ex cauſa permutationis neutri parti computentur. Item nec vult, nec intendit gratias expectativas dare, niſi ad unicum beneficium, niſi in Italia, & in Hiſpania, & in aliis partibus, ubi beneficia ſint exilia, neque ad dignitates majores poſt Pontificales in Cathedralibus, neque ad principales in collegiatis, neque ad prioratus conventuales. Dignitates vero majores poſt Pontificales in Cathedralibus, & principales in collegiatis nullis, niſi doctoribus, aut Bacalaureis formatis in Theologiâ, vel doctoribus, aut Licentiatis in jure canonico, vel civili conferri valeant, nec ad illas quis aſſumatur, niſi forte propter tenuitatem ipſorum infra menſem à die vacationis nullus inveniatur talis, qui illam voluerit acceptare. Cæteris autem literatis in prærogativis literarum providebitur. Item quod in pari data gratiarum expectativarum ad earum collationem graduatus non graduato præferatur; in gradibus diœceſanus præferatur non diœceſano.

Decretum.

Multorum temporum experientia docuit, quod dilationes

lationes eligendi aut alias providendi Eccleſiis, Monaſteriis, vel aliis dignatibus, quibus de jure, vel conſuetudine eſt per electionem providendum, quæ à noſtris prædeceſſoribus etiam in generalibus Conciliis ſtatuuntur, tam prætextu vacationis abſentium, quam alias, nimirum diuturnas damnationes, vexationes & onera gravia expenſarum inducant, quibus providero volentes, ſacro approbante Concilio ſtatuimus, ut deinceps vacantibus Eccleſiis, ij, ad quos pertinebat eligere, à die notæ vacationis ab Eccleſiâ, Monaſterio, ſive loco per XX. dies continuè abſentes expectant, quibus elapſis, ij, qui præſentes fuerint, abſque aliâ vocatione abſentium liberè ad electionem procedant, ſi infra quadraginta dies à die notæ vacationis prædictæ non elegerint, locum habeant ſtatuta ſuper hoc in generali Concilio, quæ & alia circa hoc edita volumus in ſuo robore permanere.

De annatis Rubrica.

Pro ſuſtentatione Summi Pontificis, & fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium, de Eccleſiis & Monaſteriis virorum dumtaxat vacantibus, & vacaturis, ſolventur pro fructibus primi anni à die vacationis ſummæ pecuniarum in libris Cameræ Apoſtolicæ taxatæ, quæ communia ſervitia nuncupantur; ſi quæ verò malè taxatæ ſunt, juſtè taxentur, & provideatur ſpecialiter in gravatis regionibus, ſecundum qualitatem rerum, temporum, & Regionum, ne nimium pergraventur, ad quod dabuntur commiſſarij, qui diligenter inquirant, & taxent: taxæ autem prædictæ pro media parte infra annum, etſi infra annum bis vacaverit, ſemel tantum ſolvetur, nec debitum hujuſmodi in ſucceſſorem in Eccleſia, vel Monaſterio tranſeat; de cæteris autem dignitatibus, perſonatibus, officiis, & beneficiis ſæcu-

laribus, & regularibus quibuſcumque, quæ auctoritate Sedis Apoſtolicæ conferuntur, vel providebitur de eiſdem, præterquam vigore gratiarum exſpectativarum, aut cauſa permutationis ſolvetur valor fructuum primi anni pro media parte infra ſex menſes à die adeptæ poſſeſſionis, & infrà alios ſex menſes, pro alia media parte, & debitum hujuſmodi in ſucceſſorem beneficio non tranſeat.

De cauſis tractandis in Romana curiâ vel extrà.

Cauſæ, quæ ad forum Eccleſiaſticum de jure vel conſuetudine non pertinent, per curiam Romanam non arripientur, de illis cognoſcendo in curia, vel extra committendo, niſi de conſenſu partium, qui non ad forum Eccleſiaſticum, ut præmittitur, pertinent, & de jure ſunt per appellationem aut aliter ad Romanam curiam devolutæ, aut de ſua natura tranctandæ, in eâ tractentur. Cæteræ committantur in partibus, niſi forſan pro cauſæ ac perſonarum qualitate illas tractare in curia expediret pro juſtitia conſequenda, vel de partium conſenſu in curia tractarentur. Matrimoniales tamen cauſæ in prima inſtantia, præter appellationem non committantur in curiâ, niſi in caſibus proximè dictis. Item ad refrenandum appellationes fruſtratorias, quæ ante diffinitivas ſententias interponuntur, ordinamus, quod injuſtæ ſeu frivolæ appellationes, ab interlocutoria vel gravamine, ultra condemnationem expenſarum, damnorum & intereſſe, in decem florenis, ſi appellatio interponatur in curia, & in viginti, ſi de partibus ad curiam parti appellatæ condemnetur. Et quod ſuper eadem interlocutoria, vel gravamine ſecundo appellare non liceat, niſi haberent vim diffinitivæ.

De

De Exemptionibus.

Attendentes, quod à tempore obitus felicis recordationis Gregorij Papæ XI. prædeceſſoris noſtri, nonnulli Romani Pontifices, aut pro Romanis Pontificibus ſe gerentes, & in ſuis diverſis obedientiis reputati, pro ſua voluntate, aut pro importunitate petentium nonnullas Eccleſias, Monaſteria, capitula, conventus, prioratus, beneficia, loca, & perſonas à juriſdictionibus ordinariorum tempore dicti Gregorij nullatenus exemptas, vel exempta, de novo apud dictorũ ordinariorum juriſdictionem exercuerunt in grave ipſorum ordinariorum præjudicium. Nos volentes hujuſmodi præjudicio obviare, omnes exemptiones Eccleſiarum, Monaſteriorum, capitulorum, conventuum, præpoſiturarum, beneficiorum, locorum, & perſonarum quarumcumque, etiamſi ex prædictis aliquod Monaſterium fuerit exemptum, & poſtea ſubjectum Monaſterio diverſi habitus vel coloris à tempore obitus dicti Gregorij XI. per quoſcumque pro Romanis Pontificibus ſe gerentibus de novo factas, quæ tamen ante exemptionem hujuſmodi nulla exemptione gaudebant, ſed ſimpliciter ſubjiciebantur ordinariæ juriſdictioni, nullumque ante illud tempus initium habuerant, etiam exceptis exemptionibus, quæ uni toti ordini, & quæ Eccleſiis, Monaſteriis, capitulis, conventibus, beneficiis, fundatoribus, ſive univerſitatibus ſtudiorum generalium, aut per modum confirmationis augmenti, aut additionis factæ fuerunt, aut conceſſæ, aut ſuper quibus præſentibus, & auditis quorum intererat, auctoritate competenti ordinatum fuerit, ſeu in quibus ordinarij conſenſerint, ſacro approbante Concilio, revocamus Eccleſias, Monaſteria & alia prædicta in priſtinam ordinariorum juriſdictionem reducentes. Cæteris autem exemptionibus ante obitum dicti Gregorij XI. per eos, qui pro Summis Pontificibus

in eorum obedientiis reputati fuerunt, factas ſeu conceſſas, quæ effectum non ſortitæ fuerunt. Item omnes etiam, quæ effectum ſortitæ fuerunt de perpetuis vicariis factas, & conceſſiones omnes juris patronatus, ſeu præſentandi factas Laicis Eccleſiarum ſeu beneficiorum, quæ non fundaverunt, ſeu dotaverunt. Circa alias vero uniones, quæ effectum jam ſortitæ fuerunt, cum certa regula dari non poſſit, & querelas eorum, quorum intererat, ſi non ex rationabilibus cauſis, vel veris factæ fuerint, licet Apoſtolicæ Sedis auctoritas ſupervenerit, revocabimus juſtitiâ mediante, vel aliter ſecundum juris exigentiam providebimus. Vel ſi Nationibus placet, fiat revocatio de præſenti.

De Commendis.

Item Dominus noſter Papa ordinavit, quod in poſterum Monaſteria, aut magni prioratus conventuales habere conſueti his temporibus ultra decem religioſos in conventu, & officia clauſtralia, dignitates majores poſt Pontificalem in Cathedralibus, ſive Eccleſiæ Parochiales nulli Prælato etiam Cardinali dentur in commendam; datæ autem & dati quamquam commendatariis loco illorum de æquivalenti providebitur, poſt pacificam poſſeſſionem adeptam illas dimittant, una etiam Eccleſia Metropolitana uni Cardinali vel Patriarchæ concedi poterit proviſionem aliam ſufficientem non habenti.

De fructibus medij temporis.

Item Sanctiſſimus Dominus noſter Papa fructus & proventus Eccleſiarum, Monaſteriorum, & beneficiorum vacationis tempore obvenientes juris & conſuetudinis, vel privilegij diſpoſitioni relinquit, illoſque ſibi, vel Apoſtolicæ Cameræ prohibet applicari.

De

De non alienandis & alienatis rebus Eccleſiaſticis.

Volentes Eccleſiarum indemnitatibus providere, omnes alienationes rerum immobilium & jurium, nec non conceſſionem Vicariatuum terrarum, civitatum, & dominiorum Romanæ Eccleſiæ ultra quinquennium ſine Concilij conſenſu & ſubſcriptione majoris partis Cardinaliũ illius obedientiæ: nec non omnes alienationes rerum ſimilium aliarum Eccleſiaſticarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum ſine conſenſu libero rectorum, & miniſtrorũ eorumdem per quoſcumque pro Romanis Pontificibus ſe gerentes, à tempore felicis recordationis Gregorij XI. prædeceſſoris noſtri, factas & conceſſas ſacro approbante Concilio, penitus revocamus. Alienationes verò per Prælatos, rectores, & miniſtros de rebus ſimilibus Eccleſiarum, vel Monaſteriorum, aut aliorum ſuorum beneficiorum præter aut contra juris formam factas, nullas fuiſſe & eſſe declaramus, & etiam revocamus, res ipſas aut terras, civitates atque dominia ad jus & proprietatem Eccleſiarum, Monaſteriorum & beneficiorum ipſorum reducentes. Volumus etiam & intendimus, quod regimina terrarum, provinciarum, civitatum, & dominiorum Eccleſiæ Romanæ, quas pro tempore poſſidebit, nulli, niſi Cardinali, vel Prælato Eccleſiaſtico, & ultra quam in iis, quæ requirunt miniſteria laicorum, ſed nec Vicariatus terrarum Eccleſiæ Romanæ ultrà triennium, & de Cardinalium conſilio concedantur, vel etiam committantur. De cæteris autem alienationibus, ſi qui gravari ſe ſenſerint, quærelam exponant apud Apoſtolicam Sedem, per quam, ut fieri poterit, providebitur de remedio competenti.

De quibus cauſis Papa, &c.

Non videtur, prout nec viſum fuit in pluribus Nationibus, circa hoc aliquod novum ſtatui vel decerni. *Nota.*

De

De Simoniacis.

Multæ per Simoniacam pravitatem olim ab Ioanne factæ ſunt conſtitutiones, quibus morbus ille non potuit exſtirpari. Nos volentes, ut poſſumus, attentius providere, ſacro approbante Concilio, declaramus, quod ordinati Simoniacè ab executione ſuorum ordinum ſint eo ipſo ſuſpenſi. Electiones autem, poſtulationes, confirmationes, & quæ proviſiones Eccleſiarum, Monaſteriorum, dignitatum, perſonatuum, officiorum, & beneficiorum Eccleſiaſticorum quorumcumque, ſeu ad illa, nulla ſint ipſo jure, nullumque per illas jus cuiquam * requiratur, nec faciat fructus ſuos; ſed ad illorum reſtitutionem tanquam iniquè ablatorum, percipientes teneantur. Statuentes inſuper, quod dantes & recipientes ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, etſi Pontificali, aut Cardinalatus præfulgeant dignitate, diſtrictius inhibentes; juxta etiam antiqua ſtatuta canonum, quod pro ordinibus, etiam clericali tonſura, ordinans nihil recipiat, cum ad id ſint fructus deputati Eccleſiaſtici, quodque notarij pro litteris ſuper ordinum prædictorum collatione pro prima clericali tonſura unum, pro quatuor minoribus ordinibus unum, pro quolibet ſacro ordine ſimiliter unum groſſum de Camera, quorum decem faciunt Florenum de Camera, recipiant; quod ſi contra fecerint, canonicis ſubjaceant inſtitutis.

* *acquiratur.*

De Diſpenſationibus.

Quoniam beneficia propter officia conceduntur, reputantes abſurdum, ut qui beneficia obtinent, recuſent, aut negligant officium exercere. Nos igitur ſacro approbante Concilio, omnes diſpenſationes à quibuſcumque pro Romanis Pontificibus ſe gerentibus conceſſas quibuſ-

quibuſcumque clericis conſecratis, ſeu proviſis ad Eccleſias, Monaſteria, Prioratus conventuales, Diaconatus, Archidiaconatus, & alia quæcumque beneficia, quibus certus ordo deditus eſt vel annexus, aut de illis ne munus conſecrationis Epiſcopi, ſeu benedictionis habens, aut cæteros debitos, aut annexos ordines ſuſcipiant, præter illos, qui ſecundum formam Cap. cum ex eo factæ ſunt, revocamus, ſtatuentes, ut qui de præſenti illas vel illa obtinent, infra ſex menſes à die publicationis hujuſmodi conſtitutionis noſtræ, & quæ impoſterum obtinebunt infra annum à die poſſeſſionis adeptæ; ſe faciant conſecrari aut benedici, ſive ad alium debitum ordinem promoveri, alioquin ſint ipſis Eccleſiis, Monaſteriis, dignitatibus, perſonatibus, officiis, & beneficiis prædictis ipſo jure privati, & aliis liberè conferantur, aut provideatur de illis. Cæteris conſtitutionibus circa hoc editis in ſuo robore duraturis.

Decretum.

Et quia multi Epiſcopi, & eorum ſuperiores, atque Abbates, in quibus major debet eſſe ſolicitudo curæ, & Pontificalis officij, plerumque extra Eccleſias, Diœceſes, & Monaſteria commorantur, propter quod negligitur officium Paſtorale, eodem approbante Concilio ſtatuimus, quod Epiſcopi & ſuperiores hujuſmodi in ſuis Eccleſiis & Diœceſibus, Abbates autem in ſuis Monaſteriis perſonaliter reſideant, à quibus ſi ſex menſes continuè abſuerint, à perceptione fructuum & proventuum per biennium ſint privati; qui fructus & proventus in utroque caſu Cathedralibus Eccleſiarum, & conventibus Monaſteriorum applicentur. Si vero per biennium abſuerint, ipſis Eccleſiis & Monaſteriis decernimus eſſe privandos, nullumque eis in aliquo caſuum prædictorum cujuſvis generalis ſtudij privilegium ſuffragetur, nec illis gaudeant quovis modo.

Ordinat Dominus noſter, quod ad Eccleſias Cathedrales, Monaſteria, Prioratus conventuales, aut Parochiales Eccleſias ſuper defectu ætatis ultra triennium nullatenus diſpenſetur, niſi fortè in Eccleſiis Cathedralibus ex ardua & evidenti cauſa de conſilio Cardinalium, ſeu majoris partis illorum videretur aliter diſpenſandum.

Item Dominus noſter, in gravibus & arduis caſibus ſine conſilio Cardinalium non intendit diſpenſare circa beneficia incompatibilia obtinentes, in quibus multi reperiuntur exceſſus conſtitutionis fel. rec. Ioannis XXII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit; ſalva moderatione in eo, quod in ea dicitur de uno curato beneficio cum non curato compatibili tamen licitè retinendis, ad duo etiam curata, dummodo non ſint duæ Parochiales Eccleſiæ, extendimus, ſacro approbante Concilio innovamus, atque contenta in illa ſecundum illius formam, & tenorem de novo ſtatuimus, & ordinamus, contenta in illa volentes diligentius obſervari.

De proviſione Papæ & Cardinalium.

Romano Pontifici & S.R.E. Cardinalibus pro illorum ſuſtentatione rebus Romanæ Eccleſiæ ſtantibus, ut ſunt, non videtur aliter poſſe provideri, quam hucuſque factum eſt, ſcilicet per beneficia, & communia ſervitia, quæ vacantiæ nuncupantur. Verum circa beneficiorum qualitatem taliter duximus providendum, quod nulli Cardinali Monaſterium, Prioratus conventualis, ultra numerum X. Religioſorum ſecundum moderna tempora habere conſuetus, nulla major dignitas poſt Pontificalem in Cathedralibus, aut Parochialibus, etiam nullum officium clauſtrale, nullum Xenodochium, Hoſpitale, Eleëmoſynaria, ſeu leproſaria in titulum vel adminiſtrationem conferantur: & ſi quæ talia nunc obti-

obtinent, quarè primum Papa loco illorum de alio æquivalenti providebit, illa dimittere teneantur, ſicut ſuperius de commendis eſt dictum. Proviſo, quod nullus Cardinalis de proventibus Eccleſiaſticis non habeat ultra valorem ſex millium florenorum.

Statuimus, quod ſinguli Cardinales, Monaſteria, aut Prioratus conventuales, habentes ultra numerum XII. Religioſorum ſecundum conſuetudinem temporum modernorum, habeant in illis vicarium generalem in ſpiritualibus & temporalibus Religioſum. Poterunt tamen iiſdem Cardinales ad regimen temporalium ſub dicta vicaria alias perſonas ſubſtituere, & nitentur quantum poterunt per Eccleſiaſticas perſonas hoc agere, conſtitutus tamen ad regimen hujuſmodi dictus vicarius ſine conſenſu Cardinalis non valeat removeri. In minoribus autem beneficiis conſtituant vicarium in ſpiritualibus, cætera per alias perſonas, & quantum poterunt, ut præmittitur, per Eccleſiaſticas hoc faciant. Nulli autem Laico Monaſteria, aut beneficia hujuſmodi locent, aut ad firman, aut arrendamentum dent. Teneantur etiam illi tenere unum religioſum ſecundum moderna tempora conſuetum, & maximè qui erant antequam Cardinales, quando illa beneficia, aut Monaſteria obtinerent, niſi poſtmodum fructus, & redditus eorum ſine culpa Cardinalium erunt adeo diminuti, quod ad ſuſtentationem Prioris & tot Religioſorum non ſufficerent. Superiores autem dictorum Monaſteriorum & Prioratuum, quibus jus viſitandi competit, illa poterunt viſitare, & defectus charitativè corrigere, & quæ in illis reparanda viderint, aut relapſa maximè per culpam Cardinalium, vel eorum miniſtrorum tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, illa gubernatoribus illorum injungatur reparari ſecundum facultatem Monaſteriorum, & beneficiorum hujuſmodi, deducto, quantum Abbas, & Prior, ſi eſſent, ſecundum commu-

nem modum pro ſtatu ſuo expenderent. Quod ſi in perficiendis iis, quæ in præmiſſis injuncta fuerint, gubernatores prædicti fuerint negligentes, Superiores ipſi tantum Sedi Apoſtolicæ, & Cardinalium dignitati deferant, quod ſemel Summo Pontifici, & Cardinalibus ipſis ſtudeant intimare, qui ſuper iis providere curabunt, ſi non fecerint infra terminum competentem, Superiores ipſi ſua auctoritate provideant. Secundum jura facere poſſunt, ſi per Abbates, & religioſos dicta Monaſteria, vel Prioratus obtinerentur, quocumque privilegio non obſtante.

De indulgentiis fiat Decretum.

Cavebit Dominus noſter Papa in futurum nimiam indulgentiarum effuſionem, ne vileſcant, & in præteritum conceſſas ab obitu Gregorij XI. citra perpetuas. Item quæ dicuntur de pœna & culpa, ſive de plena remiſſione conceſſas locis. Item omnes conceſſas ad inſtar alterius indulgentiæ revocat, & annullat.

De decimis, & aliis oneribus Eccleſiaſticis.

Præcipimus & mandamus jura, quæ prohibent inferioribus à Papa decimas, & alia onera Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis imponere, diſtrictius obſervari, per nos autem nullatenus imponentur, quod & noſtris ſucceſſoribus judicamus non imponi generaliter, ſuper totum clerum non ex magnâ, & arduâ causâ & utilitate univerſalem Eccleſiam concernente, & de conſilio, & conſenſu ac ſubſcriptione fratrum, & prælatorum, quorum conſilium faciliter haberi poterit; nec ſpecialiter in aliquo Regno, vel Provinciâ, inconſultis prælatis illius Regni, vel Provinciæ.

ACTA

ACTA SESSIONIS XLV.

EX DUOBUS COD. BIBLIOTHECÆ VATICANÆ ET UNO RICCIANO.

EDITA QUOQUE A PHILIPPO LABBEO IN APPENDICE CONSTANTIENSIS CONCILIJ.

REverendi in Chriſto Patres, nobiles, venerabileſque & circumſpecti Viri Domini & Magiſtri Nicolaus Archiepiſcopus Gneznenſis, Iacobus Epiſcopus placent. Petrus Boleſtæ Prothonotarius Apoſtolicæ Sedis, præpoſitus Eccleſiæ D. Mariæ Lauricenſis Gneznenſis Diœceſis, Paulus Valdimiri Canonicus & cuſtos Eccleſiæ Cracovienſis, Ioannes de Iolliſtabo Caſtellanus Caliſienſis, & Zaviſſius Niger de Carboſo capitaneus Surcienſis milites, oratores, & Ambaſiatores Sereniſſimi Principis Wladiſlai Dei Gratia Poloniæ Regis, nec non Illuſtriſſimi Principis Domini Alexandri aliàs Witoldi magni Ducis Lituaniæ per organum venerabilis & circumſpecti viri D. Iaſparis de Peruſio advocati ſacri conſiſtorij, eidem Domino noſtro & Sacro Concilio per modum ſupplicationis; & cum inſtantia, & reverentia, qua decuit, exponi fecerunt nomine dominorum Regis, & Ducis præfatorum, quatenus libellus cujuſdam Fratris Ioannis Falckenberch notoriè crudeliſſimas hæreſes continens, ut hæreticaliter damnatus, nec non etiam per omnes Nationes eiuſdem Concilij, ac ſacrum collegium Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium dictum Sacrum Concilium integrantes & conſtituentes concluſum & ordinatum, prout publicis & authenticis Scripturis ſive inſtrumentis per ipſum ibidem exhibitis

& oſtenſis liquide apparet, quod idem libellus tanquam hæreſes & alia multa, & quaſi infinita mala & errores continens in ſeſſione publica per Sacroſanctum Concilium cum hæreſibus, erroribus in eo contentis & deſcriptis publicè damnaretur, ſeu publicè damnatus nuntiaretur. Et propterea humiliter & devotè ſupplicabant oratores & Ambaxiatores præfati præfato Sanctiſſimo Domino noſtro Papæ,quatenus ante diſſolutionem eiuſdem Concilij dictus libellus cum hæreſibus & erroribus in eo contentis, in ipſa ſeſſione publica tanquam hæreticales hæreſeſque & errores continens damnaretur, ſeu damnatus nuntiaretur cum ad extirpandum hæreſes præfatum Concilium Sacroſanctum eſſet inter cætera principaliter convocatum, & congregatum: alioquin nomine quo ſupra proteſtabatur de gravamine & de appellando ad futurum Concilium, & de proſequendo appellationem, & appellationes interponendum & interponendas loco ſive locis & diebus, temporibus, & horis, de quibus ipſis Dominis Regi ac Duci, eorum oratoribus & procuratoribus, & eorum quibus viſum fuerit expedire. Et multa alia dixit, petiit, & proteſtatus fuit, prout & quemadmodum in quadam papyri cedula petitionem, proteſtationem & alia per ipſum requiſita continens, quam in ſuis tenebat manibus, plenius continetur, cujus lecturam & publicationem ipſe nomine quo ſupra obtulit facere, aut per alium fieri facere. Quibus ſic propoſitis, proteſtatis, requiſitis, & oblatis præfatus Sanctiſſimus Dominus noſter Papa,cum nonnulli alij multum dicerent, & tumultum facerent, impoſito omnibus ſilentio dixit, reſpondendo ad prædicta, quod omnia & ſingula determinata, concluſa, & decreta in materiis fidei, per præſens Sacrum generale Concilium Conſtantienſe conciliariter, tenere, & inviolabiliter obſervari volebat, & numquam contravenire quoquo modo, ipſaque ſic conciliariter facta approbat,

probat,

probat, & ratificat, & non aliter nec alio modo. Et illud idem iterato fecit dici per organum Venerabilis & circumſpecti viri Domini Auguſtini de Piſis Fiſcalis & Sacri Conſiſtorialis advocati prædicti, qui de hoc à Dominis Apoſtolicæ Sedis Prothonotariis & Notariis ad conſcribendum Acta Concilij ordinatis ac deputatis, & aliis præſentibus, & eorum quolibet petiit nomine dicti Domini noſtri Papæ publicum ſeu publica inſtrumenta per eos, & eorum quemlibet conficienda ad æternam rei memoriam. Et ex poſt Venerabilis & circumſpectus vir D. Paulus Voladinuri Decretorum Doctor, unus de Ambaxiatoribus ipſorum dominorum Regis & Ducis volens proponere & adimplere, quæ per dictum Dominum Iaſparum de Peruſio advocatum omiſſa fuerant ſuper libello præfato, ac etiam volens cedulam, de qua ſupra fit mentio, legere & publicare, incepit loqui & proponere, & cum vellet legere & publicare dictam cedulam, fuit ſibi per dictum Dominum Auguſtinum de Lante de Piſis advocatum de mandato dicti Domini noſtri Papæ, ut idem D. Auguſtinus aſſeruit, ibidem coram eodem Domino noſtro ſtantem, impoſitum ſilentium ſub pœnâ excommunicationis.

Quo quidem ſilentio impoſito, idem Paulus tacuit, &c.

DISSER-

DISSERTATIO
DE
AUCTORITATE ET SENSU
DECRETORUM
SESSIONUM QUARTÆ ET QUINTÆ
CONSTANTIENSIS CONCILIJ.

LIcet complura Decreta edita ſint Seſſionibus quartâ & quintâ à Conſtantienſi Concilio, duo tamen ſunt hâc diſſertatione examinanda, primum ſcilicet Seſſionis quartæ, & ſecundum Seſſionis quintæ, quæ hiſce verbis leguntur in editione vulgata.

DECRETUM I.

Sessionis Quartæ.

Concil. Conſtant. Seſſione 4. & 5.

Et primò, quod ipſa Synodus in Spiritu Sancto congregata legitimè generale Concilium faciens Eccleſiam militantem repreſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cujuſcumque ſtatus vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti ſchiſmatis, & reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite & in membris.

DECRETUM II.

Sessionis Quintæ.

Item declarat, quod quicumque cujuſcumque conditionis, ſtatus,

tus, dignitatis, etiamſi Papalis, qui mandatis aut præceptis hujus Sacræ Synodi, & cujuſcumque alterius Concilij generalis legitimè congregati ſuper præmiſſis ſeu ad ea ſpectantibus factis vel faciendis obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ Pœnitentiæ ſubjiciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia juris ſubſidia, ſi opus fuerit, recurrendo.

Ita duo Decreta, prout edita ſunt in tomis Conciliorum à Petro Crabbe, cæteriſque collectoribus uſque ad Philippum Labbeum, qui noviſſimam Conciliorum collectionem typis mandavit: & de his Decretis egit Venerabilis Clerus ex pluribus Galliæ locis ſuperiori anno Pariſiis adunatus, dum ſtatuit.

ARTICULO II.

Sic autem ineſſe Apoſtolicæ Sedi, ac Petri ſucceſſoribus Chriſti Vicariis rerum ſpiritualium plenam poteſtatem, ut ſimul valeant atque immota conſiſtant Sanctæ œcumenicæ Synodi Conſtantienſis à Sede Apoſtolicâ comprobata, ipſoque Romanorum Pontificum, ac totius Eccleſiæ uſu confirmata, atque ab Eccleſiâ Gallicanâ perpetuâ religione cuſtodita Decreta de auctoritate Conciliorum generalium, quæ Seſſione quartâ & quintâ continentur. Nec probari à Gallicanâ Eccleſiâ, qui eorum Decretorum, quaſi dubiæ ſint auctoritatis, ac minus approbata, robur infringant, aut ad ſolum ſchiſmatis tempus Concilij dicta detorqueant. Clerus Gallicanus in actis anno 1682. editis.

Plura dicit præfatus clerus, de quibus cum non ſolum aliæ Regiones, ſed nec omnes Galliarum Doctores, ſemper convenerint, hic fuſius agendum eſt. Decreta Seſſionis quartæ & quintæ de auctoritate Conciliorum generalium adeò firma, & inconcuſſa eſſe voluit, ut tamquam Decreta ab œcumenicâ Synodo in publicâ ſeſſione declarata, à Sede Apoſtolicâ comprobata, ipſoque Romanorum Pontificum ac totius Eccleſiæ uſu confirmata, ab Eccleſiâ demum Gallicanâ perpetuâ religione ſint cuſtodita, improbetque tres Doctorum ſententias,

quarum Prima Decreta illa dubiæ auctoritatis eſſe aſſeruit: Secunda ut minus approbata robore carere defendit: Tertia auctoritatem Conciliorum illis decretis expreſſam de ſolo ſchiſmatis tempore intellexit. Pace autem prædicti cleri factum ſit, quod occaſione actorum Conſtantienſis Concilij hactenus ineditorum, quæ ad manus meas pervenerunt, hæc tria tribus ſequentibus capitibus, ordine parum mutato, expendam.

C A P V T I.

An improbanda ſit ſententia eorum, qui Decreta Seſſionis quartæ & quintæ dubiæ auctoritatis eſſe affirmant.

INter tres ſententias, quas præfatus Clerus ſibi minimè probari oſtendit, primo loco ponitur illa, quæ Decreta Seſſionis quartæ & quintæ Conſtantienſis Concilij dubiæ auctoritatis eſſe ſuſtinet: cum autem ex triplici potiſſimum ratione circa Decreta Concilij dubium oriri poſſit, vel quia dubitatur de textus Germanitate, vel de ſufficienti Patrum deliberatione & conſenſu, vel demum de ipſius Synodi conſtituentis generalitate: tribus articulis tres dubitandi rationes examinabo, ſic ut in primo agam de primâ dubitandi ratione, an Decretum Seſſionis quartæ genuinum ſit, prout ad manus noſtras pervenit? in ſecundo, an Decreta Seſſionis quintæ cum debitâ deliberatione, conſentientibus omnibus, quorum intererat, conſtituta ſint? in tertio denique, an Patres Conſtantienſis Synodi Seſſionibus quartâ & quintâ univerſalem Eccleſiam ſufficienter repræſentarint, ut decreta ipſorum tanquam œcumenicæ Synodi omnes ubique fideles obligarint? ut autem à primo incipiam, ſit.

ARTI-

ARTICVLVS I.

An Decretum Seſsionis quartæ genuinum ad manus noſtras pervenerit?

DEcretum Seſſionis quartæ retulimus ſuprà ex editione vulgatâ: *quod ipſa Synodus in Spiritu Sancto congregata legitimè, generale Concilium faciens, Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet, cujuſcumque ſtatus, vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti ſchiſmatis, & reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite & in membris.* Ita decretum ad nos pervenit ex editione Colonienſi Petri Crabbe, Venetâ, aliiſque poſterioribus uſque ad Labbeianam, quæ eſt omnium noviſſima: & de iſto decreto quæritur hoc articulo, an genuinum ſit, & nullâ ſui parte vitiatum? 1. Decret. Seſſion. 4.

Primam rationem dubitandi ſubminiſtrant omnes editiones Conſtantienſis Concilij, quæ editionem Colonienſem Petri Crabbe præceſſerunt, in quibus non reperitur illa particula, *& ad fidem.* Enimverò deſideratur illa in editione Conſtantienſis Concilij anno 1499. inchoatâ, & an. 1500. abſolutâ in imperiali oppido Hagenow, quâ editione antiquiorem huc uſque non reperi. Secunda editio prodiit anno 1511. Mediolani typis Gotardi de Ponte operâ Zaccariæ Ferrerij Subaſienſis, Abbatis Vicentini: Tertia anno 1524. Lutetiæ typis Galioti à Prato operâ Iacobi Merlini Doctoris Pariſienſis in collectione Conciliorum, quæ anno 1530. Coloniæ iterum prodiit ex ædibus Quentelianis. Et in his omnibus editionibus ultima decreti verba Seſſione quartâ leguntur: *obedire tenetur in his, quæ pertinent ad extirpationem dicti ſchiſmatis, & reformationem generalem Eccleſiæ*

Dei in capite & in membris. Ubi particula : *ad fidem :* nullatenus reperitur.

Ut autem manifeſtum fiat, ex quonam Codice prædicta Conſtantienſis Synodi acta primùm edita ſint, & quænam illi fides adhiberi valeat,notandum eſt, Concilium Baſileenſe, cũ jam videret auctoritatem ſuam apud pleroſque vilipendi, cogitare cœpiſſe de publicandis Actis Conſtantienſis Concilij,ideoque mandaſſe duobus Cardinalibus, duobus Epiſcopis, duobus Theologiæ Doctoribus,& Archidiacono Zagabienſi,ut ex Actis Conſtantienſis Synodi Decreta extraherent. Hoc verò cum anno 1442. abſolutum eſſet à deputatis ſupradictis, opus fideliter conſcriptum fuit, & bullâ plumbeâ pendente in cordulâ ſericeâ per omnes cartas inferioris marginis tranſeunte bullatum. Ex hoc codice juſſu Baſileenſis Synodi exſcripto, & à deputatis ſubſcripto, Iohannes Hober ex Inderdorff Sacræ Theologiæ Baccalaureus anno 1490. copiam propriâ manu extraxit, quam cum ſuo originali concordare, teſtatus fuit Matthias Strinbach publicus auctoritate Apoſtolicâ Notarius : & hanc copiam, quæ anno 1499. ad Hieronymum de Croariâ juris utriuſque Doctorem ſpectabat, eodem anno typis mandata fuit in imperiali oppido Hagenow. Poſt quam editionem aliæ tres prodierunt Acta Conſtantienſis Concilij, prout à Baſileenſibus collecta fuerant, continentes, neque ullam, ut vidimus, in primo Decreto Seſſionis quartæ : *de fide :* mentionem facientes.

Primus, quem reperi, particulam : *fidei :* decreto illi addidiſſe,fuit Petrus Crabbe,qui nullâ factâ correctionis, mentione,nulloque codice citato, anno 1538. Decretum illis verbis retulit, cum quibus per ſubſequentes Conciliorum editiones ad manus noſtras pervenit.Nactus fuerat Petrus Crabbe alium codicem Concilij Conſtantienſis Coloniæ aſſervatum, in quo multo plura continebantur, quam à deputatis Baſileenſis Concilij, collecta

fuerant ;

fuerant ; & quamvis nihil dicat de correctione Decreti Seſſionis quartæ, alia tamen ad cætera decreta & acta ſpectantia adjunxit per modum appendicis, quæ poſtmodum inſtar fluminis per ingredientes rivulos ſemper aucta fuerunt à poſterioribus Conciliorum collectoribus, qui ſibi honori duxerunt jam editis nova addere, ſcrupuloque, ſemel editis vel minimum aliquid auferre.

Attamen, ſi genuina & vera eſſet actorum à Baſileenſibus collectorum copia, ex quâ prima Conſtantienſis Concilij editio prodiit, non deeſſent forſan, qui de particulâ : *ad fidem :* an decreto addendâ ſit, dubitare pergerent Verum, cum ego antiquiſſima manuſcripta Conſtantienſis Concilij particulam illam habere animadverterim, conceſſo libenter Baſileenſium in omiſſione illius errore, alium in ponendis certis verbis longè graviorem adjungo. Oſtendimus ſuprà ex compilatione deputatorum Baſileenſis Concilij, editam fuiſſe Synodum Conſtantienſem in oppido Hagenow, in quâ editione Decretum Seſſionis quartæ habet adjuncta hæc verba : *& reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite & in membris.* Et hæc ſunt, quæ à Decreto Seſſionis quartæ abeſſe debuerunt. Mirum & novum hoc quidem videbitur, idque contrà omnium editionum fidem, quæ poſt primam Conſtantienſis Synodi editionem hæc verba retinuerunt : ſed cum res indubitata evadat ex omnibus Codicibus Manuſcriptis, nihil aliud editiones Conciliorum efficere poſſunt, quam errorem ſemel à Baſileenſibus inchoatum huc uſque perſeveraſſe. Tres codices manuſcripti continentes Acta Conſtantienſis Concilij à notariis ipſius conſcripta, ex quibus Baſileenſes Decreta compilarunt, non habent illa verba in primo Decreto Seſſionis quartæ : *& ad reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris.* Codices quatuor M. S S. continentes geſta indubitata Conſtantienſis Synodi, quorum duo circa ipſius Conſtantienſis Concilij

 tempus

tempus conſcripti ſunt, licet habeant multo plura, quam hactenus edita, nullam tamen mentionem faciunt in Decreto Seſſionis quartæ, de reformatione Eccleſiæ in capite & in membris. Quin imò in uno ex iſtis codicibus poſt hæc decreti verba : *ad fidem & ad extirpationem dicti ſchiſmatis :* notatum erat : *iſte* (nimirum Articulus) *imperfectè fuit factus , ut ſequitur , ideo ſuppletur in ſeſſione ſequenti.* Quibus indicatur , clauſulam *de reformatione Eccleſiæ in capite & membris* abeſſe debere à Decreto Seſſionis quartæ , ideoque illud decretum renovatum fuiſſe in ſeſſione quintâ , in quâ ſolummodo clauſula illa adjungenda eſt, ut ſtatim videbimus. Duo demum codices continentes Regeſtum actorum Conſtantienſis Concilij, quorum unus circa tempus ipſius Concilij ſcriptus ſpectavit ad Eminentiſſimum Cardinalem Sirlettum , alius antiquo charactere Italico conſcriptus eſt , licet omnia acta contineant à prima ſeſſione uſque ad electionem Martini quinti , nullam tamen mentionem faciunt in Decreto Seſſionis quartæ : *de reformatione Eccleſiæ in capite & in membris.* Cæteros , quos vidi codices recentiores , prætereo , in quibus tamen omnibus prædicta verba deſiderantur , ut indubitatum ſit , à Baſileenſibus erroneè Decreto Seſſionis quartæ adjuncta , & à collectoribus Conciliorum errore Baſileenſium deceptis typis fuiſſe edita.

Neque refert, Decretum Seſſionis quartæ cum mentione reformationis in capite & in membris haberi in editione Romanâ anni 1628. quæ Pauli V. Pontificis auctoritate prodiiſſe dicitur : Paulus V. enim non adjecit bullam in collectionis aut decretorum confirmationem, neque aliquid de textus germanitate affirmavit , ſed veritatem lectionis penes codicum , ex quibus acta deſumpta ſunt, auctoritatem reliquit. Præclarum eſt hac de re exemplum de actis ſextæ Synodi , ubi nomen Honorij legitur , de quo auferendo poſt Baronium ad

hæc

hæc uſque tempora certatur. Sicut autem ſextæ Synodi acta ex editione Romanâ prodierunt cum eâ ſolum certitudine, quam fides græcorum codicum meretur, ex quibus edita ſunt: ita & factum eſt de Actis Conſtantienſis Concilij, quæ poſt editionem Romanam aliam certitudinem non obtinent, præter eam, quam merentur & auctoritas Baſileenſium, qui eam compilarunt, & manuſcripti codices, ex quibus edita fuerunt. Enimverò in editione Romanâ alia Acta Conſtantienſis Synodi non prodierunt, quam ex compilatione Baſileenſium, & appendice Petri Crabbe, ut cuique editiones conferenti patebit. Unde & collectores Romani, ut indicarent, ſe horum actorum fidem penes Baſileenſes reliquiſſe, addunt in fine hæc Baſileenſium verba: *nos igitur præinſerta geſta, ac decreta, ne cujuſvis impugnationis jaculis ſubjaceant tempore procedente, auctoritate univerſalis Eccleſiæ volumus, ſtatuimus, ac decernimus, & mandamus, quatenus præfatis decretis, & geſtis ſuperius inſertis in judiciis & extrà ubique producta, exhibitaque fuerint vel oſtenſa, in omnibus & per omnia ſtetur, ac fides plenaria exhibeatur perinde, ac ſi bullâ eiuſdem Conſtantienſis Synodi bullatâ forent, nec ad illorum probationem aliud adminiculum quomodolibet requiratur. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis, ſtatuti, decreti, & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & univerſalis Eccleſiæ ſe noverit incurſurum. Datum Baſileæ pridie nonas Februarij anno à Nativitate Domini* 1442. Ita in editione Romanâ finiunt Acta Conſtantienſis Synodi cum teſtimonio Baſileenſium, in quorum tamen compilatione error jam ſupra aſſignatus reperitur, ex quo manifeſtum fit, Decretum Seſſionis quartæ genuinum ad manus noſtras non perveniſſe. Acta Baſil.

ARTI-

ARTICVLVS II.

An Decreta Seßionis quintæ cum debita deliberatione, & conſentientibus omnibus, quorum intererat, conſtituta ſint?

IAm dudum tradiderunt Theologi, Decreta Seſſionis quartæ & quintæ ſine deliberatione tantæ rei debitâ, & contraclamantibus pluribus Patribus fuiſſe edita: ſed cum nulla acta allegarent, & ſolis ſuſpicionibus eorum dicta niterentur, quin etiam in iis actis, quæ Petrus Crabbe compilationi Baſileenſium adjecerat, legeretur: Decreta Seſſionis quintæ *prius per ſingulas quatuor Nationes concluſa, & deliberata fuiſſe.* Theologorum dicta apud aliquos fidem non obtinuerunt, & ipſi Eugenio Pontifici in ſuâ Apologiâ, hæc decreta non ſine magnâ contradictione edita fuiſſe perhibenti ſtatim Baſileenſes reſponderunt: *Contrarium hujuſmodi expreſſe legitur in geſtis Concilij Conſtantienſis.* Subdunt ex illis geſtis: *item quia propter diverſas opiniones de poteſtate Concilij generalis ſupra Papam, maximè in his, quæ pertinent ad reformationem Eccleſiæ ſuper prima definitione præſcriptus fuerat omiſſus articulus de hoc faciens mentionem, & ſequens, qui ex primo dependet, quia Cardinalis Florentinus ſuſtinebat, quod ille articulus non erat verus de jure, & propter hoc plures Cardinales, etiam quia ſuper illis definitionibus non fuerant habitæ, nec ſufficienter petitæ deliberationes eorum, nolebant ſeſſioni prædictæ intereſſe. Poſt illam ſeſſionem fuit per eumdem Cardinalem Florentinum ſuper hoc cum aliquibus deputatis aliqualiter diſputatum. Finaliter Concilium voluit ex integro dictas diffinitiones ad longum iterum in alia ſeſſione pronuntiari, & fuit facta ſeſſio die Sabbati poſt Paſcha, quæ fuit ſexta Aprilis, in qua ſeſſione iterum major pars Cardilium faciebat difficultatem intereſſendi, omnes tamen præter infirmos*

Baſileenſis ex geſtis Conc. Conſtant.

firmos venerunt ad ſeßionem præſente Rege Romanorum in Imperialibus inſignibus præſidente Cardinali de Vrſinis Epiſcopo Albanenſi, & celebravit Miſſam de Dominica Reynaldus Archiepiſcopus Rhemenſis. Item de conſenſu Iohannis Papæ XXIII. legitur in libro de geſtis iſtius Concilij compoſitis per Prothonotarios in reſponſione, quam fecit, quando fuerunt ſibi exhibiti articuli proceſſus Concilij: dixit enim, quod nullam defenſionem facere volebat, affirmans, Concilium Conſtantienſe Sanctißimum eſſe, errareque non poſſe, & quod ipſe numquam contradicere vellet, cum id ſibi minus non eſſet, quam publicè fateri, in Papatu nullum jus habere. Huc uſque Baſileenſes, qui geſta & Acta Conſtantienſis Concilij contra Eugenium 4 allegarunt, ut oſtenderent, Decreta Seſſionis quintæ ab omnibus Conſtantienſis Concilij Patribus edita, & à Iohanne 23. fuiſſe confirmata. Verum cum ad geſta Conſtantienſis Concilij hactenus inedita appellarint Baſileenſes, ex iiſdem & aliis, quæ in antiquiſſimis & fide dignis codicibus invenimus; totius rei ſeriem exponere neceſſe eſt, ut & orbi Catholico manifeſtum fiat, quâ arte Baſileenſes uſi ſunt in referendis teſtimoniis cauſæ ſuæ minimè faventibus.

Primum itaque notandum, quod, ubi Ioannes 23. qui Concilium Conſtantienſe indixerat, & duabus primis eius ſeſſionibus præſederat, animadvertiſſet, viam ſeſſionis pro unione Eccleſiæ à Patribus urgeri, neque eos contentos fore promiſſione, quam fecerat ſeſſione 2. cedendi Pontificatui caſu quo Benedictus XIII. & Gregorius XII. de Papatu cum eo contendentes ſimiliter cederent, ſed ulterius procuratorium requiſituros, quo aliqui per Concilium nominandi ipſius nomine Pontificatui cederent, ſtatim fugam arripuerit, & Scafuſam ad quatuor milliaria Germanica ab Urbe Conſtantienſi diſtantem pervenerit, ibique aliquanto tempore permanſerit. Inde verò cum tres Cardinales à collegio deputati Conſtantiam reverſi eſſent, & coram Rege Romanorum

ac Nationibus, 28. Martij varia nomine Ioannis Papæ de procuratoribus ſtatuendis obtuliſſent, omnia teſte Regeſto Conſtantienſis Concilij tamquam Ludicra & fictè prò parte Ioannis 23. oblata per Regem Romanorum, & alios ibidem adſtantes reputata fuërunt; fuitque ibidem unanimiter vociferatum: *his non obſtantibus fiat Seſſio, fiat Seſſio.*

Secundò habetur ex Regeſto & geſtis, poſt tam inconſultam vociferationem die ſequenti 29. Martij congregatas fuiſſe Nationes, & in illa congregatione ſtatutum fuiſſe, ut Seſſio quarta celebraretur in craſtinum, ſtatimque nominata capitula, quæ volebant in ea ſtatuere, & ob hæc magnam concertationem fuiſſe tam inter Nationes, quam Cardinales; qui ultimi auctore Cardinale Florentino difficultatem fecerunt veniendi ad Seſſionem quartam, nolentes Decretorum ab ipſis impugnatorum publicationi intereſſe, ideoque Regem Romanorum die 29. apud Nationes plurimum laboraſſe, ut Decreta à Cardinalibus impugnata omitterentur, ſed non potuiſſe concordare, obtinuiſſe tamen ab eis, *quod ſeſſio uſque ad horam decimam prorogaretur, & in craſtinum uſque ad illam horam viderent, ſi poſſent ad invicem concordare.* Ex quibus verbis patet, etiam in ipſis Nationibus fuiſſe magnam animorum diſcordiam.

Notandum Tertiò, die ſequenti 30. Martij manè horâ ſeptimâ convenientibus in palatio Epiſcopali Rege Romanorum, Cardinalibus, & Nationibus, magnam inter illos altercationem fuiſſe ſuper Decretis in ſeſſione publicandis, & tandem Cardinalibus cum Nationibus non concordantibus inceptam fuiſſe miſſam: cumque prælati ſederent in Concilio cum mitris & pluvialibus ad Seſſionem quartam celebrandam, Cardinales & Ambaſſiatores Regis Franciæ noluiſſe ſeſſioni illi intereſſe, *quia ſuper diffinitionibus non fuerant habitæ, nec ſufficienter petitæ deliberationes eorum:* ideoque Regem Romanorum ad

ſe

ſe vocaſſe deputatos Nationum, & ingrediendo cum duobus Cardinalibus S. Marci & Florentino primam capellam Eccleſiæ Conſtantienſis, non modicam iterum diſceptationem habitam fuiſſe inter Regem, Cardinales, & deputatos Nationum ſuper capitulis prælibatis: tandem Divino flamine inſpirante in unam ſententiam conveniſſe, ut omitterentur capitula à Cardinalibus impugnata. Sic ut à Seſſione quartâ non ſolum abſit Decretum de puniendo quocumque contumaciter obedire nolente, ſed & articulus de reformatione Eccleſiæ in capite & in membris à primo Decreto abeſſe debeat, cum & illi articulo Cardinales contradixiſſent.

Quartò notandum ex geſtis Concilij, poſt ſeſſionem illam Nationes dediſſe aliquos deputatos, qui agerent cũ Franciſco Zabarella Cardinali Florentino, utpote qui præcipuè capitulis contradixerat: *fuiſſeque per eumdem Cardinalem cum aliquibus deputatis aliqualiter diſputatum.* Ubi notandum eſt, τò *aliqualiter*, quo indicatur, à deputatis Nationum cum Cardinali Florentino ſuper capitulis controverſis non ſufficienter diſputatum fuiſſe: ſed neque Nationes ipſæ poſt factam ſemel tumultuoſam concluſionem, maturam & debitam tantæ rei deliberationem inierunt, ſed deputati Nationum poſt aliqualem diſputationem capitula ſemel concluſa ſequenti ſeſſioni publicanda ſtatuerunt, & poſt altercationem voluerunt, ex integro dictas diffinitiones ad longum iterum pronuntiari in Seſſione quintâ, cui proinde Seſſioni Cardinales, & Regis Galliæ oratores intereſſe noluerunt.

Quintò, Seſſioni tamen quintæ interfuiſſe Cardinales, ut enim habetur in geſtis Concilij: *licet iterum major pars Cardinalium faciebat difficultatem intereſſendi, omnes tamen præter infirmos venerunt ad ſeſſionem præſente Rege Romanorum in imperialibus inſigniis, præſidente Cardinali de Urſinis Epiſcopo Albanenſi, & celebravit Miſſam de Dominicâ Raynaldus Archiepiſcopus Rhemenſis.* Citant hæc verba Baſileenſes ex Geſta Conc. Conſtant.

 geſtis

geſtis ſupra, ut oſtendant, Decreta Seſſionis quintæ probantibus & conſentientibus omnibus publicata fuiſſe. Sed vellem ſcire, cur hæc verba immediatè ſequentia omiſerint? *fuerunt pronuntiatæ diffinitiones ſequentes per electum Poznanienſem, quia Cardinalis Florentinus illas noluit pronuntiare.* Hæc enim verba, cum pauca ſint, & maximi momenti, etiam cæteris ſubjicienda erant. Cur igitur omiſſa ſunt? non ob aliam rationem, quam quia Baſileenſium inſtituto minimè favebant. Ubi enim ex verbis per ipſos citatis colligi poterat, omnes conſenſiſſe, ibi ex verbis ſubſequentibus conſtabat de oppoſitione Cardinalis Florentini, & omnium ipſi adhærentium, ex quibus planè colligebatur contrarium, ut non immeritò de fraude Baſileenſium conqueri liceat.

Regeſtum Concil. Conſtantienſis.

Sextò, Cardinales ante Seſſionem quintam in Camerâ Paramentorum feciſſe proteſtationem ſecretam, *quod propter ſcandalum evitandum ad Seſſionem ibant, non animo conſentiendi his, quæ audiverant, in ipsâ ſtatui debere.* Ita auctor Regeſti, ut mirum non ſit, Cardinales Seſſioni quintæ interfuiſſe, licet eius decretis non conſentirent, ſed planè contradicerent, id quod geſta Concilij ſufficienter innuunt, cum Cardinalem Florentinum, ad quem de more ſpectabat decretorum publicatio, in Seſſione ipsâ videntibus & audientibus omnibus Concilij Patribus decretorum illorum lectionem recuſaſſe teſtentur, Conciliumque nominaſſe electum Poznanienſem, *quia Cardinalis Florentinus illas noluit pronuntiare.*

Septimò, unà cum Cardinalibus tenuiſſe Oratores Regis Galliæ, cum quibus à Seſſione quartâ *Cardinales ſe conjunxerant, & illi cum Cardinalibus:* indeque eos ſimul cum Cardinalibus in Camerâ Paramentorum ante Seſſionem quintam emiſiſſe proteſtationem, de non conſentiendo his, quæ ſeſſione illâ ſtatuenda erant, quodque *propter ſcandalum evitandum, non animo conſentiendi ad ſeſſionem ibant.* Ex quibus omnibus plura innoteſcunt,

quæ

quæ huc uſque ignoravit orbis Catholicus, multaque confirmantur, quæ apud Baſileenſium ſequaces fide carebant.

Ab aliquibus Theologis ſcriptum erat, Decreta Seſſionis quartæ & quintæ, ſine debitâ deliberatione fuiſſe publicata, ſed ut diximus ſuprà, auditi non fuerunt, partim, quia nulla acta fide digna adferebant, partim, quia in actis à Petro Crabbe ex M. S. Codice Colonienſi publicatis legebatur, capitula Seſſione quintâ *prius per quatuor Nationes deliberata & concluſa fuiſſe*. Nunc autem conſtat ex ipſis Concilij geſtis, capitula illa poſt tumultuoſam de celebrandâ Seſſione quartâ vociferationem in unicâ Nationum congregatione concluſa fuiſſe, & totam deliberationem unius diei tempore abſolutam, neque deliberationem illam communem fuiſſe, *cum ſuper diſſinitionibus non fuerant habitæ, nec ſufficienter petitæ deliberationes* Cardinalium, & Regis Galliæ oratorum.

A quibuſdam memoriæ traditum erat, decreta ſupradicta non niſi contradicentibus pluribus edita fuiſſe ab unâ obedientiâ, & licet auctores magni nominis hoc aſſererent, apud Baſileenſes tamen, quia nulla acta adferebant, fidem non meruerunt. Nunc autem conſtat ex Regeſto & geſtis ipſius Concilij, ſummam fuiſſe ante Seſſionem quartam inter Nationes de horum publicatione diſcordiam, & Cardinales per Franciſcum Zabarellam ſeſe adeo efficaciter oppoſuiſſe, ut deputati Nationum ratione convicti ab illorum publicatione abſtinendum eſſe judicaverint, & Nationes Seſſione quartâ reipſa abſtinuerint. Nemo hucuſque ſcriptis vulgaverat, contra Seſsionem quintam, ubi articuli poſt altercationem potius quam debitam tantæ rei inquiſitionem publicati fuerunt, aliquam proteſtationem factam fuiſſe. Nunc autem conſtat ex Regeſto Concilij, Cardinales proteſtationem præmiſiſſe, quod animo non conſentiendi ad ſeſsionem ibant: verum quidem eſt

hanc proteſtationem ſecretè factam fuiſſe, notandum tamen, ipſum decretum, cui proteſtatio opponebatur, defectu ſufficientis deliberationis, & abſentiæ illorum, quos ſuffragari oportebat, minus legitimum fuiſſe, & Cardinales timentes diſſolutionem Concilj per animorum diſcordias orituram, hæc omnia ſecretè egiſſe, & ad ipſam ſeſsionem non aliter iviſſe, quam *ad ſcandalum*, ut dicitur, *evitandum.*

Nemo vel præterito ſæculo ſcriptum reliquerat, vel præſenti audiverat, Oratores Regis Galliæ una cum Cardinalibus contra Decreta Seſsionis quintæ proteſtatos fuiſſe, quod tunc divinâ providentiâ factum exiſtimem, ut nunc, cum præfatus Galliæ clerus Decreta illa tamquam indubitatæ auctoritatis habuit, omnibuſque tanquam à Concilio Generali edita propoſuit, Orbis Catholicus videre poſsit, Decreta illa ab unâ dumtaxat obedientiâ, eaque non integrâ prodiiſſe, utpote contra quæ Cardinales & Galliæ Oratores proteſtati ſunt, ipſeque Ioannes 23. quamdiu in libertate fuit, contradixit, ut ſatis ſuperque à Theologis præterito & præſenti ſæculo probatum fuit, & nos ex actis huc uſque ineditis, ſi opus ſit, plenius oſtendemus. Quæ enim à Baſileenſibus adferuntur ex actis Concilij à Prothonotariis conſcriptis de articulis Ioanni 23. exhibitis, ipſamet acta innuunt, non de Decretis Seſsionis quartæ & quintæ, ſed de Articulis, de quibus coram Concilio accuſabatur, & ob quos Concilium contra eum ſententiam ferre volebat, eſſe intelligenda. De ſententiâ enim illâ dixit Iohannes, *neque Concilium in hoc errare poſſe*, neque eidem ſe contradicere, ſed potius ſubſcribere velle. Dumque illa fiebant, jam à Duce Auſtriæ Concilio traditus erat, & libertate privatus ſortem ſuam deplorabat; neque aliud, quam ut ſententia mitigaretur, à Concilio petebat.

Unde dicat Rodericus Epiſcopus Calaguritanus in dialogo

dialogo de auctoritate & poteſtate Romani Pontificis, ſe audiviſſe à non parvæ auctoritatis viris, qui Concilio Conſtantienſi interfuère, Decretum Seſsionis quintæ præter id, quod factum fuerit à ſolâ obedientiâ Ioannis 23. nec etiam concorditer factum eſſe ab omnibus eiuſdem obedientiæ, cum reclamaverint complures Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, complures Prælati, & Doctores affirmantes, Decretum minus juridicum fore, daturumque quandoque occaſionem ſchiſmatis, & ipſum Ioannem 23. eâ de causâ infeliciter fugam arripuiſſe. Roderic Calaguritan.

Dicat ſubinde Cardinalis Turrecremata libro 2. de Eccleſiâ cap.99. *Neque ipſam integram Ioannis 23. obedientiam conſenſiſſe, quoniam plures Patres doctiſſimi illius obedientiæ illis non præſtiterunt conſenſum, aut aſſenſum ſuum: item nec ipſe in ſuâ obedientiâ vocatus Ioannes 23. quoniam cum poſt receſſum ſuum à Conſtantiâ Scaphuſæ conſtitutus audiret præfatam declarationem concluſam, Dominis Oratoribus Regis Franciæ viſitantibus eum, videlicet Domino Duce Bavariæ, Domino Nicolao de Calavilla, aliiſque eorum collegis amaro animo conqueſtus eſt, falſa quædam & erronea adverſus auctoritatem Romani Pontificis Decreta per æmulos ſuos poſt receſſum eius eſſe concluſa.* Qui hæc ſcripſit, Conſtantienſi Concilio in minoribus conſtitutus interfuit, & vel ab ipſis legatis, vel qui cum legatis Galliæ locuti fuerant, hæc audire potuit, quæ ſi vera ſint, ut poſt Ioannis 23. receſſum plurimorum exacerbati animi in ſolius Concilij auctoritate ſpem ſopiendi ſchiſma poſuerint, & æmuli ipſius Nationes ad inconſideratam Decretorum concluſionem impulerint, adeo ut ad Iohannis 23. Notitiam res hæc pervenerit, & Schafuſæ hæc Regis Galliæ Oratoribus amaro animo conquæſtus fuerit, jam & rationem habebis, cur Regis Galliæ Oratores Cardinalibus adhæſerint, & de non conſentiendo prædictis Decretis proteſtationem præmiſerint. Turrecremata.

Dicat

Eugenius 4. in Apologiâ. parte 8. inſerta Regeſto Baſileenſi Tom. 2.

Dicat demum Summus Eccleſiæ Pontifex Eugenius quartus in ſua Apologiâ contra Baſileenſes, parte 8. *qui conſtantiæ conſedebant, unius tantū obedientiæ Synodum faciebant, nec tamen hi omnes in eam ſententiam convenerunt, ſed nonnulli reclamavêre graviores, qui ſtrepente multitudine ſuperati, ſicut his noviſsimis temporibus, quibus carnales exuberant paſsiones, factum eſſe manifeſtum eſt, audiri nequiverunt.* Fuit Eugenius nepos Gregorij XII. & in Cardinalitiâ dignitate à Seſſione 14. Concilio Conſtantienſi interfuit, ubi non ſolum à Cardinalibus, quid in ſacro illorum collegio, ſed & à viris graviſſimis, quid in Nationibus actum fuerat; didicit, & poſteritati conſecravit, contra quod dum Baſileenſes ſcribere præſumpſerunt, non ſine fraude rem ſuam, ut patet ex dictis, agere potuerunt. Cæterum hæc teſtimonia adjunxiſſe ſufficiat, quibus firmatur, Decreta Seſſionis 4. & 5. non ſolum ſine communi deliberatione tantæ rei debitâ, ſed nec ſtatuta fuiſſe ab omnibus unius obedientiæ Patribus, adeoque ſi non invalida, vel ex hoc capite dubiæ auctoritatis eſſe cenſenda.

ARTICVLVS III.

An Patres Conſtantienſes Seſsione 4. & 5. ſufficienter Eccleſiam univerſalem repræſentarint, ut eorum Decreta obligarint omnes ubique fideles.

Eugenius 4. in Apologiâ.

PRæclarè hac de re ſcribit Eugenius 4. in ſuâ contrà Baſileenſes Apologiâ: dum enim Decreta Seſſionis quintæ ſtatuebantur, *Eccleſiam*, inquit, *tribus obedientiis fuiſſe diviſam conſtat, & Synodum illam hunc habuiſſe progreſſum, ut in ſui principio Ioannis 23. obedientia ſola convenerat, poſt aliquantulum tempus Gregorij, ultimo benedicti:* Progreſ-

ſum

ſum hunc aliis verbis notat Turrecremata, *congregatio namque conſtantiæ celebrata tria*, inquit, *tempora habuit: Primum fuit, in quo ſola obedientia præfati Iohannis Balthaſar Conſtantiæ convenerat. Secundum tempus fuit, in quo Angelus Corarius vocatus in obedientia ſua Gregorius XII. juri ſuo cedens præfatæ congregationi ſub certis modo & formâ ſe conjunxit. Tertium tempus eſt, in quo Reges, & Principes, ac Prælati obedientes Petro de Luna Benedicto XIII. vocato in obedientiâ ſuâ per ſuos oratores, novâ facta convocatione Concilij, ſe unierunt præfatæ congregationi ad pacem dandam univerſali Eccleſiæ, & fuimus nos tunc præſentes in minoribus conſtituti, pro quo ſolo tempore convenientibus omnibus ſimul tribus obedientiis fuit certum dicere, quod univerſalis Eccleſia repræſentativè congregata eſſet Conſtantiæ. Nullus autem dubitat, quod aſſerere, quod ſola obedientia Iohannis faceret Concilium univerſale Vniverſalem Eccleſiam repræſentans, eſſet temerarium ac ſcandaloſum aliis duabus obedientiis.* Quin imo ut habet Eugenius 4. loco ſuperius citato de duabus illis obedientiis Concilio ſeſe unientibus: *non dixit obedientia Gregorij, non Benedicti, quæ Chriſtianitatis pars non modica erat, ante tempus conventionis plenarium fuiſſe Concilium, nec prius actitata quaſi Synodi Generalis plenaria auctoritate ſuſcepit. Itaque oportuit ipſis convenientibus primo ab obedientiâ Gregorij, deinde ab obedientiâ Benedicti novum Concilium convocari, hincque universâ Eccleſiâ concurrente plenariæ Synodi rem & nomen accepit. Quod ergo ante illum articulum ipſis à Patribus ibi conſedentibus actum eſt, univerſæ Eccleſiæ non debet adſcribi, ſed eis tantum, qui ibidem conſedebant, & unius tantum obedientiæ Synodum faciebant.*

Turrecremata.

Conc. Conſt. Seſſioni 14.

Plura dixit Summus Eccleſiæ Pontifex de duabus obedientiis, quæ ex actis ipſius Concilij pleniſſimè confirmantur. Ac primò quidem de obedientiâ Gregorij XII. conſtat ex actis, non permiſiſſe Gregorium unionem, niſi improbando convocationem Concilij à Ioanne 23. factam, & aliam novam faciendo. Ita enim teſtantur bullæ eius à quatuor Prothonariis Seſſioni 14. inſertis, in

in quarum primâ datâ Arimini 3. idus Martij anno 1414. concedit Gregorius Ioanni Cardinali S. Sixti, & electo Conſtantinopolitano Patriarchæ, ſuis ad Concilium nuntiis, aliiſque de obedientiâ ſuâ conſtantiæ exiſtentibus, *congregationem ipſam in quantum per dictam Serenitatem Regiam & non per Balthaſarem ſe nuncupari facientem Ioannem Papam 23. vocatam vice ſua ad prædictorum effectum convocandi & authorizandi in Generale Concilium, remotâ tamen omnimodo dicti Balthaſaris præſidentiâ, & præſentiâ ab iiſdem.* Et hanc Gregorij bullam non ſolum actis ſuis inſeruit Conſtantienſe Concilium, ſed conſentientibus quatuor Nationibus Bartholomæus Archiepiſcopus Mediolanenſis publicè legit duas cedulas, quarum una in effectu continebat: *quod Concilium memoratum dictam convocationem, authoriſationem, & confirmationem, in quantum ad eumdem Gregorium pertinet, & attinet eis, admittit, & collegium ipſius Domini Gregorij nuncupati alteri collegio videlicet olim Iohannis Papæ 23. & è converſo unita omnimodò ſore decrevit. Altera verò continebat in effectu, quod notarij rogati de præmiſſis non faciant mentionem in inſtrumentis ſuis de Papâ, vel Sede Apoſtolicâ, ſed de Sigiſmundo Romanorum Rege &c. Et Regno Romanorum uſque ad ceſſionem per Carolum nomine dicti Gregorij faciendam.* Habentur hæc omnia in Regeſto actorum Concilij, ex quibus patet, Gregorium cum omni ſuâ obedientiâ coram toto Concilio Seſſione 14. profeſſum fuiſſe, illud eouſque debitâ auctoritate non fuiſſe convocatum, ideoque, ut generale eſſet, aliâ convocatione indiguiſſe, improbando illam, quæ à Ioanne 23. facta erat: ipſumque Concilium non damnaſſe illam obedientiam ſic ſentientem, ſed potius convocationem admiſiſſe, & Iohannis ac Sedis Apoſtolicæ mentionem omiſiſſe in actis uſque ad ceſſionem à Carolo de Malateſtis nomine Gregorij factam.

Eugenius 4. in Apologiâ.

2. Codic. MSS. Regeſtû continentes.

Verum quidem eſt, Concilium hanc ob rem non omiſiſſe nomen Generalis Synodi, ſed quod tunc non

o miſit,

omiſit, omittere coactum fuit, quando tertia obedientia Petri de Luna Concilio acceſſit. Enimverò cum in hâc obedientiâ *Chriſtianitatis pars*, ut loquitur Eugenius, *non modica eſſet*, Rex Romanorum ad inſtantiam Concilij Narbonam ſe contulit, ut unionem cum iſtius obedientiæ principibus iniret. Scribit hac de re inſignem epiſtolam Archiepiſcopus Narbonenſis, qui obſervat primò, varios Reges fuiſſe obedientiæ Benedicti: fuere autem Rex Arragonum, cui parebat tota Arragonia cum civitate Barcinonenſi, inſuliſque Majorcarum, Sardiniæ, & Corſicæ. Rex Navarræ, cui parebat totum Navarræ Regnum. Rex Caſtellæ, cui parebat maxima Hiſpaniæ pars cum celeberrimâ Toletanâ Eccleſiâ. Rex Schotiæ cum Regno ipſi ſubjacente. Comites de Fuxi & Armeniaci cum dominiis ſuis, qui omnes nondum admiſerant Conſtantienſe Concilium, ad quod poſt Seſſionem 20. etiam primùm venerunt nuntij Regum Portugalliæ & Siciliæ, ut fuſius probari poſſet ex geſtis & actis ipſius Concilij, quæ etiam indicant, magnam Italiæ partem poſt fugam Ioannis 23. fluctuaſſe, neque clarè Concilio adhæſiſſe, quin potius eidem repugnaſſe. Extat M. S. in Regeſto Concilij.

Obſervat deinde Archiepiſcopus Narbonenſis, concordatum de unione initum fuiſſe, quod certis modis & temporibus litteræ convocationis fierent tam ex parte obedientiæ Benedicti, quam ex parte congregationis Conſtantienſis. Inter certos autem modos unus fuit, ut hæc eſſet litterarum inſcriptio ex parte Concilij: *miſeratione divinâ Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Prælati, & cæteri in conſtantiâ Provinciæ Moguntiæ in Chriſti nomine congregati, Illuſtri Principi Ferdinando Dei Gratiâ Arragonum & Siciliæ Regi, &c.* Sine ullâ mentione Generalis Concilij. Et ſexaginta litteræ cum hac inſcriptione miſſæ ſunt à Concilio ad Regem Arragonum pro Prælatis ſuis tam in Regno Arragoniæ, quam aliis regnis & terris conſtitutus.

 Obſer-

Obſervat demum, quod hac unione mediante *erit Conſtantiæ univerſalis Synodus totius Chriſtianitatis*: ac ſi innueret, ante unionem reipſa talem non fuiſſe, prout apertius volunt ipſa concordata Narbonenſia, in quibus non fiebat mentio Conſtantienſis Synodi tamquam generalis niſi addito: *ſic per eius obedientiam nuncupatæ*: in quibus ſtatuebatur, novam Concilij convocationem ex utrâque parte faciendam, adeo ut Patres obedientiæ Benedicti alios Conſtantiæ conſtitutos ad Concilium univerſale vocarent: in quibus demum vetabatur Patribus Conſtantiæ conſtitutis, ne in litteris convocatoriis nomen Generalis Concilij uſurparent. Et concordata hæc omnia continentia non ſolum inita ſunt à deputatis Concilij, ſed & quatuor Nationes Concilium Conſtantienſe cum Sacro Cardinalium collegio conſtituentes hæc ipſa acceptarunt, & juramento confirmarunt, ut fidem faciunt 20. Cardinalium, 2. Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, Ambaxiatorum, aliorumque nomina Actis Seſſionis 20. inſerta.

Hiſce omnibus alia addi poſſunt ex geſtis Concilij hucuſque ineditis: quando nimirum Arragonenſes ad Concilium venêre, exortis ante unionem quibuſdam difficultatibus, legatos Regis expreſsè dixiſſe, *quod quidem vellent ſe unire Concilio, non tamen reputare, eſſe Generale Concilium, neque agi de rebus Concilij Generalis, donec venirent legati Regis Caſtellæ.* Quibus verbis nihil clarius deſiderari poteſt. Iis autem conſonant litteræ ſcriptæ à Rege & Reginâ Caſtellæ *ad congregationem quatuor Nationum in Conſtantiâ. Sic enim*, ut ſubdunt ipſamet geſta, *intitulantur litteræ.* Ac ſi notaſſent, Caſtellanos congregationem Conſtantienſem ne quidem habuiſſe pro Concilio: idemque obſervant eadem Geſta de litteris Regis Schotiæ anno 1416. conſcriptis, in quibus *ſe recommendat Concilio, quod vocat congregationem in Conſtantiâ.*

4. Codic. M.SS.

Geſta Concilij in 4. Cod. M.SS.

Adjun-

Adjungam ulterius ex iiſdem geſtis, quod nunc planè ignorat Orbis Catholicus: cum Seſſione 14. à Concilio ſub graviſſimis pœnis editum fuiſſet terribile Decretum de non eligendo ſine aſſenſu Concilij Pontifice, Cardinales, quia id factum erat ſine prævià collegij deliberatione, poſt Seſſionem 38. apud omnes Nationes proteſtati ſunt, quod decretum illud haberent pro invalido & nullo. Et Natio Hiſpana poſtea adjunxit, ſe illo decreto, licet alias validum exiſteret, minimè teneri, quia Seſſione 14. nondum adfuerat Concilio. Et hæc adeo rationi conſentanea exiſtimarunt Nationes Italiæ & Galliæ, ut Hiſpanorum dicta laudarint & approbarint, quandoquidem ea proteſtationi ſub nomine ſuo factæ inſeri permiſerint. Et cum hæc veriſſima eſſe geſta ipſa à nobis ſuperius edita teſtentur, videre poteſt Orbis Catholicus, qua ratione prætendatur, Concilium Seſſione quintâ ſufficienter Eccleſiam univerſalem repræſentaſſe, ut fideles omnes obligentur eius decretis, quibus, cum ſtatuerentur, non ſolum Hiſpani aſſenſum ſuum non præbuerunt, ſed nec obedientia Benedicti XIII. nec obedientia Gregorij XII. interfuëre, & contra quæ ex obedientiâ Ioannis 23. plerique Patres locuti ſunt in Nationibus, Cardinales deinde cum Galliæ oratoribus proteſtati ſunt.

Neque hinc ſequitur, Ioannis 23. depoſitionem & electionem Martini quinti in dubium vocari poſſe: quoad depoſitionem enim Ioannis 23. eam non tentavit Concilium, niſi obtento conſenſu ipſius, & procuratâ illius renuntiatione, quam poſtea in libertatè conſtitutus ratam habuit, prout patet ex Leonardo Aretino in Hiſtoriâ rerum Italicarum, ubi ſcribit: *erat ſcrupulus apud multos, quoniam depoſitio abdicatioque illius violenta fuerat, num jure ſubſiſteret; quod ſi illa dubia, Martini quoque electio in ambiguum veniebat, quoniam non vacanti Eccleſiæ provideri de novo Paſtore non potuerat. Ob hunc timorem Martinus, &* Leonard. Aretin.

ſimul ne Germaniæ Principes hoc habentes idolum, per eam occaſionem aliquid quandoque molirentur, redimendum Ioannem, & in Italiam reducendum providit. Igitur per hunc modum exemptus carcere, cum in Galliam perveniſſet, conſilio Martini cognito (id erat, ut Mantuæ perpetuo carcere teneretur) antequam Mantuam veniret, rurſus aufugiens in Ligures abiit. Ibi cum eſſet liber & ſui juris, ſive conſcientia ductus, ſive quod deſperabat aliquid proſpicere poſſe, ſponte ſua Florentiam venit, & ſeſe pedibus Martini ſubjiciens, eum ut Pontificem verum, & unicum recognovit.

Ultimum hoc clarius exponit auctor Anonymus poſt Geſta Concilij Conſtantienſis, cujus hæc ſunt verba ex

2. M. SS. Codic. M. SS. Codicibus: *Anno Domini* 1419. *intravit cum magnâ admiratione Florentiam in habitu ſolum Doctorali, ut erat, & rectâ viâ venit ad præſentiam Papæ cum maximâ humilitate, & oſculatus pedem, & manus, & os, ac quibuſcumque verbis prolatis de propoſito, quod ſemper habuerat ad unionem Eccleſiæ, approbavit, & ratificavit renuntiationem Papatus alias per eum factam, & cognovit Dominum Papam Martinum velut Summum Pontificem, promittens eidem, tanquam Summo Pontifici obedire, & recommendavit ſe, & ſtatum ſuum eidem Summo Pontifici, & tam humiliter fecit hæc, quod multos Cardinales & alios præſentes provocavit ad lacrymas, vixque nullus audiens poterat lacrymas detinere. Poſtmodum tractato per Dominum Papam cum Cardinalibus, licet aliqui contradicerent, factus eſt Cardinalis & Epiſcopus Tuſculanus, & exinde pluries venit ad palatium in conſiſtoriis privatis, & alia geſſit, ut cæteri Cardinales Epiſcopi, & fecit ſe vocari Cardinalem Florentinum.* Hæc auctor de Ioanne, quem poſt VII. Menſes adepti Cardinalatus Florentiæ obiiſſe refert. Ex quibus manifeſtum fit, ſi quis ſcrupulus de legitima electione Martini ſupererat in nonnullorum animis, hunc ſublatum fuiſſe per ſpontaneam Ioannis renuntiationem, quamvis revera hac renuntiatione minimè indiguerit Martini electio, utpote facta à tribus obedientiis, & conſenſu totius

Orbis

Orbis Catholici roborata : quæ an de Decretis Seſſionis quartæ & quintæ dici poſſint, ſic ut ab unâ obedientiâ eâque non integrâ edita, poſtmodum à tribus obedientiis Conſtantiæ adunatis fuerint confirmata, & totâ demum Eccleſiâ recepta, jam videre neceſſe eſt. Cum enim præfatus ſæpè clerus ſecundo loco improbet ſententiam eorum, qui decreta illa, ut minus confirmata robore carere exiſtimant, & tertio loco eorum opinionem rejiciat, qui decreta de ſolo ſchiſmatis tempore intelligunt. Nos, quia ita rerum ordo exigit, à tertio incipiemus, & quid ipſimet Patres Conſtantienſes de ſenſu & auctoritate Decretorum poſt trium obedientiarum unionem tenuerint, inveſtigabimus, unde ſit.

C A P V T II.

Quid Patres Conſtantienſes poſt trium præſertim obedientiarum unionem de ſenſu & auctoritate Decretorum Seſſionis quartæ & quintæ tenuerint?

AGerem hic de ſententiâ Theologorum, qui Decreta Seſſionum quartæ & quintæ de ſolo ſchiſmatis tempore intellexerunt, oſtenderemque, quibus fundamentis innixi ipſa Decretorum verba eodem ſenſu interpretati ſint, niſi occaſione geſtorum hactenus ineditorum ipſam Patrum Conſtantienſium mentem aperiri poſſe animadvertiſſem. Cum enim de ſenſu Decretorum certius conſtare non poſſit, quam ex mente conſtituentium, illam ex actis nunc primò repertis eruendam eſſe duxi, & non ſolum, quid Patres unius obedientiæ, dum ea conſtituerunt, ſed etiam, quid Patres poſt trium obedientiarum unionem per decreta illa intel-

intellexerint, & quænam ex illis, ac quomodo in auctoritatem receperint, oſtendendum præ cæteris exiſtimavi.

Ac primò quidem de Patribus unius obedientiæ, qui Seſſionem quartam contradicentibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus celebrâre ſtatuerant, habes ſuperiori capite articulo 2. Teſtimonium ex geſtis Concilij citatum à Baſileenſibus, qui eo fraudulenter uſi ſunt, ad oſtendendum, Decreta Seſſionis quartæ & quintæ conſentientibus omnibus Concilij Patribus fuiſſe edita. Colligitur ex illo, Nationes ſine communi & debitâ tantæ rei deliberatione ſtatuiſſe, ut Seſſione quartâ in primò Decreto decerneretur, unumquemque, licet Pontificalis auctoritatis, obedire debere Conſtantienſis Concilij Decretis ad fidem, unionem, & reformationem Eccleſiæ in capite & membris ſpectantibus: Secundum vero Decretum huic adjungeretur, quod contumaciter ſive hujus, ſive alterius Generalis Concilij Decretis quoad prædicta obedire contemnentes, puniri poſſint, & legitimæ Pœnitentiæ ſubjici, licet eſſent Pontificalis auctoritatis. Hiſce autem Decretis oppoſuerunt ſe Franciſcus Zabarella Cardinalis Florentinus cum pluribus aliis, qui propter diverſas opiniones Concilij Generalis ſupra Papam maximè in his, quæ pertinent ad reformationem Eccleſiæ, voluerunt à primo Decreto auferri articulum de ea mentionem facientem, & omitti ſecundum Decretum de puniendo Pontifice contumace, quod ex primò dependet: *quia*, inquiunt Geſta à Baſileenſibus citata: *Cardinalis Florentinus ſubſtinebat, quod ille articulus non erat verus de jure, & propter hoc plures Cardinales etiam quia ſuper illis definitionibus non fuerant habitæ nec ſufficienter petitæ deliberationes eorum, nolebant ſeſſioni prædictæ intereſſe.*

Geſta Conſtant. Concilij.

Maxima igitur & præcipua contentio fuit circa reformationem Eccleſiæ in capite & membris, & an Pontifex

tifex

tifex Decretis à Concilo Conſtantienſi deſuper edendis obedire teneretur, ita ut ſi contumaciter obedire contempſerit ſive Conſtantienſis ſive alterius Generalis Concilij Decretis ad prædicta ſpectantibus, puniri poſſit. Negabat hæc Cardinalis Florentinus cum ſuis ſequacibus, ſuſtinuitque, illud non eſſe verum de jure, quod adeo efficaciter propugnavit, ut ipſi deputati Nationum ab articuli illius & ſecundi Decreti publicatione Seſſione quartâ abſtinendum eſſe duxerint, & ſic divino flamine inſpirante omnes unius obedientiæ Patres in unam eamdemque ſententiam conſpirarint, quæ opinionem de ſuperioritate Concilij ſuprà verum & indubitatum Pontificem nullatenus attingebat: concluſum enim, ut ſolum declararetur Seſſione quartâ, quod ipſa Synodus Conſtantienſis, quæ tempore ſchiſmatis celebrabatur, poteſtatem haberet edendi decreta ad fidem pro extirpandis hæreticis, & unionem pro extirpatione ſchiſmatis ſpectantia, quibus omnes licet Pontificalis auctoritatis, ut tres ſeſe tunc pro Pontificibus gerentes, obedire deberent tamquam Decretis Eccleſiæ legitimè factis.

Celebratâ itaque Seſſione quartâ abſque eo, quod in illa aliquid ſtatutum fuiſſet de Conciliorum Generalium præterquam Conſtantienſis auctoritate circa fidei & unionis materias, fuit poſt illam ſeſſionem, ut dicitur in geſtis à Baſileenſibus citatis, per Franciſcum Zabarellam Cardinalem Florentinum ſuper articulo de reformatione Eccleſiæ aliqualiter diſputatum cum deputatis Nationum, quid vero ex utraque parte dictum ſit, latet & ignoratur: nihil enim referunt geſta Concilij, nihil commemorat Regeſtum, nihil planè habent acta ab ipſis Prothonotariis conſcripta. Quod ſi tamen conjecturis uti liceat, nullatenus dubitem, quin Cardinalis Florentinus rationes allegarit, quas ante Seſſionem quartam de non publicandis decretis habuerat, propter

diverſas nimirum opiniones de poteſtate Concilij Generalis maximè in his, quæ pertinent ad reformationem Eccleſiæ. Quidquid enim ſit de Concilij poteſtate, quam tempore ſchiſmatis Synodus immediatè à Deo habet ad extirpationem graſſantis hæreſis & peſtiferi ſchiſmatis, quod deficiente vero & indubitato Pontifice nulla alia auctoritas in Eccleſiâ reſtet ad illorum progreſſui obſiſtendum, ideoque de his ſtatui potuerit id, quod Decreto primò Seſſionis quartæ continetur, abſque eo quod hoc indubitati Pontificis auctoritatem impeteret, hærebat tamen Cardinalis Florentinus non percipiens, quomodò Concilium Conſtantienſe de reformatione Eccleſiæ in capite ſtatueret, niſi & juriſdictionem ſupra ipſum Eccleſiæ caput uſurparet.

Quid hic reſponderint Nationum deputati, latet, ut diximus, & ignoratur: potuerunt tamen reſpondere, ſeſe primò acturos de unione etiam membrorum cum capite, & poſt electionem unius indubitati Pontificis ipſo præſente de reformatione. Potuerunt item reſpondere, ante electionem veri Pontificis ſeſe non acturos de reformatione in capite, niſi quantum ſpectat ad illa, quæ tempore ſchiſmatis ſtatuta erant per dubios Pontifices, & vel ob ſcandalum evitandum remedio, vel ob diſciplinæ inſtaurationem reformatione indigebant. Potuerunt demum reſpondere, tempore, quo plures de Papatu contendunt, Concilium Generale poteſtatem immediate à Deo habere ſtatuendi, quæcumque neceſſaria vel utilia judicaverit, & illius ſtatutis obediendum eſſe ac ſi verus Pontifex una cum Concilio ſtatuiſſet, hocque non tangere opinionem de ſuperioritate Concilij ſuprà Papam, cum illa verſetur circa caſum, quando ex una parte eſt Concilium legitimè convocatum, & ex alia unicus & indubitatus Pontifex, de quibus eodem tempore exiſtentibus quæſtio erat inter Theologos & canoniſtas, cujuſnam tamquam ſuperioris

ris

ris auctoritati obediendum eſſet. Hæc, ut dixi reſpondere poterant deputati Nationum ad articulum de reformatione Eccleſiæ in primò Decreto controverſum. Quoad ſecundum Decretum de puniendo etiam Pontifice contumacè dicere poterant, id quod habetur in geſtis, illud pendere ex Decreto primò, idque ſufficienter indicari per hæc verba : *ſuper præmiſſis ſeu ad ea ſpectantibus factis vel faciendis.* Quod ſi tamen velis, deputatos Nationum aliud quid propugnaſſe, quod cum Cardinalis Florentini ſententiâ ex adverſo pugnabat, conſtat ex geſtis, neque à deputatis Nationum cum Cardinali Florentino de capitulis ſufficienter, ſed ut dicitur, *aliqualiter* dumtaxat diſputatum fuiſſe, neque Cardinalem Florentinum cum ſuis è ſacro collegio ſequacibus & Regis Galliæ oratoribus publicationi Decretorum Seſſionis quintæ, in qua Nationes abſque aliâ inquiſitione illa publicarunt, acquieviſſe, ſed proteſtatos fuiſſe, quod ob ſcandalum evitandum ad ſeſſionem ibant, non animo conſentiendi his, quæ audiverant in ipsâ ſtatui debere, ut & ſuprà vidimus ex Regeſto actorum Conſtantienſis Concilij.

Hiſce de ſenſu Decretorum à Patribus unius obedientiæ intento prænotatis, videamus jam, quid Patres poſt trium obedientiarum unionem de ſenſu illorum tradiderint, & quomodo Decreta illa in auctoritatem receperint. Ac primò quidem de ſenſu primi Decreti Seſſionis quintæ circa articulum reformationis Eccleſiæ in capite, omitto notare omnia illa, quæ à deputatis deliberata feruntur abſque ulla concluſione & publicatione, præterquam ubi de ſtatutis à dubiis Pontificibus agebatur : omitto inſuper omnia illa, quæ Cardinales indirectè fecerunt, ne Concilium reformationis materiam præmitteret materiæ electionis. Sufficit enim notare ex Geſtis Concilij, Anglos & Germanos ad inſtantiam Regis Romanorum concluſiſſe, quod nullatenus

agerent de modo electionis futuri Pontificis, niſi abſolutâ materiâ reformationis in capite, & hoc adeo diſplicuiſſe non ſolum Cardinalibus, ſed & tribus aliis Nationibus Italicæ, Gallicanæ, & Hiſpanæ, ut unanimi conſenſu fecerint proteſtationem ſuperius inter Acta Concilij Conſtantienſis editam, quâ oſtendunt, electionem Pontificis ante cætera omnia faciendam, tum ob alia, tum ob illud maximè. *Quod Clerus & populus nonnullorum Regnorum, & Provinciarum nondum ſolidè & clarè huic Sacro Concilio adhæſerint, ſed, ut communiter fertur, expectant fiendæ electionis Summi Pontificis eventum, ut ſi electus fuerit canonicè, illi obediant, alias non. Nec non etiam, quod quorumdam, qui eidem Concilio adhæſerunt, propter rumores diſcordiarum, & quaſi impreſſionum, quas in eodem Concilio fieri audiunt, fides jam de eodem Concilio dicitur vacillare: ob quæ jam ſcriptum, & relatum eſt à pluribus Magnatibus, & aliis Zelatoribus pacis, & unionis Eccleſiæ, in Italia plurimum dubitari, ne in Vrbe Roma prætextu rumorum, & dilationis prædictorum aliquis pro Summo Pontifice aſſumatur, cui forſan præmiſſis attentis tota Italia obediret.* Ex quibus videmus clariſſimè, extra Concilium non unam Nationum de eius decretis fuiſſe ſententiam, ſed Regna, & Provincias fuiſſe, quæ Concilij Decretis non obediendum putabant: quin imo ex iis, qui Concilio adhæſerant, non defuiſſe, apud quos fides eius vacillabat, & ipſum populum, ac Clerum Romanum de alio eligendo Pontifice cogitaſſe, quod Pontifici potius, quam Concilio ſeorſim ſumpto obedire vellent.

Geſta Concilij ex 4. Cod. M. SS.

Notandum præterea, cum tres Nationes cum collegio Cardinalium in ipſo Conſtantienſi Concilio hujus ſententiæ eſſent, ut ante omnia electio Pontificis præcedere deberet, & Natio Germanica objiceret, quod agere de modo electionis ante reformationem, eſſet contra Decreta Concilij & capitula Narbonæ concordata: à tribus Nationibus, & collegio Cardinalium reſpon-

reſponſum fuiſſe : Decreta in primis non contradicere, *ſed velle contrarium : in omnibus enim locis*, inquiunt, *ubi vel Concilium, vel dicta capitula de agendis in iſto Concilio loquuntur, ſemper proponunt unionem, quæ unio nec eſt, nec dici poteſt perfecta, niſi Eccleſia unum caput miniſteriale habeat, cui corpus Eccleſiæ uniatur. Duplex enim ſecundum Sacros Doctores eſt unio Eccleſiæ ; una membrorum invicem, quæ jam creditur eſſe facta, altera membrorum ad caput, ut conſtituatur corpus integrum, & perfectum, & iſta non eſt facta, igitur primo loco fienda.* Deinde in capitulis Narbonenſibus dixerunt hunc eſſe ordinem : *quod agatur de ejectione Petri de Luna, de electione Summi Pontificis, & de reformatione Eccleſiæ in capite, & in membris.* Et hic habes ſenſum Decreti 1. Seſſionis 5. per *Decreta Concilij* enim à Natione Germanicâ objecta intelliguntur Decreta Seſſionis quintæ, in quibus ſolum agitur de reformatione Eccleſiæ in curiâ Romanâ ſive capite : & illa decreta quocumque tandem ſenſu ſeſſione illâ ab unâ obedientiâ contradicentibus pluribus Cardinalibus fuerint edita, poſt Seſſionem 38. unitis jam tribus obedientiis hoc ſenſu intelligenda dicuntur, ut non de Concilio ſeorſim ſumpto, quem ſenſum ſuperioritati Concilij favere exiſtimaverant Cardinales, ſed Concilio, cui verus, & indubitatus Pontifex adeſt, qui ſenſus nihil ad ſuperioritatem Concilij facit, intelligantur. Neque ego ſum, qui ita decreta expono, ſed ipſimet Concilij Conſtantienſis Patres, Sacrum Cardinalium collegium, tota Natio Italica, Natio Hiſpana, & quod caput eſt, ipſa Natio Gallicana, cujus Bituricenſis Archiepiſcopus ipſius Regis Galliæ legatus integram proteſtationem publicaſſet, niſi ob factum occaſione Regis Romanorum tumultum, in lectione illius pergere impeditus fuiſſet.

Neque poſt hæc contrà Baſileenſes aliis monumentis opus eſt, ut oſtendatur, quantum à ſenſu Conſtantienſis Synodi alieni fuerint, dum Decretum primum Seſſion. 5.

de ſuperioritate Concilij intellectum, ac ſi fidei eſſet, proponere auſi fuerunt. Dum aliqui reformationem in capite per Concilium ſeorſim ſumptum aggredi tentabant, permiſit omnipotens Deus, talia occurrere, quæ hunc errorem corrigerent, & illam ſine ipſo Pontifice fieri non poſſe, oſtenderent: *ſi enim reformatio fienda eſt*, inquiunt tres Nationes cum collegio Cardinalium: *quæ major eſt, aut eſſe poteſt in corpore deformitas, quam carere capite, & acephalum eſſe: illa igitur prior tamquam magis neceſſaria debet eſſe reformatio, quæ corpus ipſum ad caput reformet, & informet, & contrarium aſſerere, vel facere, non videtur eſſe ſecurum.*

Contra hæc autem cum duo ex Cardinalibus, & pauci ex tribus Nationibus Nationi Germanicæ adhærerent, audiendos illos non eſſe ipſæ Nationes aſſeruëre, pro ratione addentes, quod turpe ſit à ſua Natione deficere, & ignominioſum in rebus ſpiritualibus non viris Eccleſiaſticis, ſed Regi Romanorum adhærere, ad quem præmiſſa tractare, aut differre non pertinebat: unde dictæ tres Nationes proteſtatæ ſunt cum Sacro Cardinalium collegio, de providendo Eccleſiæ Dei per remedia oportuna, ſi reformationis materiam ante electionem veri & indubitati Pontificis præcedere debere, Germani pertinaciter in poſterùm tuerentur. Quâ re nihil gravius dici poterat à Cardinalium collegio, & ex parte trium Nationum cum dicto collegio multo majorem partem, & ſaniorem Conſtantienſis Concilij facientium, & majorem partem univerſalis Eccleſiæ repræſentantium.

Verum quidem eſt, notari in geſtis Concilij, hæc magnam animorum perturbationem Regi, ipſique adhærentibus attuliſſe, pluraque machinamenta hanc ob rem facta contra Cardinalium collegium, & horrendam tempeſtatem in Concilio obinde exortam fuiſſe: ſed ſi eſſet ex una parte Rex Romanorum milite armato paratus ad capiendum Cardinales, & Prælatos, ipſaque Natio Germanica reformationem præcedere debere, ſuſtine-

ſuſtineret. Stabat ex alterâ parte major numerus Patrum cum collegio Cardinalium, qui unionem in capite, ſeu electionem indubitati Pontificis præcedere debere oſtendebant, & dum terrore adigebantur, apertè concluſum eſt in ſacro collegio, *quod propter tales minas, & timores incuſſos, neque propter machinationes, quas ſciebant Cardinales fieri contra eos, non dimitterent proſecutionem unionis Eccleſiæ uſque ad mortem, & portabant capellum rubeum in ſignum Martyrij, ſi opus eſſet pro Eccleſiâ Dei, nec de aliquo terrebantur.* Unde, & ſignificatâ Regis indignatione, & deliberatione finali de capiendis octo Cardinalibus, aliiſque Prælatis, ut ducerentur ad diverſa loca in exilium. *Cardinales, & alij, de quorum etiam proſcriptione dicebatur, conſtantes ſteterunt, nec omiſerunt loqui, & proſequi, quæ juſta eis videbantur.* Geſta Concilij in 4. Cod. M.SS.

Obſervatur deinde in geſtis Concilij, hanc Cardinalium & Prælatorum conſtantiam fuiſſe victricem, & de aliis triumpaſſe. Nam primò Natio Anglicana deputatos ſuos pro modo electionis conceſſit, *& ad mandatum Regis Angliæ dimiſit in illâ materiâ Regem Romanorum:* per Oratores autem Regis Angliæ factâ inter Cardinales, & Regem Romanorum concordiâ, ſtatim *Patriarcha Antiochenus, Archiepiſcopus Mediolanenſis, Epiſcopus Adrienſis, & duo Cardinales Bononienſis, & Senenſis, & alij de Galliâ & Italiâ, qui adhæſerant Regi, dimiſerunt Regem*, nec ſolum obtulerunt Cardinalibus eſſe cum illis, ſed qui hoſtes eorum fuerant, jam ante omnes alios materiam electionis urgebant. Unde cum initâ laudatâ concordiâ Rex Romanorum verbo ſuo non ſtetiſſet, ſed cum Natione Germanicâ de novo proponeret, ut reformatio præcederet, magna iterum in Concilio orta eſt controverſia, & inſiſtentibus quatuor Nationibus cum collegio Cardinalium pro acceleratione electionis, tandem victa Natio Germanicâ conſenſum præbuit, petivitque *aſſecurationem, & cautionem per decretum irritans, quod poſt electio-*

electionem Papæ fieret reformatio ante coronationem Papæ, & adminiſtrationem aliquam; poſtea fuerunt factæ diverſæ formæ Decreti ad hoc. Tandem fuit dictum, quod Papa electus ligari non poterat. Notanda ſunt hæc ultima verba poſt ſeriam deliberationem pro finali reſponſione data. Ex iis enim non difficile colligitur, aliam longè fuiſſe mentem Patrum Conſtantienſium de auctoritate Summi Pontificis, quam Orbi Catholico obtrudere conata fuit turba Baſileenſium.

Enimverò, ſi Concilium ſeorſim ſumptum ſit ſupra unicum, & legitimum Pontificem, & de legitimo Pontifice intelligenda ſint Decreta Seſſionis quintæ ſuperius allata, ut Baſileenſes voluerunt, cur quæſo Concilium Conſtantienſe hæc Decreta in præſenti locum habere noluit? cur non renovavit, Pontificem obedire debere Concilij Decretis, ſic ut qui obedire comtempſerit, debitè puniatur? cur his fundamentis innixum non judicavit, electionem Pontificis in caſu contumaciæ irritandam? nihil horum tentavit Concilium, quia aliena fuerunt à mente Patrum Conſtantienſium, unde Germanis reſponſum eſt: *Papa electus ligari non poteſt.* Quando Decreta Seſſionis quintæ ab unâ obedientiâ edita fuerunt, tres erant de Papatu contendentes, & illa ad liberius obtinendam unionem ſtatuta ſunt: quando verò agebatur poſt Seſſionem 38. de Decreto irritante, ſermo erat de unico, & indubitato Pontifice, quem etiam ante coronationem ligari non poſſe, reſponſum eſt. Memoriâ ſcilicet repetebant Patres Conſtantienſis Concilij illud Antiquorum effatum, quod qui ſummam poteſtatem ligandi & ſolvendi à Chriſto Domino acceperat in Petro, ita alios judicet, ut de illo nemo mortalium ſententiam ferat, ideoque *Papa electus ligari non poſſit.* Hoc à Patribus Conſtantienſibus datum reſponſum, nemo in hunc uſque diem typis edidit, & quia illud aliaque plura ignoravit Orbis Catholicus, opinio Baſileenſium apud nonnul-

nonnullos prævaluit, ad quam evertendam vel hoc ſolum teſtimonium ſufficit.

Cum enim hoc audiſſent, finaliter conſenſerunt, quod daretur per Decretum Concilij in formâ cautio de fiendâ reformatione poſt electionem Papæ, ita ut Romanus Pontifex per Dei Gratiam tunc aſſumendus cum ipſo Conſtantienſi Concilio vel deputandis per ſingulas Nationes deberet reformare Eccleſiam in capite & in membris juxtà capitula in unum collecta, inter quæ ad inſtantiam Nationis Germanicæ poſitus erat ſequens: *propter quæ, & quomodo Papa poſſit corrigi, aut deponi.* Quem articulum numquam futuri Pontificis judicio decidendum commiſiſſet Concilium, ſi editum ab unâ obedientiâ Seſſione quintâ Decretum pro legitimo & indubitato habuiſſet. Et hoc eſt, quod olim legatis Galliæ Decreta Seſſionis quintæ pro auctoritate Concilij Generalis ſuprà Papam allegantibus reſponderunt tres Cardinales ab Eugenio IV. deputati in actis hucuſque ineditis: *Primò, quod Patres de Conſtantiâ non videntur habuiſſe illum erroneum ſenſum de poteſtate Conciliorum, quem habuerunt Baſileenſes, & practicaverunt. Secundò, quod diffinitio facta in Conſtantiâ, fuit facta tempore ſchiſmatis ab unâ obedientiâ tantum, videlicet Ioannis 23. & non totâ univerſali Eccleſiâ: unde cum omnes obedientiæ ſimul Conſtantiæ convenirent, decreverunt in Seſſione 36. quod Papa cum Concilio haberet declarare, propter quæ & quomodo * ipſa poſſet corrigi.* * *ipſe*

Neque putes, his omnibus obſtare, quod non ſolum Nationes, ſed & ipſi Cardinales deputatos dederint pro materia reformationis, & reipſa ante electionem Pontificis aliqua in materia reformationis ſtatuerint ad Curiam aut Pontificia Decreta ſpectantia, ut Seſſione 19. in causâ fratrum minorum, & Seſſione 39. in causâ Curiæ Romanæ: quidquid enim deputati à Nationibus & Cardinalibus conſtituti egerint, patet ex actis, nihil determinaſſe, concluſiſſe, aut Concilio ipſi circa refor-

I mationem

mationem in capite definiendum obtuliſſe, quam quod Pontifices dubios ſpectat, vel eorum Decreta tempore ſchiſmatis facta, ut ſunt Decreta Seſſione 19. in causâ fratrum minorum contra bullam Alexandri V. & aliâ Seſſione 39. de ſpoliis & procurationibus, de non transferendis invitis &c. In quibus rebus exceſſerant tempore ſchiſmatis varij pro Pontificibus ſeſe gerentes. Quod ſi aliqua ſint, quæ etiam Pontifices indubitatos tangunt, ut capitulum frequens, & aliud de profeſſione fidei faciendâ ante conſecrationem à Pontificibus, illa ſpectant ad extinctionem futurorum ſchiſmatum, ut capitulum frequens, in quo Patres Conſtantienſes pro veris & indubitatis Pontificibus nullam pœnam injungunt, nullam mentionem coactionis faciunt, prout tamen faciunt in Decreto de ſchiſmatis tempore, ubi circa Pontifices tempore illo viventes pœnas etiam privationis Papatus conſtituunt. Quoad profeſſionem fidei autem juxta antiquorum mores Pontificibus præſcriptam, notandum, quantâ cum cautelâ Patres proceſſerint: enumerant omnia Concilia Generalia tam in oriente quam occidente ante illud tempus celebrata, in quorum Decreta ad fidem ſpectantia Pontifices ante conſecrationem jurare debebant, ſolius autem Conſtantienſis Concilij mentionem omiſerunt. Nullum Concilium ex omnibus Generalibus tam ſpecialem conſtitutionem ediderat de obſervandis à quocumque, etiamſi Pontificalis auctoritatis exiſtat, Decretis fidei à ſe ſtatuendis, quam hoc Concilium Conſtantienſe Seſſione quintâ, & cum ageretur Seſſione 39. de profeſſione Pontificis pro obſervandis Decretis Generalium Conciliorum, adducuntur octo prima Concilia, quæ ſunt omnia Generalia ab Orientalibus celebrata, & adduntur Concilia Romæ in Laterano, Lugduni, & Viennæ habita, quæ erant omnia Generalia ab Occidentalibus ante illud tempus celebrata, & Decreta fidei continentia: Conſtantienſis

verò

verò Concilij nulla fit mentio, licet jam plura edidiſſet de fide Decreta, quam ullum præcedens Concilium: quid hic ſubſit, dicant obſecro, qui norint? nos ſanè vel ex hoc loco evincimus, ipſum Conſtantienſe Concilium Seſſione 39. ad fidei Decreta à ſe edita Romanos Pontifices ante approbationem adſtringere noluiſſe: Romani enim Pontificis eſſe, ut Decreta fidei à Concilio ſtatuta approbet & confirmet, ſufficienter patebit ex ſequentibus.

C A P V T III.

An improbanda ſit eorum ſententia, qui Decreta Seſſionis quintæ ut minus confirmata robore carere exiſtimarunt.

DUo ſunt, ex quibus Decreta Seſſionis quintæ ut minus confirmata robore caruiſſe prætendi poſſunt. Cum enim ab unâ dumtaxat obedientiâ ſtatuta ſint, quæri poteſt primò, an poſt trium obedientiarum unionem ab omnibus Concilij Patribus admiſſa ſint? Secundò, cum poſt fugam Ioannis 23. pronuntiata fuerint, quæri poteſt, an poſt electionem veri & indubitati Pontificis à Martino V. comprobata ſint? poſſet præterea peti, cum non omnes Nationes & populi Concilio adhæſerint ante electionem Pontificis, an tota Eccleſia poſt ipſius electionem Decreta Seſſionis quintæ acceptarit, & uſu confirmarit: verum cum hoc Tertium parum urgeri poſſit ad infirmandam auctoritatem Decretorum Seſſionis quintæ, ſi à tribus obedientiis, & Martino quinto confirmata fuerint, relicta in aliud tempus hac de re quæſtione, duo priora dumtaxat nunc examinabimus, quod & illa ad actorum Conſtantien-

ſium illuſtrationem faciant, quæ ſola hic illuſtranda ſuſcepimus.

Quantum autem ad Patrum Conſtantienſium ſententiam poſt trium obedientiarum unionem, licet plura ſuperiori capite dicta ſint, unum tamen hic addere neceſſe eſt, varia ſcilicet à Rege Romanorum mota fuiſſe, quorum occaſione magnæ animorum diſcordiæ inter Patres Concilij exortæ, pluresque impreſſiones factæ ſunt, ut non ſolum vi rationum, ſed & metu, ac terrore animi concertare viderentur. Videbatur renovata tempeſtas ab Evangelio deſcripta, in quâ navis Eccleſiæ ventis percuſſa, undiſque agitata operiebatur fluctibus, ut jam plurium audirentur clamores, deſperatum eſſe de unione Eccleſiæ, & non amplius curandum de ſalute publicâ, ſed cogitandum de ſalvandâ propriâ perſonâ. Eouſque pervenit tempeſtas, quam non meis verbis ſed geſtorum deſcripſi, cujus aliam rationem non invenio, quam quod vexatio det intellectum, permiſeritque Omnipotens navem Eccleſiæ horrendum jactari, ut per trium de Papatu contendentium depoſitionem vacante Sede Apoſtolicâ auctoritatis ſuæ metam non excederent Patres, neque ad alia ſe converterent, quam ad Chriſtum in ſuo vicario excitandum, verumque Pontificem eligendum, quo exurgente imperaretur ventis & mari, fieretque tranquillitas magna.

Spem hanc præter Cardinales conceperant tres Nationes, dum in proteſtatione omnium nomine factâ non ſolum Decretum Seſſionis quintæ de reformatione poſt electionem Pontificis faciendâ interpretati ſunt, ſed & à Corpore Acephalo ante electionem Pontificis præ animorum contentione, & opinionum diverſitate fieri non poſſe indicaverint: & rerum ſucceſſu edocti Angli oculos aperuerunt, & ad mandatum Regis ſui Cardinalibus adhæſerunt: quibus demum acceſſit Natio Germanica, ut de relinquendâ ad futuri Pontificis electio-

electionem reformatione conſenſum præbuerit. Electo igitur omnium votis Martino quinto, ſicut oriente ſole recedunt noctium tenebræ, ſic fugatæ ſunt animorum diſcordiæ, & dici poteſt, quod ubi Concilium ante electionem Pontificis tamquam navis ſine gubernatione hinc inde fluctibus colliſa agitabatur, poſt electionem Pontificis ſedatâ tempeſtate in tranquillo mari navigarit, quia Martino quinto dirigente Concilium, tranquillitas magna apparuit.

Vix electus erat Pontifex, quin illi, qui ſe Romanæ curiæ infenſiſſimos oſtenderant, ad pedes eius ſeſe proſtraverint, & ipſe Romanorum Rex quaſi auctoritatis Concilij oblitus ſolum Pontificem reſpexerit. Non cogitabatur de profeſſione fidei faciendâ antè conſecrationem, licet Concilium Seſſione 39. illud ſtatuiſſet, ſed electione factâ conſecratus fuit Martinus, & poſtea fidei profeſſionem fecit. De reformatione Eccleſiæ in capite, & in curiâ Romanâ una cum Concilio aut eius deputatis per Pontificem faciendâ poſuerant Patres octodecim articulos, & poſtquam Martinus quintus deputatos ex Cardinalibus dederat, & aliquot diebus eâ in re per illos cum deputatis Concilij egerat, ex XVIII. non niſi ſex articuli publicati fuēre Seſſione XLIII. addito, quod tam hiſce articulis, quam alijs in particulari cum Nationibus concordatis ſatisfactum ſit Decreto ſuper reformatione per Concilium edito.

Neque mirum videri debet, ex XVIII. articulis fuiſſe relictos XII. quia inter illos plures erant Sedis Apoſtolicæ auctoritatem immediatè tangentes, quos ſi Concilium Acephalum reformari deſiderarat, Concilium capiti ſuo unitum deſeruerat. Nempe erat tunc Pontifex, qui Sedis Apoſtolicæ auctoritatem defendebat, eiuſque jurà tuebatur: & quamvis aliqui dicant, reformationis capita ad futurum Concilium, quod Martinus V. juxta capitulum frequens Papiam poſt quinquennium celebran-

dum indixerat, fuiſſe reſervata, & interim pro illo quinquennio cum ſingulis Nationibus concordata de illis inita. Ego tamen, qui concordata hucuſque inedita legi, teſtari poſſum, de omnibus reformationis articulis actum fuiſſe à Natione Germanica poſt electionem Summi Pontificis: idem teſtantur XV. capitula à Philippo Labbeo ex codice Capranicenſi edita, & male ad Seſſionem 40. cum ad Seſſionem 43. ſpectent, relata. Enimverò ſub 15. illis capitulis comprehenduntur omnes articuli reformationis, unico dumtaxat excepto, in quo petitur: *propter quæ & quomodo Papa poſſit corrigi & deponi.* Quem proinde articulum credebam vel à Nationibus non fuiſſe propoſitum poſt electionem Pontificis, vel à Martino quinto ut novum aliquod & hucuſque inauditum fuiſſe rejectum. Et hoc ultimum reverà contigiſſe, didici ex aliis M. SS. Codicibus, in quibus non 15. ſed ſexdecim capitula exhibentur, iſteque à Labbeo omiſſus poſt titulum nonum legitur: *ex quibus cauſis Papa &c. Non videtur prout nec viſum fuit in pluribus Nationibus, circa hoc aliquod novum ſtatui vel decerni.* Reliquos articulos de annatis, indulgentiis, appellationibus, & ſi qui alij ſint auctoritatem Pontificiam vel curiam Romanam tangentes, aut ita prætermiſſi fuerunt in concordatis, ut de iis ſe nihil ſtatuere velle declararit Martinus V. aut ſi ſtatuerit, Sedis Apoſtolicæ auctoritatem illæſam ſervarit, ut de appellationibus probari poſſet ex concordatis cum Natione Gallicanâ.

Et cum hæc omnia conſtent de mente Martini V. voluerunt aliqui ex verbis eiuſdem Pontificis Seſſione 45. occaſione legatorum Regis Poloniæ prolatis, ipſa Decreta Seſſionis quintæ per eum confirmata fuiſſe. Obtulerant legati ſupradicti deputatis Concilij libellum cujuſdam Fratris Ioannis Falckenbergh notoriè crudeliſſimas hæreſes continentem, quem ut talem damnarant omnes Nationes & totum Sacrum Cardinalium

colle-

collegium, ac in ſeſſione publica damnandum ſtatuerant: unde legati animadvertentes Concilio Seſſione 45. finem impoſitum iri, rogarunt Sanctiſſimum D. Martinum in Pontificem ab eodem Concilio electum, quatenus ante diſſolutionem Concilij dictus libellus tamquam hæreſes & errores continens damnaretur, ſeu damnatus nuntiaretur; alioqui proteſtarentur de gravamine, & de appellando ad futurum Concilium. Et horum occaſione referunt acta ſuperius edita, Martinum *cum nonnulli aly multum dicerent, & tumultum facerent, impoſito omnibus ſilentio dixiſſe, reſpondendo ad prædicta, quod omnia & ſingula determinata, concluſa, & decreta in materiis fidei, per præſens Sacrum Generale Concilium Conſtantienſe Conciliariter tenere, & inviolabiliter obſervari volebat, & numquam contravenire quoquo modo, ipſaque ſic Conciliariter facta approbat, & ratificat, & non aliter, nec aliô modo.* Cumque Paulus Voladinuri alter Poloniæ legatus vellet progredi, & proponere ſuperius exhibita, *fuit ſibi per Auguſtinum de Lance de mandato Domini Papæ impoſitum ſilentium ſub pœna excommunicationis, quo ſilentio impoſito idem Paulus tacuit.* Et ex his omnibus quidam conſiderantes hæc Martini verba, quod omnia & ſingula determinata & concluſa in materiis fidei per præſens Concilium Conſtantienſe Conciliariter tenere & inviolabiliter obſervare volebat, iis ipſis Decreta Seſſionis quartæ & quintæ tanquam ad materiam fidei ſpectantia, & Conciliariter determinata à Martino probata & firmata fuiſſe contenderunt.

Verum relictâ nunc controverſiâ, de *Conciliariter* actis, certum eſt, Martinum V. per materias fidei ibidem non intellexiſſe Decreta Seſſionis quartæ & quintæ: tria namque materiarum genera in Conſtantienſi Concilio diſtingui ſolebant unum materiæ fidei; ſecundum materiæ unionis; tertium materiæ reformationis. Per primum intelligebatur in Conſtantienſi Concilio, illud, quod

quod fiebat contra hæreticos : per ſecundum, quod fiebat contra tres contendentes de Papatu, & pro trium obedientiarum unione, ac electione veri, & indubitati Pontificis : per tertium, quod fiebat pro reformandâ Eccleſiâ in capite, & in membris. Duo ultima nullam pati poſſunt controverſiam : primum ex ipſiſmet actis patet : ubi de materiis fidei mentio facta reperitur, ſemper agitur de iis, quæ facta ſunt contra Ioannem Wicclef, Ioannem Hus, vel Hieronymum de Praga, eorumque articulos hæreticos, & numquam de aliâ materiâ.

Ut autem hujus rei veritas magis patefiat, teſtantur acta Conſtantienſis Concilij à quatuor Sedis Apoſtolicæ Notariis conſcripta, quod, cum Seſſione quintâ electus Poznanienſis pronuntiaret Decreta ſuperius allata, illa edita ſint *per modum Conſtitutionum* ad conſequendum facilius unionem, & reformationem, iiſque ſic pronuntiatis ſtatim addunt : *Quibus itaque peractis ſupradictus Pater Dominus Andreas electus Poznanienſis legebat quædam adviſamenta in materiâ fidei, & ſuper materiâ Ioannis Hus detenti per Concilium, & quodam Ioanne VVicclef, quæ ſequuntur &c.* Hic oculos eruditorum appello, ut acta legant, & videant, Seſſione quintâ diſtinctionem fieri inter Decreta, quæ per modum conſtitutionum dicuntur ab electo Poznanienſi pronunciata, & adviſamenta contra hæreticos prælecta, quæ ſola à Concilio ipſo dicuntur verſari in materia fidei : unde ijdem Notarij Seſſione ſextâ mentionem facientes materiæ fidei, non de alio, quam Ioanne Hus loquuntur, & Seſſione ſeptimâ dum ſtatutum referunt, quod *quarta Menſis Maij debeat fieri ſeſſio in materiâ fidei*, addunt : *videlicet ſuper condemnatione memoriæ Ioannis VVicclef :* ut mirum non ſit, quod duo M. SS. Codices Vaticani habentes titulos in pleriſque locis actis Conſtantienſibus præfixos, quotieſcumque notant titulos *in materiâ fidei*, vel *in cauſâ fidei*, toties

agant

agant de Wicclefiſtis, Huſſitis, & Bohemis hæreticis per Concilium damnatis, ſic Codex Vatic. M. S. ſub numer. 5597. habet titulum Seſſione XIII. *in materiâ fidei*, & ſub hoc titulo decernitur contra Bohemos, communionem ſub duplici ſpecie laicis non eſſe neceſſariam, eamque illis rectè negari. Sequitur alius titulus: *deputantur commiſſarij in causâ fidei*, & ſub illo titulo agitur de examinandis cauſis particularium de hæreſi, & erroribus in fide Catholicâ, & moribus accuſatorum: idem videre eſt omnibus aliis locis, ubi tam in hoc Codice, quam in alio ſub num. 4174. fit mentio cauſæ fidei: ut indubitatum ſit, à Conſtantienſi Concilio per materias fidei illas intelligi, ubi contra hæreticos eorumque errores tunc vigentes agebatur. Neque aliud voluit Martinus quintus per materias fidei, quam quod per illas in Conſtantienſi Concilio intelligebatur, neque aliud planè intelligere debuit, quando omnia, & ſingula in materiis fidei Conciliariter determinata probavit Seſſione XLV. Enimverò occaſione libelli Ioannis Falkenbergh agebatur de propoſitionibus notoriè hæreticis damnandis, vel tamquam damnatas declarandis, adeoque de illis agebatur, quæ Concilium Conſtantienſe per materias fidei intelligebat. Quid ad hæc Martinus quintus? Reſpondit *ad prædicta*, ſe ſolum confirmare, quæ Conciliariter concluſa, & Decreta fuerant in materiis fidei, qualia erant omnia illa contrà Ioannem Hus, Ioannem Wicclef, Hieronymum de Praga, & Bohemos in publicis ſeſſionibus determinata, quæ proinde ſpeciali conſtitutione *inter cunctas*. Conſtantienſi Concilio approbante anno 1418. Octavo Kalendas Martij toti Eccleſiæ credenda propoſuit: non autem illa contra Ioannem Falkenbergh propoſita: quia licet cauſa eius in materiâ fidei eſſet, non tamen Conciliariter in publicâ ſeſſione determinata erat: ex quibus manifeſtum eſt, quod Martinus V. per materias fidei, nihil

aliud intelligere debuit, ſed & reipſa nihil aliud intellexit, quam determinata, concluſa, & decreta contra hæreticos, eorumque propoſitiones.

Abſit igitur, Martinum V. Seſſione XLV. confirmando omnia, & ſingula in materiis fidei Conciliariter Decreta, confirmaſſe quoque Decreta Seſſionis 4. & 5. de ſuperioritate Concilij intellecta: de iis confirmandis Summus ille Pontifex nequidem tunc cogitabat. Longè aliam habebat Martinus V. de Sedis Apoſtolicæ auctoritate opinionem, quam ut illam Concilio ſeorſim ſumpto ſubmitteret: neque ut hoc probem, alio teſtimonio indigeo, quam ex actis Seſſionis XLV. deſumpto. Seſſione XIII. elegerat Concilium commiſſarios in causâ fidei ex collegio Cardinalium quatuor, & ex Nationibus plures, ad audiendum, & examinandum cauſas hæreſum, & errorum in fide Catholicâ, & moribus, undecumque habuiſſent, & haberent originem; cum autem Rex Poloniæ, & Dux Lituaniæ ſcripſiſſent ad Concilium pro remedio contra exortas in ſuis regionibus hæreſes, Oratores Regis Poloniæ, & Ducis Lituaniæ unum ex fautoribus hæreſum ad deputatos judices detulerant, & libellum eius hæreſibus ſcatentem damnandum obtulerant, ac re ipſa per *judices Concilij à Sacro Concilio Conſtantienſi deputatos ritè, & cum omni debita ſolemnitate, & maturitate damnatum* receperant. Neque his contenti *per omnes Nationes eiuſdem Concilij, ac Sacrum Collegium Reverendorum P. D. S. R. E. Cardinalium dictum Sacrum Concilium integrantes & conſtituentes concluſum, & ordinatum* in publicis, & authenticis Scripturis obtinuerant, quod dictus libellus *tanquam hæreſes* continens *in Seſſione publicâ per Sacroſanctum Concilium publicè damnaretur, ſeu damnatus nuntiaretur.* Quæ omnia licet à Concilio ſeorſim ſumpto facta eſſent, adeo ut nihil aliud reſtaret, quam in publicâ ſeſſione libellum damnatum declarari; ſolus Martinus V. ne fieret, effecit; & cum à multis multa dicerentur,

rentur, impoſito omnibus ſilentio, non petito ullo Patrum conſenſu, ſolâ auctoritate Pontificiâ de illo nihil declarandum eſſe conſtituit, & ſic omnium Nationum, & Cardinalium Decreto, ſolus obſtitit: utque oſtenderet, ſibi ſupremum in rebus fidei judicium competere, acta in materiis fidei, & à Concilio Conſtantienſi in publicis Seſſionibus Decreta confirmatione ſuâ indigere monſtravit, & verba, quibus confirmabat, in publicâ Seſſione coram Patribus Conſtantienſibus iteratò pronuntiari mandavit, iiſque tacentibus, & nihil contradicentibus actis Concilij inſeri juſſit.

Neque hic finis fuit; dum enim Paulus Voladinuri unus ex Regis Poloniæ legatis animadvertiſſet, libelli damnationem minimè publicandam, proteſtationem & appellationem ad futurum Concilium proſequi tentavit: ſed ut loqui cœpit, ſtatim *fuit ipſi de mandato Domini Noſtri Papæ impoſitum ſilentium ſub pœna excommunicationis, quo quidem ſilentio impoſito idem Paulus tacuit.* Summus autem Pontifex oſtenſurus mentem ſuam de ſupremo ſucceſſorum Petri in cauſis fidei judicio, in conſiſtorio publico an. 1418. Conſtantiæ habito conſtitutionem ad perpetuam rei memoriam fecit, & præſentibus pluribus Concilij Patribus promulgavit, in quâ reperitur hæc aſſertio: *nulli fas eſt, à ſupremo judice, videlicet Apoſtolicâ Sede, ſeu Romano Pontifice IESV Chriſti Vicario in terris appellare, aut illius judicium in cauſis fidei, quæ tanquam majores ad ipſum & Sedem Apoſtolicam deferendæ ſunt, declinare.* Apud Gerſonium.

Qui hujus conſtitutionis meminit Ioannes Gerſonius, eam occaſione legatorum Regis Poloniæ editam fuiſſe innuit, ut videre eſt in eius tractatu ſub titulo: *quomodo, & an liceat à Summo Pontifice appellare, ſeu eius judicium declinare.* Conatur in illo tractatu Gerſonius oſtendere, ſupralaudatam Martini conſtitutionem oppoſitam eſſe declarationibus ſexto Aprilis anno 1415. editis, quæ ſunt ipſæmet declarationes ab una obedientia ſine communi

muni deliberatione contra proteſtantibus Cardinalibus & Regis Galliæ Oratoribus Seſſione quintâ publicatæ, quæ ſi. cum Gerſonio de abſolutâ Concilij Generalis ſuperioritate intelligas, per hanc Martini V. conſtitutionem infirmatas eſſe, cum eodem Gerſonio neceſſe eſt, admittas. Enimverò hæc Martini verba luce clariora ſunt: *nulli fas eſt, à ſupremo judice, videlicet Apoſtolicâ Sede, ſeu Romano Pontifice IESV Chriſti Vicario in terris appellare.* Qui Romanum Pontificem ſupremum in terris judicem dicit, alium in terris judicem ſupra ipſum non agnoſcit, unde & ad Concilium Generale appellari non permiſit Martinus, quod Romanum Pontificem eius judicio minimè ſubjiciendum putarit. Hæc Pontifex ille ab ipſo Conſtantienſi Concilio electus promulgavit in conſiſtorio publico Conſtantiæ habito, ut Orbis univerſus agnoſceret, Decreta Seſſionis 5. de ſuperioritate Concilij intellecta nullatenus confirmata fuiſſe à Martino quinto, ſed potius rejecta & improbata, ut damnari nequeat ſententia illorum, qui Decreta Seſſionis quintæ tanquam minus confirmata robore carere exiſtimant. Et hic ſit finis Diſſertationis de actis Conſtantienſis Concilij, ex quibus breviter nunc veritatem indicavimus, quam favente Deo fuſius, ubi neceſſitas urgebit, propugnaturi ſumus.

CENSURA.

Acta hæc Conſtantienſis Concilij, religiosè juxta ac ſapienter illuſtrata per D. EMANUELEM à SCHELSTRATE *S. T. D. Canonicum Antverpienſem ac Bibliothecæ Vaticanæ Præfectum, typis meritò evulgabuntur præſertim hoc tempore. Ita atteſtor Antverpiæ, 21. Maij. M. DC. LXXXIII.*

ANTONIUS HOEFSLACH Eccleſiæ Cathedralis Canonicus Graduatus, Librorum Cenſor.

INDEX RERUM

HAC DISSERTATIONE CONTENTARVM.

A.

ANgli poſtquam tenuerant cum Rege Romanorum, præmittendam eſſe materiam reformationis ante electionem Pontificis, deſerunt in illâ materiâ eumdem Regem, & tribus Nationibus ac collegio Cardinalium ſe adjungunt. Pag. 63

Appellatio à Pontifice ſupremo in cauſis fidei judice ad futurum Concilium damnatur Conſtantiæ in conſiſtorio publico à Martino 5. 75

Archiepiſcopus Narbonenſis ſcribit epiſtolam de concordatis Narbonenſibus, & quid de Concilio Conſtantienſi ſenſerit. 51

Articulus II. cleri anno 1682. *Pariſiis congregrati de ſenſu & auctoritate Decretorum Seſſionum quartæ & quintæ Conſtantienſis Concilij.* 33

B

BAſileenſes compilarunt acta Conſtantienſis Concilij prout primo edita fuerunt. 36. *errarunt omittendo in primo Decreto Seſſionis quartæ particulam fidei.* 37. *errarunt quoque ibidem adjungendo,* & reformationem Generalem Eccleſiæ Dei in capite & in membris. 37. *citant Geſta Conſtantienſis Concilij hucuſque inedita, ſed omittunt verba ipſorum inſtituto minimè faventia.* 40. *eorum ſenſus de Decretis Conſtantienſis Concilij actis eiuſdem Concilij minimè congruit.* 64

C.

CArdinales nolunt venire ad Seſſionem quartam niſi omiſſis iis, quæ Sedis Apoſtolicæ auctoritatem impetere credebant. 42. *proteſtantur contra Decreta Seſſione quintâ publicanda.* 44. *proteſtantur contra Decretum de electione Pontificis Seſſione* 14. *ipſis inconſultis editum.* 53. *obſiſtunt Regi Romanorum volenti materiam reformationis præcedere ante electionem Pontificis.* 63

Concilij Conſtantienſis quatuor primæ editiones. 35. *eius acta, prout primum edita fuerunt, à Baſileenſibus compilata ſunt.* 36

Concilium Conſtantienſe admiſit novam Patrum convocationem in unione obedientiæ Gregorij XII. 50. *abſtinuit à titulo Generalis Concilij in unione obedientiæ Benedicti XIII.* 51. *non fuit Synodus univerſalis totius Chriſtianitatis ante unionem cum obedientiâ Benedicti XIII.* 52. *ab Arragonenſibus & Caſtellanis abſolutè negatur univerſale fuiſſe ante unionem cum Hiſpanis. ibid. ante electionem Martini quinti non adhæſit illi magna Italiæ pars.* 60. *nihil ſtatuit de reformatione in curiâ*

aut capite ante electionem Martini quinti, quam quod ſpectat ad Pontifices dubios, aut eorum Decreta. 66. turbis plenum ante electionem Martini quinti. 68

D.

D*Ecreta Seſsionis 4. & 5. ſine debitâ deliberatione edita fuerunt. 45. item contradicentibus pluribus Patribus, Cardinalibus, & Galliæ Regis Oratoribus.* 42

Decretum primum Seſsionis quartæ à Baſileenſibus corruptum. 35

Decretum primum Seſsionis quintæ ab unâ obedientiâ eâque non integrâ editum à tribus Nationibus cum collegio Cardinalium poſt Seſsionem 39. certo ſenſu expoſitum fuit; qui non favet inſtituto Baſileenſium. 61

Decretum ſecundum Seſsionis quintæ à Patribus poſt trium obedientiarum unionem in ſenſu Baſileenſium non receptum. 64

E.

E*Vgenij IV. teſtimonium, quod plurimi Patres contradixerint Decretis Seſsionum quartæ & quintæ Conſtantienſis Concilij. 48. eiuſdem teſtimonium de auctoritate Conſtantienſis Concilij.* 49

F.

F*Rancíſcus Zabarella impugnat Decreta Pontificis auctoritatem tangentia. pag. 42. item 56. ſuſtinet verum non eſſe, quod Pontifices Conſtantienſi Concilio obedire deberent quoad reformationem Eccleſiæ in capite & in membris.* 57

G.

G*Ermani voluerunt ante electionem unius indubitati Pontificis præcedere materiam reformationis. 59. urgebant omnes 18. Articulos reformationis poſt electionem Martini quinti.* 70

Gregorius XII. cum ſuâ obedientiâ non habuit Conſtantienſe Concilium pro legitimè convocato, unde Seſsione 14. novam convocationem fecit ante ſuam unionem. 49

H.

H*Iſpani negant, Concilium fuiſſe univerſale ante ſuam unionem. 52. dicunt, ſe non teneri Decreto Seſsionis 14. ante unionem ſuam edito.* 53

I.

I*Oannes XXIII. fugit à Concilio Conſtantienſi, ne procuratorium ad cedendum Pontificatui dare cogeretur. 41. contradixit Concilio, quamdiu in libertate fuit. 46. deponitur ſed previo eius conſenſu, idque in libertate conſtitutus ratum habuit. 54. ſubmittit ſe Martino V. & moritur Cardinalis Tuſculanus.* ibid.

Ioannes Falkenbergh, eiuſque liber notoriè hæreticus. 71

Ioannes Gerſonius fatetur Martinum V. damnando appellationes ad futurum Concilium egiſſe contra Decreta Seſsionis quartæ. 75

Ioannis

hac Diſſertatione Contentarum.

…a n nis Turrecremata teſtimonium de mente Ioan. XXIII. circa Decreta Conſtantienſis Concilij. 47

M.

MArtinus V. ex 18. *Articulis reformationis ſex dumtaxat in Conſtantienſi Concilio publicari fecit.* 69. *in concordatis cum Nationibus Sedis Apoſtolicæ auctoritatem illæſam ſervavit.* 72. *non approbavit Decreta Seſſionis* 4. *&* 5. *controverſa* 73 *ſolus obſtitit, ne libellus Ioannis Falkenbergh Seſſione XLV. publicè damnaretur.* 75. *damnat appellationes à Pontifice ad Concilium, & Sedis Apoſtolicæ auctoritatem in Decretis fidei ſupremam eſſe tuetur.* 75

N.

NAtiones Italica, Gallica, & Hiſpanica fatentur Corpus Eccleſiæ etiam ipſius Conſtantienſis Synodi tempore eſſe Acephalum, & carere capite.* 62

Nationum inconſulta vociferatio de celebrandâ Seſſione quartâ. 42. *earumdem diſcordia circa Decreta Seſſionis quartæ. ibid. dant deputatos ad diſputandum cum Cardinali Florentino circa Decreta controverſa.* 43. *relinquunt determinationi Pontificis, propter quæ & quomodo poſſit corrigi.* 65. *pluribus Nationibus viſum eſt, circa hoc nihil novum ſtatuendum vel decernendum eſſe.* 70

O.

ORatores Regis Galliæ proteſtantur contra Decreta Seſſionis quintæ.* 44

Oratores Regis Poloniæ proponunt de libello Ioannis Falkenbergh, & volentibus appellare ad futurum Concilium, imponitur ſub pœnâ excommunicationis ſilentium. 74

P.

PApa electus ligari non poteſt.* 64

Pontifex Romanus ſupremus in cauſis fidei judex, à quo ne quidem ad Concilium Generale appellare licet. 76

Pontifices an obedire debeant Decretis Concilij tempore ſchiſmatis quoad reformationem Eccleſiæ in capite & membris. 57

Pontificis Romani eſt, confirmare Decreta fidei à Conciliis edita. 75

Profeſſio fidei Pontificibus à Conſtantienſi Concilio præſcripta nullam mentionem facit Decretorum fidei ibidem conſtitutorum, quia nondum a Pontifice confirmata erant. 67

R.

REx Romanorum intercedit apud Nationes pro concordiâ cum Cardinalibus quoad Decreta Seſſionis quartæ.* 42. *dum voluit materiam reformationis præcedere*

materiæ

materiæ electionis, à tribus Nationibus dicitur, ſe immiſcere rei ad ſe minimè ſpectanti. 62
Roderici Calaguritani teſtimonium de Decretis Seſſionis quarta & quinta. 47

S.

Scotia non admittebat Conſtantienſe Concilium. 52

F I N I S.

E R R A T A.

Paginâ 36. *Lineâ* 20. hanc copiam *Lege* hæc copia. pag.40. in addit. marg. Baſilcenſis *lege* Baſileenſes. pagin.43. *lin.*24. Seſſioni *lege* Seſſione. pagin.45. *lin.*27. Nemo huc uſque. debet eſſe ad lineam. pag.51. *lin.ult.* conſtitutus *lege* conſtitutis. pag.57. *lin.*1. Concilo *lege* Concilio. pag.63:*lin.*18. triumpaſſe.*lege* triumphaſſe. Hæc occurrerunt corrigenda, ſi alia Lectori occurrant errata, illa quoque corrigere dignetur.

1646

Digitized by Google